




SCRIPTA HISTORICA ISLANDORUM

DE REBUS GESTIS

VETERUM BOREALIUM,

LATINE REDDITA

ET

APPARATU CRITICO INSTRUCTA,

CURANTE

SOCIETATE REGIA ANTIQUARIORUM SEPTENTRIONALIUM.

VOLUMEN NONUM.

CONTINENS HISTORIAS HAKONIS SVERRERIS FILII, GUTTORMI SIGURDI FILII, INGII BARDI FILII ET HAKONIS HAKONIDÆ, USQUE AD OBITUM SKULII DUCIS.

HAFNIÆ, 1840.

TYPIS EXCUDEBAT S. L. MÖLLERUS.

HISTORIÆ REGUM,

HAKONIS SVERRERIS FILII, GUTTORMI SIGURDI FILII, INGII BARDI FILII ET HAKONIS HAKONIDÆ, USQUE AD OBITUM SKULII DUCIS,

EX VETERE SERMONE

LATINE REDDITÆ


ET

APPARATU CRITICO INSTRUCTÆ,

CURANTE

SOCIETATE REGIA ANTIQUARIORUM SEPTENTRIONALIUM.





OPERA ET STUDIO

SVEINBJÖRNIS EGILSSONII,

COLLEGÆ SCHOLÆ BESSASTADENSIS IN ISLANDIA.

HAFNIÆ, 1840.

TYPIS EXCUDEBAT S. L. MÖLLERUS.

NONUM hocce volumen Scriptorum historicorum Islandorum primo continet historias regum Norvegicorum, Hakonis Sverreris f., Guttormi Sigurdi f. et Ingii Bardi f. Quæ ad duplicem recensionem, alteram breviorem, alteram longiorem, pertinent.

Breviorem expositionem continet codex membraneus collectionis Arnamagnæanæ, Eyrspennill dictus, notatus lit. *G*, quem in præfatione Vol. 8. breviter descripsimus, eamque breviori Sverreris historiæ, quam ad Snorrium Sturlæum auctorem doctissimus Magnusenius magna retulit specie probabilitatis, adnectit. Cum hoc membraneo collatus est cod. Skalholtensis (in eadem collectione n. 81., not. lit. *F*), qui partem historiæ omittit, desinens in priori parte capitis 18. Inserenda est hoc loco sententia Celeb. et doct. Magnusenii de harum historiarum auctore. Ea sic fere se habet:

Multa sunt, quæ probabile faciant, Snorrium Sturlæum hujus historiæ auctorem esse. In primis eo valet id, quod de Snorrio affert Hist. Sturlæorum libr. 4. cap. 21: „Snorrius jam poesi inclarescere cœpit; Ha„konem dynastam carmine laudavit, pro quo dynasta „vicissim munera, gladium, clypeum, loricam, remisit. „Quam rem Manius his versibus celebravit:

„Snorrio princeps munificus
„ingentia munera misit;
„concessit liberaliter dynasta
„celeberrimo res eximias viro.

dubie literis mandavit, ita, ut historiæ regum Norvegicorum, jam tum ab ipso inchoatæ, appendicis loco adjici possent. Quas res ex diversis Islandis, qui Norvegiam viserant, facile cognoscere potuit, v. c. ex episcopo Gudmundo Arii filio, apud regem Hakonem Sverreridem versato, huic ipsique per aliquot annos Snorrio amicissimo.

Huic Historiæ, quæ in annum 1210, pace toti Norvegiæ reddita, rebus ab Hakone dynasta gestis ad finem perductis, desinat, haud dubie coronis imposita est in Islandia anno 1211. Hoc aut sequenti anno Snorrium carmen (forte et historiam ab se compositam) dynastæ misisse, muneraque ab eo missa accepisse anno 1213, vero est simile. Itaque proximo anno in Norvegiam trajicere dynastamque convenire statuit; quo anno 1214 mortuo, consilium profectionis omisit. Hanc de Hakone Galeno historiam, quam Snorrius (unacum carmine encomiastico) aut ad dynastam miserat, aut ipse coram allaturus erat, codice Eyrspennile contineri putamus, eandemque copiosioribus narrationibus virorum peritorum, qui uberiorem habuerunt rerum notitiam, a Snorrio auctam esse, vero non est absimile; nam auctam postea fuisse, concludi posse videtur tum ex codice Skalholtensi, tum ex fragmento membraneo nuper reperto. Conjicimus autem, eandem, post mortem Hakonis Galeni, dominæ Kristinæ, reginæ Margaretæ ex sorore nepti, Hakonis dynastæ quondam uxori, destinatam traditamque fuisse. Nimirum hæc de tribus Norvegiæ regibus historia copiosa est in rebus gestis laudati dynastæ enarrandis et describendis, pleraque omittens, quæ ipsius aut reginæ Margaretæ honorem imminuere possent, quanquam jam tum sermone inter Norvegos vulgata posteaque memoriæ tradita.

Longiorem expositionem integram tantum exhibet versio danica historiæ regum Norvegicorum, a sacerdote Petro Clausenio Undalino concinnata 1599, edita Havn. 1633. Quæ versio secundum vetustum aliquod islandicum aut norvegicum autographum confecta sit, nec ne, cum diu in incerto fuerit, omnem dubitationem exemerunt reperta nuper in collectione Arnamagnæana tria vetusta fragmenta, ad prolixiorem historiam Hakonis, Guttormi et Ingii pertinentia, nempe:

a) folium membraneum, forma 4., vetustate ferme detritum, obliteratum et atra nigritie obfuscatum, omnem pæne lectionem, nisi summa adhibita opera, refugiens. Hoc folium, finem exhibens historiæ Sverreris, idem est, quod in præfatione Vol. 8. notatum est n. 14.

b) integrum folium membr., forma 4. In adjecta schedula annotavit A. Magnæus, hæc duo folia in Norvegia reperta esse, quorum prius ad historiam Sverreris, posterius ad appendicem ejusdem historiæ pertinere, et cum versione danica (i. e. Undalini) admodum concordare.

c) duo folia ex cod. membr. formæ 4., forte sec. 13. exarato, multis locis omnem fere lectionem respuentia; hic fere semper *þ* pro *ð*, *e* pro *æ* adhibetur. Quæ tria fragmenta ad historiam a Petro Clausenio Undalino in sermonem danicum conversam pertinuisse tam dubio caret, quam quod interpres voces quasdam lectu aut intellectu difficiliores partim omisit, partim minus accurate reddidit.

Hanc longiorem expositionem Snorrio quoque Sturlæo deberi celeb. F. Magnusenius, eamque pro tertia historiæ editione, prioribus auctiore et emendatiore, habet, hæc adnotans: Post mortem Hakonis Galeni, qua cognita Snorrius a profectione in Norvegiam re-

tractus fuerat, de continuanda historia ejus haud admodum cogitasse videtur. Anno autem 1217 fama in Islandiam periata, obiisse regem Ingium, hujusque fratrem Skulium dynastam, poeseos et historiæ studiosis amicissimum, maximas res in Norvegia consecutum, Snorrius ad peregrinationem jam antea diu cogitatam stimulatus est. Proxima igitur hieme breviorem historiam haud dubie auxit, et ad mortem regis Ingii, susceptamque a Skulio dynastæ dignitatem anno 1217 continnavit. Æstate anni 1218 in Norvegiam profectus Skulio dynastæ opus suum historicum, ut putamus, coram obtulit. Ex quo intelligi potest, „Snorrium ab dynasta amicissime exceptum esse". Mansit apud Skulium duas hiemes, ab eoque et rege Hakone pincernæ ministerio ornatus est (Hist. Sturl. lib. 4. cap. 25); quo temporis spatio emendandi augendique operis, ipso præeunte dynasta, opportunitas fuit. Duo in Skulium carmina composuit, præmiumque horum (forte et historiæ), præter hibernum hospitium, bonam navem mercatoriam et quindecim insuper ampiissima munera consecutus est (ibid. lib. 4. cap. 26).

Una præcipue res facit, ut ad hanc potissimum sententiam incliuemus, quod in breviori historia semel tantum, atque parva in re, mentio Skulii fiat; cum longior historia in eo commemorando prolixa sit. Genealogiæ fratrum Hakonis dynastæ, regis Ingii et Skulii, hic multis verbis ac diligenter recensentur; electio regis Ingii exacte describitur, hujusque generis nobilitas et antiquitas regiæque jus dignitatis inculcatur; memoratur non uno loco educatio Skulii, res in prælio Nidrosiensi gestæ, fortuna in obsidione arcis Bergensis, ejusdem præfectura Sogniensis, ædificatio navium, præclara fortitudo in prælio Strindensi, cædes Pauli aulæ magistri ab eo commissa, concessa

dynastæ militumque et aulicorum præfecti dignitas, curaque sollicita in efferendo condendoque funere regis Ingii. Quæ omnia eo spectare videntur, ut hæreditarium Skulii jus in bona regis Ingii demonstretur; quo jure ille postea fisus, regnum Norvegiæ fatis adversantibus postulavit. Sic illa prolixior historia in annum 1217, qui proximus fuit ante Snorrii in Norvegiam adventum, desinit.

Secundo continetur hoc volumine historia Hakonis senioris, Norvegiæ regis, conscripta a prætore Sturla Thordi filio, fratre ex nepote Snorrii Sturlæi, nato 1214, denato 30. Jul. 1284. Hanc autem historiam absolutam esse anno 1265, sequitur ex ipsius historiæ capite 275. Cujus edendæ subsidia sunt sequentia:

1) Codex membraneus, fundamenti loco positus (not. lit. *A*), Frisianus dictus ex possessore, viro nobili Ottone Frisio (circa medium sec. 17), in collectione Arnæmagnæana asservatus sub n. 45, forma maxima. Etsi hunc codicem manus egregia, bonaque plerumque orthographia et dictio commendat, tamen multis mendis laborat, neque nisi pro satis correcta epitome vetustioris et prolixioris historiæ haberi potest; asservavit tamen in cap. 207 sectionem memorabilem, a ceteris omnibus codicibus omissam. Cum difficile sit judicare, in Norvegiane an Islandia exaratus sit, eum e Norvegia allatum esse probabile faciunt variæ adscriptiones, lingva recentiori Norvegica, qualia sec. 15. eo regno invaluit.

2) Cod. Flatoensis (*B*) multis locis prolixioris et copiosioris argumenti, continet hanc historiam columnis 659—750, anno circiter 1390 exaratam.

3) Cod. Skalholtensis (*F*), qui sæpissime cum cod. Flatoensi consentit.

4) Eyrspennill (*G*), qui continet brevem et imper-

fectam hujus historiæ epitomen, quibusdam tamen locis codice *A* locupletior.

5) Cod. chartacens, n. 42, forma maxima, not. lit. *H*, qui brevissimam continet hujus historiæ epitomen, ab Asgeire Jonæo, historiographi Th. Torfæi librario exaratus secnndum cod. membr., a Torfæo Gniiinskinnam appellatnm.

Præterea collata sunt novem vetnsta fragmenta membranea, nnnquam antea edita aut adhibita, numeris 1—9 insignita. Ex quibus 1., 3., 4., 5., 8., 9., exarata videntur vergente sec. 14.; n. 2. ineunte sec. 15; n. 6., unum foiium, sec. 14. v. 15., sæpe *a* dnplex pro *á*, *eo* pro *jo*, figuram literæ *r* similem literæ z, *æ* pro *e* exhibet; adscripsit A. Magnæus „ex Ostfjordis (Islandiæ) 1711". N. 7., unum foiium, forma 4., sec. 14., reguiari ð pinrimum abstinens; A. Magnæus in adjecta schednla annotavit, videri sibi hoc folinm ad cod. academicnm, a Th. Torfæo Gnllinskinnam appeiiatnm, pertinere.

HISTORIA DE HAKONE SVERRERIS FILIO, GUTTORMO SIGURDI FILIO ET INGIO BARDI FILIO.

De initiis imperii Hakonis Sverreris filii.

Æstate, illud ipsum ver, quo rex Sverrer obiit, proxime insequenti, Hakon filius ejus comitiis Eyrensibus in Thrandheimo rex creatus est, suffragantibus omnibus principibus, qui regi Sverreri, patri ejus, operam dederant[1]. Ante non multo obierat Sigurdus Lavardus, regis Sverreris filius, relicto gnato, cui Guthormo nomen. [2]Ubi vero rex Ingius cognovit, regem Sverrerem, obsidione arcis, uti supra scriptum, ad exitum perducta, e Vika discessisse, in Vikam concessit, ibique moratus est, donec nuntius de morte regis Sverreris ad eum perlatus est. Tunc Bagli, comparatis denuo navibus, magnum nacti sunt militum numerum, Bergas, uti superiori tempore consverant, petere cogitantes[3]. Quo cum rumor[4] pervenisset, Sigurdus, cognatus regius[5], ei oppido præfectus, cognito adventu Baglorum,

[1]) qui opibus multum valebant, *ad. F.* [2]) Rege Sverrere, ut supra demonstratum, arcem obsidente, Ingius rex creatus erat, et in Uplandis se continebat, *ad. F.* [3]) sed ventis incommodis diutius eodem loco detinebantur, *ad. F.* [4]) de profectione Baglorum, *ad. F.* [5]) qui sororem regis Sverreris in matrimonio habuit, matre natus Helga, regis Sigurdi filia, *ad. F.*

magno cum numero copiarum[1] illis occurrit. Quos præ Jadare assecutus, expulsos omnibus navibus atque pecuniis exuit, Ingio in Vikam refugiente, indeque in Uplanda concedente. Qui cum per æstatem in (lacu) Mjörso se contineret, suorum insidiis oppressus est. Nam auctore Gunnare, cognomine Lesta, quem Ingius loco sibi proximo multisque beneficiis ornaverat, a colonis interfectus est in insula sancta, quæ in Mjörso est. Quo facto tota factione dilapsa, complures[2] e regno profugerunt, aliis in Daniam, aliis in terras remotiores concedentibus. Regina Margareta, quam rex Sverrer in matrimonio habuerat, post mortem mariti in Gothiam profecta est, abducta secum filia sua ex rege Sverrere Kristina, multisque, quæ regi fuerant, ablatis rebus pretiosis[3]. Eodem vere[4] rex Hakon orientem versus in Vikam profectus, ibi multum æstatis consumsit; misit ad omnes episcopos, qui regi Sverreri fuerant inimici, ut ad se venirent, et, quemadmodum rex Sverrer moriens præcepisset, secum in gratiam redirent. Misit quoque, qui sororem Kristinam adducerent, quam missi ab invita regina abstraxerunt[5]. Eadem æstate episcopi ad sedes episcopales reversi sunt, in intimam regis amicitiam recepti. Rex Hakon autumno proxime sequenti Bergas se contulit, ibique hiemem transegit,*) magno jam erga se civium favore. Gudmundus Arii filius, episcopus quadrantis Islandiæ borealis electus, eodem autumno ex Islandia in Norvegiam pervenit, qui ab rege liberaliter[6] exceptus et ali-

[1]) multisque ac magnis navibus, *ad. F.* [2]) criminibus maxime obnoxii, *ad. F.* [3]) ibique se verno tempore continuit, *ad. F.* [4]) eadem æstate, *F.* [5]) receptæque curam habuit, *ad. F.* [6]) comiter, *F.*

*) vide cap. 3, not. *).

quantum temporis apud eum commoratus, semper exinde [regi se amicissimum præbuit[1]. Sacerdos Einar alteram regis Sverreris filiam, sororem regis Hakonis, in matrimonio habuit, præfecturaque Rogalandiæ fungebatur, vir summæ auctoritatis, regique Hakoni in primis carus. Præter hunc multi principes viri factionem Birkibeinum ornabant: Hakon Galinus, Petrus Steyper, Sigurdus cognatus regius, Roar, regius cognatus, Eyvindus, affinis sacerdotis, compluresque alii viri, [cum generis nobilitate, tum honoribus illustres[2].

De Erlingo Steinveggo.

2. Vir quidam, nomine Erlingus Steinveggus (paries lapideus), filius regis Magni Erlingidæ appellatus, custodia in Vindlandia[3] tenebatur, turri quadam ibidem inclusus. Hinc ope mulieris Vendicæ, Margaretæ, sequenti ratione liberatus est: dissectas vestes suas in copulam collegerunt, qua ille deligatus ex fenestra turris per parietem lapideum se demisit; cum vero copula ad solum non pertineret, ipse decidit (se dejecit) tam gravi casu, ut coxa oblideretur; sed opacæ noctis beneficio effugit et in Daniam pervenit; ex quo tempore dictus est Erlingus Steinveggus. Æstate, qua rex Hakon se in Vika continebat, Erlingus Steinveggus Skanoram delatus Norvegis genus suum aperuit; cujus partibus cum se multi adjuncturos pollicerentur, negavit se factionem adversus regem Hakonem excitaturum, ejusve in regno, dum rex Norvegiæ esset, turbas moturum. Itaque inde Erlingus Havniam se contulit, ibique hiemem transegit.

[1]) ab rege magni æstimatus est, *F.* [2]) nobiles, *F.* [3]) *Vindlandi*] sic *F*; *Vinlandi* (i. e. *Vinnlandi* = *Vindlandi*), id., *G.*

Mors regis Hakonis Sverreris filii.

3. Proximo rex Hakon autumno Bergas concessit, ubi hiemem transegit.*) Insequenti æstate in Vikam se contulit, proximoque autumno Bergas profectus, ibi hibernam mansionem præparavit. Eodem autumno Erlingus Skanoram pervenit; tumque regina Margareta ab Gothia Bergas venit, ibique hiemem consumsit; inter quam et regem Hakonem graviores erumpere simultates cœperunt. Insequenti hieme, festo jolensi, rex Hakon morbo tam vehementi correptus est, ut sui compos non esset; quare se in arcem deportari jussit, ubi cum brevi tempore jacuerat, mortuus est, octavo die festi jolensis. Sepultus est in æde Christi; cujus sepulturæ cives admodum mœsti adstitere: fuit enim apud omnes gratiosus, facilis et modesti ingenii, aulicæ elegantiæ morumque probitatis studiosus, adversa non solum fortiter tulit, sed et vicit feliciter, [uti antea scriptum est, eum perpetuo pro tutela Birkibeinum habitum esse[1]. Fuere qui reginæ Margaretæ imputarent, quod aliquem mercede conduxisset, qui regem potu venenato opprimeret. Hunc hominem Birkibeines comprehenderunt, eique hoc crimen intulerunt. Qui cum infitias iret, et excusationem polliceretur, res in eum locum deducta est, ut se ad gestandum ferrum jejunio præpararet; quo satis fortiter gestato, detecta manus fœda candentis ferri vestigia ostendit. Quam ob rem extra sinum Bergensem deportatus, ibique submersus est.

[1]) qualem supra demonstravimus regem Sverrerem fuisse; nam, siquando ipse non adfuit, quo loco se continebat, ibi versari salutem Birkibeinorum vulgo existimabant, F.

*) Hoc verum non est, nam Nidarosi hanc hiemem transegit; vide fragmenta et initium Historiæ Hakonis Hakonidæ.

Guttormus Sigurdi filius rex creatus.

4. Eodem vere[1] Birkibeini regem[2] crearunt Guttormum Sigurdi Lavardi filium, tum parvo natu, factionis antesignanis Hakone Galine, regis Sverreris ex sorore nepote, et Petro Steypere, qui idem nepos ex sorore regis Sverreris Ingibjargam, regis Magni filiam, tunc in matrimonio habuit. Hi quoque[3] factionis socii erant: Sigurdus, regis cognatus, Eyvindus, affinis sacerdotis, Einar, affinis regis, Roar, regis cognatus, multique alii nobiles[4] viri. Quibus cognitis rebus, qui superiori tempore secuti Baglos fuerant, sibi a Birkibeinis metuentes, in Daniam profugerunt. Thorleivus Skalpus et filii Önundi Lunni[5], Oddus Runus[6] et Arnbjörn Troll Havniam ad Erlingum Steinveggum pervenerunt. Tum eo loco instaurata factio, multis, qui antea secuti Baglos fuerant, ad eos confluentibus; quo facto, missis in Vikam nuntiis, amicos Alaborgum tempore jejunii evocarunt. Advenere ab Norvegia Reidar Legatus[7], Sölvius Disæ filius, Philippus de Vegginio. [Eodem magnum adduxerant celocium numerum[8]. Delatis in Vikam omnes incolæ se subjecerunt. Sic [ab oriente[9] Osloam contendunt, ubi præsens aderat Nicolaus episcopus. Ab hoc Erlingus petiit, ut tentamen institueret [probandi generis paterni; sed noluit episcopus, contendens[10], ut ferrum Borgæ gestaret. Quare Erlingus Borgam se contulit, ibique se ad gestandum ferrum jejunio præparavit. Tum quoque præsens Nicolaus episcopus, cum

[1]) eadem æstate, *F.* [2]) Bergis, *ad. F.* [3]) principes, *ad. F.* [4]) potentes, *F.* [5]) Linni, *F.* [6]) Runnus, *F.* [7]) filius Jonis Drotningæ (reginæ), *ad F.* [8]) Inde cum classe celocium iter ingressi sunt, *F.* [9]) orientem versus, *F.* [10]) Osloæ: tum tribunis militum pro Erlingo intercedentibus factum est, ut præciperet episcopus, *F.*

Erlingus in eo esset, ut ferrum tolleret[1], gestari ferrum vetuit: i Tunsbergum, ibique ferrum gesta, eo enim aderit Danorum rex, qui ferri gestandi arbiter esto. Inde Tunsbergum concedens Erlingus adventum Danorum regis exspectavit. Convenerat inter Nicolaum episcopum et regem Danorum, ut hic in Norvegiam proficisceretur, secum adducens Philippum Simonis Karidæ filium, nepotem ex sorore regis Ingii Haraldi filii, Nicolao episcopo cognatum[2]. Insequenti vere, ante vigiliam festi Botolphi, Valdamar Danorum rex Tunsbergum venit, naves amplius trecentas et sexaginta adducens, iter pacate faciens. Hic Erlingus, cum iterum se jejunio ad gestandum ferrum præparavisset, ferrum rite et fortiter tulit, episcopo et rege probationis arbitris. Ubi detegenda erat manus, rex Danorum ædem armatis circumdedit, unde apparebat, quæ Erlingum mansura sors esset, si illæsus judicatus non foret[3]. Eodem die ab rege Danorum convivio adhibitus, navibusque triginta quinque, plene instructis[4], donatus est. Postero mane concio[5] classico advocata; sed antequam comitia haberentur, Nicolaus episcopus amicorum intercessione propriaque opera usus effecerat, ut Philippus cognatus suus dynasta crearetur, se eos omnibus opibus sublevaturum pollicitus. Tunc Erlingus rex creatus[6]; quo facto rex Danorum in Daniam reversus est[7]. Hi in verba Erlingi jurarunt: Arnbjörn, filius Jonis Goti filii, Helgius Birgeris filius, Asbjörn

[1]) acciperet, *F.* [2]) quem pro rege commendarent, *ad. F.* [3]) sed tentamen bono successu sustinuit, *ad. F.* [4]) eo convivio, *ad. F.* [5]) comitia Hogensia, *F.* [6]) qui iisdem comitiis Philippum titulo dynastæ ornavit, *ad. F.* [7]) populus vero ad regem Erlingum confluxit, ejusque ministeriis se addixit, *ad. F.*

Koppus[1], Gyrdus Beinteinis[2], Guttormus Thvarius[3], Ormus Longus, Thordus Dokka, Benedictus ab Gumaneso, Simon Kyr, Kolbjörn Rufus, Gyrdus Skjalgius, qui magnum adduxerant militum[4] numerum. Post vigiliam festi Johannis Baptistæ[5] comitia Borgensia habuerunt, in quibus Erlingus rex, Philippus dynasta creati sunt. [6]Omnes Birkibeini ex Vika aufugerunt, aliis in Thrandheimum, aliis Bergas concedentibus[7]. Eadem æstate in Thrandheimo obiit rex Guthormus. Hinc Birkibeini comitia Eyrensia indixerunt, quibus interfuit Thorer archiepiscopus, plurimaque pars virorum prudentissimorum ex Thrandorum communi. Hic de rege eligendo disputatum. Tunc Hakon Galin uxorem duxerat dominam Kristinam, renuente archiepiscopo. Quare, cum plerique[8] colonorum creare cum regem vellent, contra dicente episcopo, ratio haberi cœpta Sigurdi, regii cognati, nepotis ex filia regis Sigurdi Haraldi filii, nec non Petri Steyperis, regis Sverreris ex sorore nepotis. Ingio nomen fuit filio Ceciliæ, regis filiæ, fratri Hakonis Galinis, gnato Bardi Guttormi filii, tunc in emporio versanti; qui cum genere Thrandheimicus esset, plebes cum regem optavit, archiepiscopo, quocum antea fuerat versatus, consentiente, unde factum est, ut Ingius rex crearetur. Cum vero tenera esset ætate, et ducendi exercitus imperitus, magnaque esset[9] curandi imperii difficultas, auctores fuere milites, ut Ingius Hakoni titulum

[1]) Kantifa, *F*, [2]) *om. F.* [3]) Thrimus, *F.* [4]) splendide armatorum, *ad. F.* [5]) Borgam trajecerunt ibique, *ad. F* [6]) Posthæc Tunsbergum revecti sunt, quo cognito, *ad. F.* [7]) Birkibeini vero, cognito, classem Danorum in Vika esse, qui Bergis agebant, in Thrandheimum se contulerunt, ibique per æstatem morati sunt, *ad. F.* [8]) militum et, *add. F.* [9]) tam turbulento rerum statu, *add. F.*

dynastæ daret, quod et factum est. Post vigiliam festi Sti. Olavi Erlingus [cum omnibus copiis Tunsbergo profectus, cursum boream versus secundum litora contendit, triginta quinque naves ducens[1]; expensa in sumtus bellicos regiaque vectigalia exigentes, iter lentius fecerunt. Bergas delati Birkibeinos in arce deprehendunt, Dagfinnum, Thorgrimum de Ljaneso, Thordum Brasium[2] et ad ducentos quadraginta milites. Bagli ingressi oppidum arcem petierunt, et adversarios telis aliquamdiu oppugnarunt. Tum Erlingus Steinveggus suis: nolite eos telis petere, omnes enim nostrarum sunt partium. Bagli perpetuo in navibus, partim ad ancoras, partim exadversus ad pontem[3] Monachorum pernoctabant, quotidie vero in oppido se continebant, continenter ad arcem subierunt, telaque alteri in alteros conjecerunt, multis vulneratis, paucis cadentibus. Aliquo die rex Erlingus ac sui, aliquot celocibus Holmum advecti, ad pontes Episcopi[4] appulerunt, et navibus egressi ad ædem Christi successerunt. Quos Birkibeines conspicati, obviam progressi[5] tam acrem in Baglos impetum fecerunt, ut repulsi cederent. Hic Erlingus cum parte suorum in mare se præcipitavit, alii ceciderunt, alii naves assecuti sunt[6]. Qui naves assecuti quærunt ab Erlingo, an etiam tunc [suarum partium essent[7]? quod rex ita esse confirmavit. Paulo post Bagli, relicto oppido, boream versus secundum litora cursum contenderunt, constitutisque provinciarum præfectis,

[1]) rex et Philippus dynasta et episcopus Nicolaus cum omnibus copiis ex Tunsbergo profecti sunt, 35 naves ducentes, *F.* [2]) Bragium, *F.* [3]) pontes, *F.* [4]) pontem regium, *F.* [5]) invicem tela miserunt; quorum paucitate visa Birkibeines incurrentes, *add. F.* [6]) extractique in naves ad suos se receperunt, *add. F.* [7]) regiarum partium essent castellani, *F.*

in fretum Rugsundum penetrarunt, ubi pæne tres hebdomadas[1] commorati sunt. Hic episcopus Nicolaus mercedes ex prædiis suis exegit; ibidem magna ad eos copia commeatus subvecta; advenere ad exercitum Lodin rusticus ab Leyknio[2], Nicolaus Botolvi et Kaurlungus, frater ejus, Endridius Hegrius, Kalvus ab Hornyne[3]. Tum fama cognoscunt, Birkibeines creasse regem dynastamque, [et a borea magnis cum copiis iter parare; quam ob rem Bagli[4] Bergas reversi naves in sinu Laxarvogo constituerunt. Habuit secum episcopus virum natione Germanum, qui se rationem ballistæ conficiendæ callere prædicabat, eaque arte multas arces diruisse: [atque si minus hanc perfringere potuero, inquit, me ballistæ impositum ad arcem versus contorquete[5]. Mox ligna ad arcem comportata, ballistaque strui cœpta. Hic autumnus manganæ (ballistæ) appellatus. Tum fama per speculatores allata, visas a borea per Stavafjordum ferri naves Birkibeinum, præfecti navium classico convocati, singulorumque sententiæ exquisitæ. Regi placuit, ut[6] exspectarent, præliumque cum Birkibeinis committerent[7]. Ad quæ episcopus: si vis, rex! hoc loco adversus Birkibeinos[8] pugnare, haud erit, credo, quod sæpius prospicias his militibus, qui jam sequuntur te. Mea sententia est, ut quam celerrime iter comparemus, sublatisque velis orientem versus in Vikam navigemus; ibi adversus Birkibeinos, si nos eodem insequentur, pugnabimus. Hæc sententia valuit. Episcopus confestim

---

[1]) noctes, *F.* [2]) Lykkis, *F.* [3]) Hornis, *F.* [4]) Auctores fuere rex ac Nicolaus, ut Bergas reversi arcem expugnarent; itaque cursu meridiem versus reflexo, *add. F.* [5]) *ab signo* [*om. F.* [6]) eo loco, *add. F.* [7]) cui sententiæ plures calculum addiderunt, *add. F.* [8]) castella maritima (*i. e. ingentes naves bellicas*) Birkibeinorum, *F.*

refixis navis suæ tentoriis e sinu egressus est, ceteris, uti quisque paratus erat, sequentibus; noctu interdiuque iter contenderunt, donec Tunsbergum pervenerunt, unde episcopus Osloam se contulit. Birkibeini paulo post discessum Baglorum Bergas venerunt[1], ibique aliquantum temporis commorati, boream versus in Thrandheimum reversi sunt, ubi hiemem transegerunt. Bagli in Vika se continebant, sed utriusque factionis milites Uplanda tenuere.

De recensu præfectorum.

5. Fuere in Uplandis ex factione Birkibeinorum Ulvus Hanius, Haraldus Kesia[2], Gudlekus Flotbytta, et adhuc plures militum tribuni; ex Baglis Thoraldius Ogæ[3] filius, Gudlekus Skredungus; in Ringariko Benedictus ab Gumaneso: in Valdreso Jon Gridmannus[4]; hi eadem hieme Narvium Spiot cum magna suorum multitudine prostraverunt, nonnullis fuga elabentibus[5]. Sequenti vere post festum paschale Erlingus celoces omnesque actuarias ab se dimisit, præfectis Arnbjorne Jonis, Nicolao Botolvi, Lodine Stallario, Gyrdo Bentenis, Atlio Gridkona. Hi naves duodeviginti habuerunt, Bergasque petituri cursum properabant. Fjölbyrjam advecti cognoscunt Enarem regis affinem cum cohorte Stavangri versari, nihilque de adventu suo rescivisse; quare eo cursum vertunt, et hoc eodem die Jadare prænavigato circa meridiem ad oppidum tendunt. Quorum adventu per speculatores

[1]) hi magnum quidem habuerunt copiarum numerum navesque prægrandes, sed hiemali tempore a persequendis adversariis prohibiti, *add. F.* [2]) Kerra, *F.* [3]) Gugæ, *F.* [4]) Niger, *F.* [5]) et in Sognum fuga descendentibus; eadem hieme utrique crebras mutuo aggressiones et insectationes agitabant, et alteri alterius partis milites opprimere studebant. Rex Erlingus hac hieme Tunsbergi se continebat, *add. F.*

cognito, Enar, qui conventum pacificatorium agebat, adversarios non tam celeriter adfore ratus, conspectis navibus, in ædem Svithuni cum suis profugit et in turrim adscendit. Bagli, effracta æde, Enari pacem obtulerunt; [quare hic in ædem ingressus cum suis[1], ad scrinium Svithuni jusjurandum dixit, se nunquam adversus regem Erlingum staturum. Quo facto cum eum ex æde produxerant, centuriones datam vitæ conditionem servare voluerunt, sed valuit militum auctoritas, hique eum occiderunt; [præter hunc quatuor viri in æde sunt interfecti[2]. Hoc loco Bagli magna commeatus copia, ab Enare per Rogalandum coacta[3] potiti, Tunsbergum reverterunt.

De Birkibeinis et Baglis.

6. Birkibeini, imperatis per septemtrionales regni partes copiis et commeatibus, eodem vere cum copiis bene magnis austrum versus Bergas profecti sunt, indeque orientem versus in Vikam contenderunt. Petrus Steyper provinciam, quam antea Enar tenuerat, administrandam suscepit, eique Anium, suum ex sorore nepotem, præfecit; ipse orientem versus cum rege profectus est. Bagli Tunsbergi commorantes naves suas comparaverant, in regni partes boreales profecturi; sed cognito itinere Birkibeinorum, placuit episcopo Nicolao, ut meridiem versus in Daniam cederent[4]. Quo capto consilio, in Hallandiam navigant, [aliquantum temporis in Viska commorantur[5]. Birkibeini Tunsbergum delati, habitis comitiis Hogensibus, Ingium regem, Hakonem dynastam salutarunt, Vikam sibi subjece-

[1]) tandem factum est, ut ex turri descenderent et sacrarium intrarent, *F.* [2]) quatuor ex contubernalibus ejus, qui ex æde extracti fuerant, interfecti, pax ad quinquaginta viris donata, *F.* [3]) magnaque pecuniæ summa, quæ Birkibeinis et oppidanis erat, *add. F.* [4]) neque cum impari numero confligerent, *add. F.* [5]) *om. F.*

runt, præfectos provinciis præfecerunt. Trajecerunt Borgam, comitiaque Borgensia habuerunt; hic quoque Ingium regem, Hakonem dynastam renuntiarunt, quo facto Tunsbergum reverterunt. Quibus rebus cognitis, Philippus dynasta boream versus in Vikam se contulit, comitatus Arnbjorne[1], Philippo ab Vegine, Reidare[2], Nicolao Botolvi, Atlio Gridkona, Helgio Garna[3]; hi viginti naves habuerunt. Rex cum parte copiarum remansit; episcopus Nicolaus meridiem versus Havniam profectus erat. Bagli cursum boream versus quam celerrime contenderunt, adversarios ex improviso oppressuri; ut vero in (fretum) Havstensundum pervenerunt, [supervenit mercatoria grandior et fretum illico enavigavit. Qua re Bagli graviter commoti, cum intelligerent famam se Tunsbergum antevertisse, ad Hafsteinsunda cursum reflexerunt, moxque[4] cum omnibus copiis ad sinum Limicum trajecerunt, ibique multum æstatis Alaborgæ consumserunt. Eodem episcopus Nicolaus advenit[5]; tum in fretum Ogosundum a boreali plaga Kongelæ pervecti, in terram eo loco escenderunt, remissis in Hallandiam navibus cum Lodine Stallario, Halbjorne Trollo et ad ducentis quadraginta viris, qui meridiem versus revecti naves in Nizio subduxe-

[1]) Jonis filio, *add. F.* [2]) legato, *add. F.* [3]) Birgeris filio, *F.* [4]) Hie, cognito, Birkibeioos ab orientali parte sinus non versari, noctem exspectarunt, ut sinum transnavigarent. Tum mercatoria quædam a meridie advecta fretum ingreditur. Bagli somno quasi excusso impetum in hanc fieri jubent, sed mercatoria enavigato freto sinum percucurrit; unde Bagli, certi, famam de se Tunsbergum præcucurrisse, magna usi celeritate mercatoriam persequuntur. Quæ cum jam tum Brimsteinum prænavigaret, Bagli, insectationem frustra esse intelligentes, in Havstenssunda remearunt, indeque in Vikam ad regem reverterunt. Paulo post, *F.* [5]) Hic classiarii, moræ impatientes, in Vikam revertebantur, *add. F.*

runt; quo et episcopus Nicolaus delatus, relicta (navi sua) Bokaskreppa, pedestri itinere ab oriente in Vikam remeavit. Hunc multi Baglorum comitabantur, alii litora minoribus vecti celocibus legebant; insequenti autumno Borgam universi convenerunt. Naves suas in lacum Mjors subvexerunt, inde borcam versus per Heidmarkam contenderunt. Ut Hamarem parvum adpropinquabant, Oddus Tanus occisus est, auctore cædis Gudleko Flotbytta[1]. Inde Bagli Montem transcenderunt et in Updalum descenderunt, mox in Orkadalum indeque in Emporium pervenerunt. Nonnullæ Baglorum cohortes ex Uplandis in Hardangrum descenderunt, his centurionibus, Sörkvere Snapo, Simone Oxio, Erlingo Skamalso, Hallio Lada, Ogmundo Ekilando[2], qui triginta milites habuerunt. Hi Erlingum Birkibeinem occiderunt; [occiderunt et Thorkelem Crassum apud Avaldsnesum cum viginti quinque viris[3], quo facto in Uplanda recesserunt. Bagli vero, qui in Emporium pervenerant, nullo resistente, ibi aliquamdiu morabantur. Interea comitia Eyrensia indixerunt, quibus pauci incolarum interfuere; hic Erlingus rex, Philippus dynasta creati; inde præfecti in provincias dimissi, parum inde pecuniarum retulerunt. Birkibeini, ubi cognoverant, Baglos montem (Dovricum) transcendisse, copias diviserunt, quarum partem rex Ingius septemtrionem versus duxit, partem Hakon dynasta meridiem versus in Hallandiam, qui cu-

---

[1]) qui cum tribus viris e sylva proruperat, iterumque se in sylvam receperat, *add. F.* [2]) Ekilundo, *F.* [3]) et filium ejus; tum iter Thorkelis ac comitum speculati, quæsitum iverunt. Hi, una 25 numero, actuaria vecti ad Ogvaldsnesum stabant, tabernacula in litore habentes. Bagli appulsis ad villam navibus, præterito brachio maris, custodem primo oppresserunt, mox tentorium in eos deturbarunt; cecidit hic Thorkel cum omnibus vectoribus, *F.*

stodes navium in Nizio oppressit; hic ad triginta ex Baglis cecidere, ceteri omnes in mediterranea fugerunt; occubuit eo loco Arnbjorn Trollus. Hakon dynasta omnes naves eorum[1] cepit, in his Bokaskreppam, navem episcopi Nicolai; quarum partem incenderunt, partem secum abduxerunt, et in Vikam reverterunt. Proximo autumno boream versus Bergas, rex Ingius in Thrandheimum concessit. Bagli, qui duas[2] celoces, præfectis Asbjorne Koppo et Thoraldio Skinringo[3], in Mæriam speculatum miserant, conspectis Birkibeinis Stimum prænavigantibus, boream versus remigando effugerunt. Quos Birkibeini conspicati incitatiore remigio totum diem sunt insectati. Horum pars per interiora ad Thingvallum remigarunt; in his Guthormus Thvarius, qui provinciam obtinuerat, a Birkibeinis in terram compulsus cum suis occubuit. Asbjorn Koppus ac sui, sero vespere ad Solskelam appulsis navibus, noctu oppressus est a Birkibeinis, qui ejectis in terram vectoribus insulam custodiverunt, proximoque mane perlustrata insula maximam partem militum interfecerunt, Asbjorne cum paucis elapso. Dein Birkibeini, cursu boream versus continuato, unam celocem, qua Bagli vehebantur, ad Agdanesum interceperunt, quo facto in oppidum se contulerunt. Bagli extemplo relicto oppido pontem superarunt, indeque per (montem) Skaneyafjall in Valles orientales descenderunt, itinere non prius intermisso, quam Osloam pervenissent; quidam vero in insula Magna se continebant[4]. Hanc hiemem rex Ingius in Emporio, Hakon dynasta Bergis se continebat. Superiori autumno, quo Bagli

[1]) colonorum et Baglorum, *F.* [2]) quinque, *F.* [3]) Thorallio Skinhringo, *F.* [4]) ad festum fere jolense, ipso vero festi tempore Osloæ agebant, *add. F.*

in Nizio in terram e navibus compulsi sunt, magna molestia per Hallandiam iter fecerunt; tandem sero vespere Ljodhusa pervenerunt. Aderant hic Birkibeini, duabus celocibus vecti, præfecto Halvardo Hlidarfaxio. Quos necopinantes aggressi Bagli pæne universos[1] interfecerunt, naves ceperunt, et ad Nostdalsforsum[2] usque adverso flumine remigarunt, ubi subductas celoces incenderunt. Inde in Markas, boreamque versus ad sylvam Eidensem et in Uplanda profecti, regem in Mjorso convenerunt. Halvardus Hlidarfaxius, quod in oppido fuerat versatus, salvus evasit.

De præfectis.

7. Præfecti statim elapso festo jolensi in provincias concesserunt. Philippus ab Vegine provinciam Borgensem habuit; is duas celoces construendas curavit: Asbjorn Koppus unam, Thoraldius Ogæ filius unam, Ormus Longus [in Odinseya[3] unam, Thorstein Thjovus unam, Jon Drotning duas ad Albim, Gudolvus Blakkastadensis[4] et Gunnar Asæ filius duas, Reidar unam[5], Philippus dynasta duas, Thordus Dokka unam, [6]Gunnius Longus duas in Skida, Gyrdus[7] unam; omnino viginti duæ celoces fabricatæ sunt[8]. Hi austrum versus per Vikam Kongelam usque navigarunt, quo mediante pæne tempore jejunii pervenerunt, indeque boream versus Tunsbergum iter converterunt. Tertio die ultimæ (jejunii) hebdomadis famam de fabricatione navium accepere Birkibeini[9]. Die Veneris proximo ante

[1]) nisi qui aut in mare desiluissent aut in oppido versarentur, *add. F.* [2]) Dalforsnostum, *F.* [3]) *omitt. F.* [4]) Bakkensis; *F.* [5]) legatus duas celoces, *F.* [6]) Hundolvus Hetta et, *add. F.* [7]) Bentenis filius, *add. F.* [8]) rex vero maximam partem classiariorum subministravit, *add. F.* [9]) rati, Baglos, qui orientem versus devertissent, ex regno excessisse, *add. F.*

festum paschale Bagli ex oppido profecti sunt[1]; secunda feria paschatis Grindholmasundum ingressi sunt[2]; die Saturni Portyriam navigarunt, die dominica in insulas Esjunesenses. Quo cum omnes copiæ convenissent, rex significavit, se in boreales regni partes proficisci statuisse[3]; quæ ratio periculosa vulgo existimabatur. Inde rex die tertio (Martis) in Randarsundum perrexit, remanentibus ad insulas Esjunesenses Ormo Longo, Ragnare Gamalis, Gunnare Asæ, Benedicto Gumanesensi cum quatnor navibus[4], [qui socii expeditionis esse noluerant[5]. Tum cognoscunt, Thorgilsem Fudendum magnam copiam commeatuum in usum belli contraxisse [in Vinisdalo[6]. Hinc ante lucem solventes mane Hitras venerunt, Thorgilsemque boream versus profectum remigando persecuti, cum ad Foksteinos venissent, onerarias in cursu conspicantur. Quarum vectores, visis celocibus, in Rekuvogum deverterunt, ibique in terram excurrerunt; Bagli vero, occupato commeatu, eadem vespera Ekundasundum ingressi sunt.

Jon Drotning interfectus.

8. Jon Drotning, qui, quo tempore Bagli celoces fabricabant, provinciam ad Albim habuit, convivia[7] magna cum mann[8] obiens, venit ad colonum quendam, nomine Thrandum, uxoris venustate conspicuæ maritum. Qui cum maritum uxoremque in cœnaculum quoddam ad colloquium excivisset, uxore præcedente tabulatum ingressa, ad maritum conversus, (ingredientem) extrusit, cœnaculumque occlusit. Qua de re

[1]) in Odinseyam trajecerunt, *F*, [2]) inde die Veneris occidentem versus in Thorseyam transfretarunt, *add. F.* [3]) Simon Kyr Ragnaris f. et Arnthor Foka ex tractu Bjargheimensi unam celocem (jam domum) remiserant, *add. F.* [4]) celocibus, *F.* [5]) *omitt. F.* [6]) *omitt. F.* [7]) *omitt. F.* [8]) eadem hieme, *add. F.*

cum maritus conquereretur, objectis criminibus deterritum prehendi, caudæ equinæ alligari et ad navem pertrahi jussit, aurique selibra libertatem redimere, [hac conditione oppido lætum[1], coegit. Post septem noctibus Jon, cum ad convivium invitatus in prædio Forsæla dicto versaretur, mane cujusdam diei uno comitatus ædem sacram adiit; Thrandus vero cum septem viris prope ab eo loco in insidiis considebant, euntemque conspicati cursu ædem petebant. Confugientem in sacrarium Thrandus missa hasta petivit, excurrentemque ex sacrario cursu insecutus est. In agro eum prostraverunt, prostratoque caput Thrandus præcidit; funus Kongelam deportatum, et in monasterio, quod ibi est, humatum, Thrandus vero postea ad Birkibeinos transiit. Cujus cædem Gunnbjorn, frater ejus, et Solvius Disæ filius, novem[2] viris occisis, septem pede truncatis, ulti sunt.

De Baglis.

9. Bagli in Ekundasundo commorati, inde quinto hebdomadis die ad (insulas) Hvitingseyas, Jadarem prævecti, navigarunt, inde boream versus per (fretum) Karmsundum[3], inde in (sinum) Siggjarvogum. Hic convocatis naucleris (navium dominis) deliberant, Bergasne, an inde boream versus (in boreales regni partes) cursum verterent. Illud plurimi magis cupiebant, quod fama edocti erant, Hakonem dynastam in oppido versari, nullumque de ipsorum profectione nuntium accepisse. Huic consilio obstitit Reidar[4], qui, ut regem potius aggrederentur, hortatus

[1]) *omitt. F.* [2]) undecim, *F.* [3]) adeo jam obortis tenebris, ut paucæ tantum celocium fretum assequerentur, parsque classis Fylingsfjordum intrarit, quæ non prius quam sera vespera in Karmsundum adfuit; *add. F.* [4]) legatus, *add. F.*

est; cujus ratio valuit. [Eodem die[1] naves in Skalavika appulerunt. Hinc duabus celocibus in Gravdalum missis, captos ibidem aliquot pistrinarios ad classem reduxerunt. Qui cum significarent, nuntium dynastæ venisse, omnesque oppidanos in cœmeterio ædis Christi in comparando esse occupatos[2], vela confestim sublata, cursusque extra Vollunesum, indeque extra Fenringam circumflexus. In Vikingavogo tres onerarias, quibus Birkibeini vehebantur, offenderunt; quarum vectores partim ab iis interfecti, partim in insulam effugerunt. Vespere diei lunæ in Skutosundo appulerunt; [3]egressi ad villam, quid novi interrogarunt, simulantes se Birkibeinos esse; colonus dixit, se [eodem die tabellariis Ingii regis vecturam præstitisse[4], quoque loco instanti nocte hospitaturi forent, aperuit. Bagli literas interceperunt et ad regem Erlingum pertulerunt. Quarum id fuit argumentum, Hakonem dynastam regi Ingio, fratri suo, salutem; orare, sibi ut caveat, Baglos enim a meridie adventare: quanquam nescio, inquit, an se adversum te sint conversuri, cum copiis parum valeant[5]. Die tertio (Martis) boream versus in Angurgerdum[6] remigarunt, vento adverso tam vehementer spirante, ut onerariæ iis occurrerint, velis ad duos funiculorum ordines demissis navigantes. Bagli, cognito, magnam commeatus copiam in Borgunda contractam, navemque longam[7] ibidem fabricatam esse, die

[1]) ibidem die nocteque transactis, vespere diei dominicæ boream versus profecti, *F.* [2]) re denuo diligenter deliberata, rex adeundi oppidi cupidus erat, dehortante Reidare, cujus consilio obtemperatum est, *add. F.* [3]) ubi cum pernoctassent, aliquot viri, *add. F.* [4]) literas ab dynasta missas in Vogseyam pertulisse, *F.* [5]) parvaque habeant navigia; quos non est quod metuamus, *add. F.* [6]) Angur, *F.* [7]) vigintit ranstris, *add. F.*

Mercurii[1] adorti, cum omnibus navibus vento repulsi sunt, præter Philippum dynastam, qui cum quatuor celocibus insequenti nocte ad Borgundam appulsus, duodeviginti homines occidit, omni commeatu potitus est, naves longas incendit. Quinto hebdomadis die rex Oxneyam[2] remis advectus, ibidem per noctem moratus est. Hic a borea ex Emporio nuntius adfertur, regem Ingium Sigridam, sororem suam, Thorgrimo Ljanesensi nuptum dare, nuptiasque proxime sequenti die Veneris celebrare statuisse, atque insuper, Birkibeinos naves longas in Romsdalo[3] fabricasse. Itaque huc Philippum ab Vegine et Thordum Dokkam cum duabus celocibus misere. Die Veneris[4] boream versus in Lyngverum[5] remigarunt. Eadem vespera Philippus ac sui naves ad Veeyam appulsas in sinu exteriore constituerunt. Birkibeini celocem in sinu interiori habuerunt, unde Bagli paucos capere homines potuere, magna vero commeatus copia potiti sunt, navesque incenderunt[6]. Oriente sub vesperam diei Veneris leni vento secundo, Bagli vela sustnlerunt, nocteque insequenti boream versus navigarunt[7]. Qui cum in (fretum) Sveigjadarsundum[8] venissent, vehementiori coorta tempestate, vela uno tenus demiserunt, (proximoque) die ad Veddeyam appulerunt, ubi cibum sumebant et consilia conferebant. Hic Arnbjorn Jonis et Reidar hortati sunt, ut reliquas copias opperirentur; nondum enim advenerat Philippus

[1]) vento borea acrius spirante, *add. F.* [2]) *sic Versio Undalini;* Langeyam, *G.* [3]) Veeya, *F.* [4]) sub vesperam vento secundo orto, *add. F.* [5]) Lyngur, *F.* [6]) eoque loco pernoctarunt, *add. F.* [7]) cum eos a perscrutanda villa lux nondum reddita prohibuisset. Jon Angradus ejus cohorti interfuerat, *add. F.* [8]) Veggjadarsundum, *F.*

cum suis[1]. Rex vero: satius existimo, inquit, hac nocte oppidum quatuordecim celocibus aggredi, quam duplo pluribus mane proximi diei[2]. Itaque sublatis velis boream versus pergunt, et sub vesperam Agdanesum subeunt. Jam rationem aggrediendi ineunt. Hic Lodin Stallarius: jam nostri fidenti animo sint, cum in oppidum veniemus; naves extra oppidum ad Eyras appellamus[3]; nunc honeste cadere præstat, quam diutius ante litora jactari[4]; illi haud dubie, nulla præcepta nostri adventus fama, vino sepulti jacent, cum verosimile sit, multos non pepercisse, quin se medo et vino[5] inebriarint. Regia cohors vexillumque regium per plateam occidentalem, dynasta et Arnbjorn per plateam borealem ingrediuntor, Arnthor Foka et Simon Oxius[6], ad amnem remiganto et natando effugituros observanto[7]. Jam vela ventis data, sinusque velis intratus, [qua fors tulit, noctis jam tenebris obductis[8].

De missis tabellariis.

10. Hakon dynasta ternas Bergis literas, in eandem omnes sententiam, dederat; unæ, uti supra demonstratum, a Baglis interceptæ; alteræ ad regem perlatæ, tertiæ serius advenere. Die Saturni sub vesperam literæ ad regem Ingium pervenerunt, quas cum perlegisset et principibus viris monstrasset, id captum consilii est, ut hac vespera omnes copiæ in armis[9] ad taber-

[1]) duæ quoque celoces ad meridiem in Fjordis relietæ fuerant, *add. F.* [2]) Et eum parati essent, ad naves descenderunt, *add. F.* [3]) e regione tabernarum convivalium, eoque, quovis obstante impedimento, escendamus, *add. F.* [4]) eum futurum credam, nobis fugientibus, ut et a Birkibeinis et a colonis pellamur, *add. F.* [5]) cujus copiam suppetere autumo, *add. F.* [6]) qui unam habent navem, *add. F.* [7]) hæc vespere, cum jam obduci cœlum tenebris cœpisset, aeta, *add. F.* [8]) *omitt. F.* [9]) *omitt. F.*

nas convivales classico evocarentur. Cujus certior factus Thorgrimus, regem oravit, ne festivitatem convivii interrumperet; se in instantem noctem excubias dispositurum[1]; autumare, Baglos non ausuros tanta advenarum freqventia oppidum intrare. [2]Milites nimio vino inebriati erant, unde facile erat dehortari, ne convocarentur; [hi vero, quibus commissa custodia erat[3], sibi potius quam ceteris vigilias agendas negabant, et mero se obruebant; hinc factum, ut nulli excubitores disponerentur[4]. Rex in domo Sigurdi Svardagi dormiebat.

De Baglis. Pugna in oppido.

11. Eadem nocte Bagli per interiora sinus pervecti, [vela prope Ilam demiserunt[5]; tum densior nivium procella tenebras cœlo obduxit. Nocte provecta [classem distraxerunt[6]. Arnthor cum suis ad amnem remis provectus, cum ad ostium pervenisset, ingredi navibus fluvium noluit; [Simon vero cum parte propugnatorum ingredi voluit[7], quam ob rem pæne factum est, ut inter se confligerent; valuit tamen Arnthoris auctoritas[8]. Cetera classis extra ad Eyras appulit[9], indeque in oppidum[10] excurrerunt. Tum signum classico datum. In oppido altissimum silentium. Mox per plateas cum clamore et strepitu grassabantur, et ædes effringebant[11], nullo

---

[1]) custodesque qnibus haberi fides posset curatnrum, ipsiusque maaum in armis vigilias acturam, *add. F.* [2]) Rex omnesque, *add. F.* [3]) interea diu accubitum. Hi vero, qui custodiam agerent, commilitones Sigvaldii senis, *F.* [4]) neque vigiliæ circumirentur, *add. F.* [5]) trajecto Fladkio Golarasum prælegebant ad Ilam fere, quo facto demissis velis se comparabant, *F.* [6]) terram ex instituta ratione remis petebant, *F.* [7]) *omitt. F.* [8]) ut fluvius non intraretur, *add. F.* [9]) et ut primum vada tetigere carinæ, suo quisque loco exsiliens in mare desiluit, *add. F.* [10]) ordine, *add. F.* [11]) ad cœmeterium usque ædis Christi penetrantes, *add. F.*

inter hæc ex oppidanis cadente. Inde subito gradu circumflexo per agros extra[1] oppidum regressi sunt, quo impetu homines, qui [se interea in cursum conjecerant[2], cecidere. Dein Bagli altera vice per plateas ab exteriore parte pervadebant, quo subito incursu complures oppidanorum cadebant: Thordus, frater[3] Finngeiris, pro domo sua[4] cecidit; [Thorgrimus ab Ljaneso cum sex aliis in platea superiore cecidit[5], quos cum transgressi Bagli essent, elapsus est Thorgrimus graviter sauciatus. Rex Ingius cum pellice sua concubuit, paucique apud eum homines erant. Primo sublato clamore bellico, feminæ eum excitabant. Ille, somno ægre excusso, ex crapula vix mentis compos, „quid, quid", exclamavit. Domine, inquiunt, hostis in oppido adest. Ad quæ exsiliens ad fores se proripit: audit extra strepitum: procurrit ad domuum contigua[6], dum Bagli ædes præterierunt. Sedato in platea strepitu, in pontes excurrit, et in flumen se dejicit; ad naves, eo loco ad ancoras jacentes, forte delatus, correpto ancorali, eniti in navem conatus est, sed laxatis braccarum linearum, quibus indutus erat, vinculis, [in fune pendulus hæsit[7]. Vir in navi constitutus: noli, homo, retinere funem, inquit, quin apage te! Tacente rege, mercator sumto longurio eum excussit, ut missum facere funem salutique consulere nando cogeretur. Hoc tumultu[8] magnus hominum numerus in fluvium se dejecit, alii ante, alii post regem. Rex, cum trajecto amne in crepidinem

---

[1]) supra, *F.* [2]) elabi cursu ex oppido non potuerant, *F.* [3]) filius, *F.* [4]) in platea inferiore, *add. F.* [5]) mox in platea superiore in Thorgrimum ab B..neso tribus comitatum inciderunt, ex quibus tres illos dejecerunt, *F.* [6]) ibique conscenso tecto jacuit, *add. F.* [7]) braccis circa funem circumplicatis impediebatur, *F.* [8]) tempore, *F.*

quandam egressus esset, collapsus, frigoreque et lassitudine confectus procedere longius non potuit. Tum Ivarem Fljodakollum in litus evadentem conspicatus, inclamat: Ivar, succurre mihi, inquit. Ille, mihimet ego primum[1] opem feram, inquiens discessit. Paulo post alii ex fluvio evasere, in his primus Reidulvus, Bardi frater[2], qui prope regem egressus: tune hic ades, domine? Cui ille: ita vos heri me compellastis. Reidulvus: tu vero idem etiam nunc es, erisque, dum nos ambo vita fruemur. Deposito pallio regem circumtexit, [sublatumque in campestria portavit[3]. Ita in Skusasum provehebantur, ubi rex jumentum et traham et vestium quantum opus erat (Reidulvus enim præter indusium et tibialia nihil habuit) nactus est[4]. Novem homines, in quibus Sigvaldius[5] senex, in cœnaculo quodam[6] se tuebantur, omnesque eo loco interierunt. Bergsvein Longus, signifer regis Ingii, prostratus est, a quo cum Bagli abscessissent, mulieres quædam vexillum zonæ ejus affixum abstulerunt[7]. Sex[8] homines, in quibus Kolbein Berer[9], ceciderunt[10] juxta ædem Gregorii[11]; octo homines, in quibus Eyvindus Feyler[12], in agro cecidere; [quinque homines, in quibus Kolbein Strinevus, in platea boreali[13]; tres homines, in quibus Halvardus Hlidarfaxius, ad ædem Crucis[14]. Convenerant in agro ex Birkibeinis quadraginta viri, quibus præfuit Sigurdus Skjal-

---

1) si potero, *add. F.* 2) filins, *F.* 3) raptisque laciniis regem in humeros snblatum tergo portavit, *F.* 4) Reidulvns regem in Strindam deduxit, *add. F.* 5) Sigurdus, *F.* 6) Sigurdi Ekirunni, *F.* 7) et servarunt, *add. F.* 8) tres, *F.* 9) Bekkus, *F.* 10) impugnati in platea, *add. F.* 11) ex quibus Kolbein in cœmeterio ædis cecidit, *add. F.* 12) Feyker, *F.* 13) *omitt. F.* 14) Jon Skekkius in cœnaculo infra forum solns cecidit, *add. F.*

gius, [Ornulvus Hækil[1], Thorgils Sokus[2], Thorfinnus cornicen; hi[3] aliquem ex Baglis [nomine Styrem[4] in septa via prostravere, alium in platea, nomine Kolskeggum, natione Islandum; quo facto Birkibeini ad introitum areæ, quæ Baglis referta erat, accurrerunt[5]. Adversus quos conversus[6] Gudolvus Blakkastadensis, objecto sibi clypeo, adversarios gladio petebat; quæ puncta frontem Ornulvi tetigit infra cassidem chalybeam; quo facto Birkibeini cursu se abripuerunt, plerisque in ædem Christi effugientibus; Ornulvus vero in fluvium se conjecerat, mortuusque[7] inventus est. Mulieres quædam Baglis significarunt, regem Ingium in æde Mariæ esse; quo cognito accurrentes, asseres transversarios sacrarii tecto proximos conciderunt; tum fores ædis apertæ. Hic versabantur novem homines, in quibus duo præfecti, Olavus ab Krjanadis[8] et Ivar Dynolos; quorum ille in templo eminus telo oculum ictus, ceteri omnes occisi[9]. Quatuor homines in æde Andreæ fuerunt, in quibus Bardus Stalpius, qui occisus magna laude fortitudinis mortem obiit[10]. Die dominica, ubi illuxerat, Bagli oppidum inter se et milites in quatuor partes diviserunt: rex unam cohortem habuit[11], alteram Philippus dynasta, tertiam Arnbjorn et Gudolvus, quartam Reidar et Philippus ab Vegine, qui unacum Thordo eodem mane in oppidum a meridie advenerat. Tum [toto oppido perlustrato[12], multi homines inventi, pæneque

[1]) *omitt. F.* [2]) Skokkus, *F.* [3]) facto in oppidum incursu, *add. F.* [4]) *omitt. F.* [5]) quo tempore Sigvaldius senex oppugnatus est, *add. F.* [6]) ex porta areæ, *add. F.* [7]) et ultra flumen, *F.* [8]) Ljarodis, *F.* [9]) In æde Olavi tredecim homines erant, in quibus Bjalfius Skiunstakkus, qui omnes occisi sunt, *add. F.* [10]) ex his tres occisi, unus manu truncatus, *add. F.* [11]) superioremque partem oppidi sortitus est, *add. F.* [12]) ædibus effractis, *F.*

omnes interfecti, magnaque præda capta. Secundo die hebdomadis naves, quas ducere secum voluerunt, deduxcrunt; rex habuit Gulbringam, dynasta Gestaskalpium, Arnbjorn Darrhettam, Reidar Lyrtam, Philippus Ognarbrandum[1]; incenderunt Kladium, Elvtam et [præterea unam[2]. Bagli[3] quavis nocte ad arcem excubuerunt, interdiu naves instruxerunt. [Die Mercurii[4] præda in tabernas convivales comportata, die Jovis, Veneris et Saturni divisa; inter alia fuere trecentæ et sexaginta loricæ sertæ et ocreæ [antiqui moris[5], quæ omnis præda magni fuit pretii, ita ut nemo minus tribus quatuorve selibris obtineret.

De rege Ingio.

12. Rex Ingius in Strindam et per superiora in Golardalum profectus est. Hic militibus, qui elapsi erant, et colonis ad eum confluentibus, amplius viginti quatuor centuriis habuit, tumque in oppidum reversus est. Secundo die hebdomadis Bagli Holmum trajecerunt, tertio ad Agdanesum devecti sunt, quotquot nancisci potuerant militibus ex oppido deportatis. Meridiem versus secundum litora cursum dirigentes copias evocarunt, et quicquid nancisci poterant hominum abduxerunt[6]. Hakon dynasta, ut primum has res cognoverat, iter ab austro comparavit, sed Stadum prætervectus, navem remis scopulo illisam fregit; eo loco quindecim homines periere. Ceteræ naves advectæ homines[7]

---

[1]) Gudolvus Blakkastadensis ac *sui* unam, *add. F.* [2]) tres alias, J. [3]) aliquot celoces Baglorum, *F.* [4]) *omitt. F, J.* [5]) *at fórnaði] vox mihi ignota; putavi legendum fornaði, quam obsoletam vocem expressi Undalinum secutus; at auk*, præterea, J; *omittit has duas voces F.* [6]) mox boream (?) versus ad Stimum remigarunt, *add. F.* [7]) resque, *add. F.*

mari extraxerunt[1]. Cum dynasta Stimum prætervectus esset, cursu publico ferebatur. Tunc ad Markarholmum classis Baglorum stabat, qui, conspectis in cursu navibus, boream versus remigarunt intra Langeyarsundum, hostem cursu interclusuri. Dynasta, classe in Sveggjadarsundo[2] appulsa, cum naves Baglorum conspexisset, se tantæ multitudini imparem sentiens, boream versus in sinum ad Hamrasundum usque remis provectus est. Quos cum Bagli insequerentur, Birkibeini cursum Ædeyam versus dirigentes, vento ab occidente spirare cœpto, velorum beneficio effugerunt, Bagli vero reversi sunt. Dynasta boream versus contendit, Bagli autem Bergas profecti sunt. Tenebant arcem Svertingus, Thorer Brasius[3], Ivar Gusius, Erikus Maxius. Bagli interdiu in oppido versabantur, noctu in navibus quiescebant, copias bene magnas habentes. Ormus Longus Bergas ab oriente venit, adducens Margaretam regis filiam, uxorem Philippi ab Vegine. Is post paulo cum commilitonibus[4] Benedicti Gumanesensis, qui ab oriente quoque nuper advenerat, excubias habuit; hi cum cohortibus ad Bakkum egressi, vigilias ibi agebant. Quos conspicati oppidani, ex loco superiore impetum in eos fecerunt, Baglis pedem referentibus; eo loco cecidit Ormus Longus. Bagli, qui sæpius seris vesperibus arcem oppugnare sunt adorti, partim vulnerati, partim pulsati, partim occisi sunt.

De Hakone dynasta.

13. Hakon dynasta tempore vigiliarum iter a borea comparavit; eo vero tempore ingentis magnitudinis naves in Emporio fabricari cœptæ. Dynasta, ut paratus erat, solvit, quinque naves

[1]) eodem loco navis relicta est, *add. F.* [2]) Sneggjardalsundo, *F.* [3]) Bragius, *F.* [4]) suis et, *add. F.*

longas, tredecim celoces ducens. Cum Stadum prætervectus ad Hindeyas appulisset, navibus majoribus ibi relictis, fortissimos militum secum habuit, Andream Dritljodum[1] misit, qui naves majores in Thrandheimum reduceret, ipse cum celocibus austrum versus contendit. Duæ celoces Baglorum in (freto) Mjadmarsundo[2] stabant, gubernatoribus Martino Soddio ac Kolbeine Smjörredo. Dynasta classem a borea in pelagus Sognense remis propulit, Baglis austrum versus remigantibus; quos Birkibeini incitata navigatione per Keilostromum persecuti sunt. Kolbein navem in scopulum incitavit, quæ celox a classiariis dynastæ capta, maximaque vectorum pars interfecta; Martinus Soddius famam de adventu hostium[3] pertulit. Dynasta ad Haeyas appulit, insequenti nocte in Arnarfjordum remigarunt, armamenta navium in sylvam asportata occultarunt, quo facto austrum versus per montem transierunt, alteraque nocte Bergas pervenerunt. Bagli omnes aditus militibus suis occuparant: rex in cœmeterio ædis Mariæ erat; in Copuro a superiori parte per domuum intervalla crates constitutæ erant, intra quas magna erat multitudo propugnatorum. Dynasta et Philippus Veginensis supra ædem Nicolai constiterant, magna cohorte stipati. Mane sequentis diei inito colloquio, Birkibeini, invitantibus Baglis, ut in oppidum descenderent, responderunt, jentaculum suum in oppido esse, proindeque sese descensuros. Bagli amplius quatuor et viginti centurias habuerunt armis bene instructorum, Birkibeini vero septingentos viginti armatos; hi duo signa habuere, quorum alterum sequens Petrus Steyper, a parte superiore adversus dynastam

[1]) Dritskitum et Benedictum Thjovum, *F*, *J*. [2]) Mjadarsundo, *F*. [3]) eodem vespere, *add*. *F*.

se vertit. Hakon dynasta ad Copurum descendit. Philippus dynasta, collatis signis, extemplo fugiens in oppidum descendit et per plateas recessit. Hakon dynasta ac sui crates diruperunt; tum Bagli gradum subito retulerunt. Ceperant in Emporio Bagli Thorfinnum cornicinem et tubam, Andvakam dictam, quæ regi Sverreri fuerat. Hic cum rex Erlingus Thorfinnum tubicinem descendente dynasta inflare tubam jussisset, ille nullum reddere sonum tuba potuit, unde bellicum siluit. Itaque, Birkibeinis præter domos descendentibus, cum nullus defensioni locus esset, omnes præcipiti fuga se abripuerunt. Cum vero Erlingus ad ædem Mariæ devenisset, Thorfinnus tubicen eum alloquitur: domine, inquit, incurramus in ædem. Tacuit rex, neque ingressus est. Thorfinnus multique Birkibeini in ædem incurrerunt; dynasta vero in cœmeterium descendente, Birkibeini ex æde egressi ad eum transierunt. Tum Thorfinnus Andvakam [ita inflavit, ut quisque murus lapideus resonaret[1]. Mox fugientibus deorsum præter ædem Laurentii[2], tanta extitit coarctatio irrumpentium per portam cœmeterii, ut aliis super alios coacervatis ingens fieret prostratorum cumulus[3]. Supra ad ædem Laurentii cecidit Thordus Dokka, Benedictus Gumanesensis, Gunnius Longus[4]. Birkibeinis cumulum prostratorum concidere adortis, aliquis locutus est: ne cædamus, inquit, jam enim hi nostri sunt; quo dicto ab cædendo destiterunt. Tum Bagli pro se quisque in pedes exsilire; atque ita multi evaserunt, multis tamen cadentibus. Bagli in naves excurrerunt, Birkibeini

[1]) pro lubitu inflavit, *F.* [2]) præter Miklagardum, *J;* ædem Christi et Miklabæum, *F.* [3]) Hakon dynasta in pontes evasit, *add. J*; dynasta superatis tectis per cœuacula in pontes graviter vulneratus descendit, *add. F.* [4]) aliique, *add. F.*

vero in pontes decurrerunt, raptisque retinaculis naves attraxerunt, Baglis defendentibus et utrisque omne telorum genus ingerentibus. Bagli, cum præcisis retinaculis naves solvissent, multos suorum natantes exceperunt, confestimque in sinum navigarunt, alii ad pontem Monachorum deflexerunt, suosque ex oppido fuga elapsos receperunt. Inde Bagli[1] cursum boream versus secundum litora direxerunt, et Arnarfjordum remis intrarunt. Birkibeini, quos eo loco custodes reliquerat dynasta[2], extemplo in sylvam aufugerunt, conspectis Baglorum navibus; [unde hostes naves ceperunt, et omnia ferme armamenta invenerunt[3]. Inde statim [eadem nocte[4] boream versus remigarunt, [præfecto Philippo Veginensi[5]. Birkibeini, quibus datum negotium erat, ut naves grandiores boream versus deducerent, inertiæ nimium indulgentes boream versus præter Stadum remigare noluerant, atque in (insula) Silda hæserant, ventum secundum exspectantes, actuaria sex remorum in Ulvasunda ad austrum speculatum missa. Qui (speculatores), conspecta classe ab austro adventante, boream versus remigarunt, suisque significarunt, quatuordecim[6] celoces a meridie ferri, quas austrum versus ab dynasta ductas agnovissent. Illi raptim detensis navium tentoriis in sinum remigarunt[7], hostesque adesse intelligentes ad Moldafjordum versus remis contenderunt, celocibus acri remi-

[1]) e sinu, *add. F.* [2]) summa celeritate naves exciderunt, *add. F;* armamenta celoeium occultarunt, navesque corruperunt, *J.* [3]) et se abdiderunt; Bagli vero advecti subductas naves refecerunt, pars in sylvam excurrerunt armamenta quæsitum, quorum pars maxima inventa est, *F.* [4]) *omitt. F.* [5]) navibus majoribus in Vikingavogo remanentibus, *F.* [6]) tredecim, *F.* [7]) tum statim animadvertunt, illos cursum ad se insequendos flectere, itemque clypeos ad proras non esse dispositos, *add. F.*

gio insequentibus. Ut vero Birkibeini terram attigerunt, citato cursu escenderunt, quidam in mare se ejecerunt. Mox Bagli superveniunt[1]. Cecidit hoc loco Andreas Dritljodus et ad ducenti quadraginta homines. Bagli naves cum omnibus rebus ceperunt, ingentique præda potiti sunt, et meridiem versus reversi regem in Vikingavogo convenerunt.

De Hakone dynasta.

14. Hakon dynasta, cum cognovisset, Baglos boream versus cursum direxisse[2], Bergis extemplo profectus, trajecto Borgarskardo in Ostrarfjordum descendit, inde [boream versus[3] per Rodafjallum contendit, [neque prius destitit, quam pervenisset[4] in Thrandheimum, ubi regem Ingium convenit. Tum Bagli, Bergas reversi, ibidem aliquantum temporis sunt commorati. Hic copias diviserunt: Philippus orientem versus naves majores duxit, rex naves vigintitranstras[5] multasque minores ducens, boream versus in Stimum profectus in Frekeyarsundo stetit, missisque in Mæriam borealem celocibus, res ad bellum necessarias, milites et commeatum, imperavit, [quod ei visum est militum elegit[6], totiusque oræ maritimæ vectigalia redegit. Enavigatis (fretis) Sodungsundis borealibus[7], quæ transire viro regiæ dignitatis nefas existimatum est, paulo ante festum jolense Tunsbergum pervenit, ubi convivium jolense celebratum. Post festum jolense Philippus dynasta, naves vigintitranstras compluresque minores ducens, in regni

---

1) qui subito escensione facta hostes persecuti sunt, *add F.* 2) veritus, ne rex eos necopinantes opprimeret, *add. F.* 3) in Vorsiam deindeque, *F.* 4) cumque Leradalum in Sogno descendisset, per Valdresiam, Gudbrandsdalos montemque Dovricum descendit, *F.* 5) navem 20transtram, *F.* 6) austrumque versus profectus est, *F.* 7) *omitt. F.*

partes boreales profectus, Bergas venit. Eo tempore rex Erlingus navem longam, alteram Reidar, tertiam Philippus instituendas curarunt. Quæ naves antea in Norvegia factas magnitudine multum superarunt: hic bini columbariorum versus inter interscalmia sentinæ exhauriendæ, remi superioris ordinis viginti cubitos longi, tentoria velandarum navium latitudinem viginti quinque cubitorum requirebant, octoni viri ad dimidium quodque interscalmium descripti; non nisi maximæ staturæ viri, costis navium insistentes, securi bellica ad constratum pertinere potuerunt. Post festum jolense haud multo rex Erlingus in morbum incidit, et[1] mortuus est. Cujus mors aliquamdiu celata; funus primo per septem dies in cubiculo servatum, [dein ad ædem Olavi deportatum ibidem mansit. Tum celox boream versus ad dynastam missa[2], præfecto Olavo Thoræ filio, qui dynastæ Bergis convento rem aperuit, vulgo autem palam factum, regem Danorum eum velle conventum. Dynasta sub tempus jejunii Tunsbergum venit; tum mors regis palam declarata, funus regis in æde Olavi sepultum, muro que lapideo boreali extra altare[3] inlatum. Tum Philippus dynasta suscepto imperio factionis copias continebat, tempusque jejunii Tunsbergi agebat. Erlingus Steinveggus duo filios, Magnum et Sigurdum, reliquerat. Sigurdus tunc quatuor annorum erat, cujus se patrem Erlingus professus fuerat; Magnus octo annorum, cujus paternum genus cum Erlingus gestando ferro probari jussisset, hujus[4] filius vulgo appellatus est. Dynasta, comprobantibus militibus, significavit, filios Erlingi bonam præbere eligendi successoris facultatem. Crebræ literæ mittebantur inter epi-

[1]) cum fere unam hebdomadem æger jacuisset, *add. F.* [2]) *omitt. F.* [3]) chorum, *J.* [4]) regius, *F.*

scopum Nicolaum et Philippum dynastam, qui quoque assidue clandestina consilia cum colonis, maximeque cum potentioribus, habuit. Dimidio mense post[1] festum paschatis Bagli, ductis secum Steinveggi[2] filiis, cum omnibus copiis Borgam trajecerunt; inde comitia Borgensia indicta; aderat eo episcopus Nicolaus. Comitia in cœmeterio ædis Mariæ habita. Episcopus in æde se continebat, unaque cum eo omnes coloni, qui quidem potentissimi essent plurimumque auctoritate valerent; coram his verba fecit, eosque omnes ad suam sententiam de eligendo rege perduxit. In comitiis Reidar[3] verba fecit, ostendens, [necesse esse[4], factionis aliquem principem creare: cujus rei bona nobis facultas est; adsunt enim duo filii Erlingi Steinveggi[5], ex quibus qui[6] militibus magis fuerit acceptus, hunc creare regem licet. [Hæc cunctis approbantibus dicta[7]. In æde erant potentissimi[8] coloni, penes quos summa erat auctoritas. Qui [ex æde arcessiti[9] cum in comitia venissent, unus[10] sermonem orsus hunc in modum verba fecit: verum est, inquit, postulare necessitatem, ut [uno omnes consensu[11] principem eligamus[12]. Nos coloni jam hac de re consilia contulimus, et judicamus, in pueros non cadere tam difficilis negotii administrationem, sed opus esse viro, qui et prudentia valeat et usu gerendi imperii sit exercitus jurisque civilis peritus. Scilicet hunc regem

---

[1]) ante, *F.* [2]) regis Erlingi, *F.* [3]) legatus, *add. F.* [4]) quantum in rege damnum fecisset: neque vero eo minus necesse est, inquit, *F.* [5]) regis, *F.* [6]) colonis aut, *add. F.* [7]) Ad hæc nulla responsa ab colonis data; nam, *F.* [8]) *omitt. F.* [9]) reclusa æde egressi, *F.* [10]) in primis colonorum, J. [11]) *omitt. F.* [12]) factionis, magnam enim et militum et navium copiam habemus, et vero magnis opibus opus est adversus Birkibeinos, si quid proficiemus, *add. F.*

volumus, in quo nobis aliquid præsidii sit. Neque hac in re nobis obstat fortuna; habemus enim in manibus principis eligendi facultatem, dynastam dico, regis Ingii Haraldi filii ex sorore nepotem, regis[1] post hominum memoriam optimi: qui cum morum probitate[2] spectatus sit, ei regium nomen, si velitis, dabimus. Tum Lodin Stallarius: penes vos colonos arbitrium quidem est regis eligendi, sed [maxime cupiunt milites alterutrum ex filiis Erlingi, cui quidem studia hominum plus faverint, regem creari. Cui coloni[3]: si, quem nos volumus, jubere regem non velitis, nullum jubebimus, neque ulla re vobis subjecti erimus. [Quem in locum deducta re, cum cernerent milites se his carere non posse[4], omnium consensu decretum est, ut sententia colonorum valeret. Erlendus ab Husabæo ex Heggna regium nomen Philippo dedit, quo facto alius ex colonis surrexit, eique sumtus bellicos, remigium apparatumque classicum decrevit. Inde ad naves descensum. Postero mane Tunsbergum revecti[5], sedecim[6] celoces boream versus miserunt, præfectis Arnbjorne Jonis, Endridio Hegrio, Nicolao Botolvi, Arnthore Foka, Gyrdo Bentenis. Hoc tempore Philippus Vegiuensis gangræna[7] correptus, cum brevi æger jacuisset, mortuus et in æde Olavi sepultus est.

De Birkibeinis et Baglis.

15. Eodem vere Birkibeini iter a borea

---

[1]) in Norvegia, *add. F.* [2]) ac prudentia, *add. F, J.* [3]) convenit, credo, inter milites, ut filiis Erlingi regis potissimum obedire velint. Quo ab omni multitudine affirmato et comprobato, unus post alterum surrexit et verba fecit, inquientes, *F.* [4]) Cum multi, qui se huic factioni implicaverant, intelligerent, distracta factione nullam sibi spem veniæ a Birkibeinis fore, *F.* [5]) ibique aliquantisper morati, *add. F.* [6]) tredecim, *F.* [7]) brachii, *add. F.*

comparabant, ingentes habentes naves, quas in Emporio fabricandas curaverant; ex quibus tres trigintatranstris majores erant[1], multæ vigintitranstræ. Magno collecto militum numero austrum versus Bergas profecti sunt. Inde quatuordecim celoces, præfectis Thorsteine Gemscre[2] ac Svene Næpa, meridiem versus speculatum miserunt, rege ac dynasta cum navibus majoribus in Hvitingseyas usque subsequentibus. Bagli ab oriente profecti ad Seleyas appulerunt. Hic cognoverunt, Thorgilsem Fudendum in Veggis[3] versari, magnamque commeatuum copiam contraxisse. Leniter forte spirante vento borea, mane diei sub[4] ortum solis septemtrionem versus remigarunt, quod omnes naves ad Hitras convenirent. Huc medio mane (circa hor. 6. a. m.) pervenerunt, Arnthor vero [borealem insulæ partem circumvectus[5], cum ostium fluminis præterveheretur, a duabus celocibus Birkibeinorum subito portu evolantibus impetitus est. Qui reflexo cursu cum ope velorum, [quibus per unum milliare maritimum uti licuit[6], elapsus esset, Birkibeini[7] ad boreale latus Hadyri[8] deflexerunt. Bagli per interiora ad Soknam remigarunt, totamque classem in fluvio constituerunt. Hinc tres celoces boream versus speculatum miserunt, quæ cum in Selvogos pervenissent, cognoscunt, Birkibeinos duodecim celocibus vectos in Ekundasundo stare, quare Hadyrum a borea circumflectunt. [Tum vident Birkibeinos quatuordecim celocibus a borea ferri, unde cursum reflectunt, insectantibus Birkibeinis[9]. Fuga Baglo-

---

[1]) quædam vero viginti quinque transtrorum, multæque celoces et, *add. F.* [2]) Gango, *F.* [3]) in Sokna ad boream, *add. F.* [4]) ante, *F* [5]) *omitt. F.* [6]) remorumque, *F.* [7]) aliquot viros miserunt (?), sed conspectis celocibus a meridie adremigantibus terga verterunt et, *add. F.* [8]) Haeyræ, *h. l. et infra F.* [9]) *omitt. F.*

rum ab excubitoribus animadversa, Arnbjorn[1] classem ex flumine eduxit, signumque suum[2] sustulit. Quo viso Birkibeini, adesse eo loco rati Baglianæ classis robur, boream versus remis refugerunt, Baglis persequentibus. Quos effugientes Birkibeini in Svavovika relictis navibus in terram excurrerunt, itemque Bagli, qui eos[3] insectati sunt. Birkibeinos complures classiariorum militum fuerant secuti, quorum magna pars cecidit; cecidere Sven næpa et Erlendus Thjovakappius; pars pace donata. Bagli omnibus navibus potiti, confestim orientem versus cursum converterunt, cognitoque, classem Birkibeinorum ad Hvitingseyas stare, interdiu noctuque Tunsbergum contenderunt[4]. Birkibeini autem boream versus profecti regem, qui naves majores adduxerat, in Hvitingseyis convenerunt.

De navibus a Baglis relictis.

16. Post paulo Bagli classem celocium triginta[5] quinque, præfectis Nicolao Listiensi, Erlingo Vikure, Ormo ministratore, Knaro Hatspjara[6], ex oriente adornarunt. Delatis ad Helgasundum cum speculatores a borea venientes significarent, Birkibeinos a borea Jadarem[7] prætervectos esse, Nicolaus renavigandum existimavit, sed contra dicente Ormo totum diem in vesperam eodem loco exspectarunt. Insequenti nocte orientem versus navigarunt, proximoque mane ad Portyriam appulerunt. Hic spissa nebula omnia tenente Birkibeini ex improviso portum prænavigarunt, qua re Bagli maxima usi celeritate, refixis subito navalibus tentoriis, cur-

[1]) Jonis filius, *add. J.* [2]) signa sua, *J.* [3]) diu, *add. F.* [4]) rebus in hac expeditione gestis gloriati, *add. J.* [5]) viginti, *F.* [6]) qui celocem Arnbjornis gubernavit, *add. J.* [7]) Listiumque, *add. F.*

sum ex portubus orientem versus convertunt, sublatisque velis intra Orum indeque in sinum naves direxerunt. Tum Birkibeini sinum trajecerant; quos secuti Bagli ad Stavernum appulerunt. Birkibeini introrsum[1] in freta contenderunt, tribus celocibus, quæ Baglis erant, præcurrentibus. Bjorolvus[2] Batus, Eirikus[3], Bergus et Skæringus nuntium regi attulerunt, qui extemplo omnibus militibus in Hogos classico convocatis, [quid capere consilii vellent[4], interrogavit, utrum conscensis navibus cum Birkibeinis classe confligere, an oppido venientes exspectare, quanquam cum impari numero pugnaturi: et vero etiam reliquum est, inquit, ut[5] in mediterranea confugiamus, quam optimam esse rationem censeo. Tum Arnbjorn Jonis filius: tribus[6] conscensis navibus majoribus, hostes quam fortissime excipiamus, quæ, etsi numero copiarum inferiores simus, longinquiorem oppugnationem sustinebunt. Hæc ratio militibus bene placuit, quare ad naves descensum est, conscensaque navis magna[7], quam Philippus[8] fabricandam curaverat, quæ ceteras magnitudine superabat; cujus proram Arnbjorn cum sua manu defendebat[9]. Birkibeini, navibus ad Rossanesum appulsis[10], armatura se induerunt, cumque parati essent, remis in hostem ferebantur. Qui cum intra jactum teli venissent, [Bagli fugam capessiverunt[11], et ex oppido aufugerunt, indeque per (collem) Frodasum contenderunt, nullo suorum amisso, præ-

[1]) extrorsum, *F.* [2]) Bjorgolvus, *F.* [3]) balneator, *add. F.* [4]) *omitt. F.* [5]) conjunctis copiis, *add. F.* [6]) *omitt. F, J.* [7]) maxima, *F.* [8]) Veginensis, *add. F, J.* [9]) regia cohors puppim totabatur, *add. F, J.* [10]) prælii committendi rationem præceperunt et, *add. F.* [11]) Birkibeini (*rectius* Bagli) per pontem puppi adjunctum in ceteros pontes procorrebant. Naves vero, qoi pootes undique præjacebant, escensum Birkibeinorum retardabant, *F.*

ter unum, nomine Thorbjornum Skevum[1]. Birkibeini omnibus navibus[2] potiti sunt, magnaque alia præda, [Bagli enim abitum tumultuarie properarant[3]; iidem eo loco aliquantum temporis sunt commorati. Decretum fuerat, antequam Bergis exissent Birkibeini, ut Dagfinnus[4] arcem teneret. Is præsidium ducentorum et quadraginta militum postulavit. Dicentibus quibusdam, non necesse esse, ut tanto propugnatorum numero arcem defenderet, Svertingus pollicitus est, se arcem centum et viginti militum præsidio tuiturum. Quæ accepta conditio est, sic ut ille cum Ivare Boddio[5] et Erlendo Slidrio defensionem loci susciperet. Bagli, qui classem celocium duxerunt, cursu boream versus secundum litora directo, cum cognovissent, adventare a borea Birkibeinos, duabus celocibus vectos, præfectis Olavo, fratre Jörundi, et [Olavo Smjormagio[6], qui præfecturam Agdarum occidentalium tenebant, in has inciderunt, alteriusque vectores in Thrymlingas, alterius ad Flosturgavlum in terram expulerunt, plurimos propugnatorum interfecerunt. Nicolaus Listiensis utrumque Olavum vita donavit. Quo animadverso, milites eos aggressi interfecerunt. Quibus confectis rebus Bagli boream versus pergentes, cum Jadarem præterveherentur, inciderunt in navem mercatoriam Anglicam, quam diripuerunt, magnaque præda potiti sunt; alteram navem, item mercatoriam Anglicam, ad Karmtam ceperunt. Hinc Bergas perrexerunt[7], cumque oppido[8] adremigarent, divisis copiis, alii ad Tolovikam[9] appulerunt, alii

[1]) unum ex classiariis, *add. F.* [2]) tam iis, quas rex in emporio faciendas curaverat, quam quas Bagli construi jusserant, *add. F.* [3]) *omitt. F.* [4]) præfectus, *add. F.* [5]) *omitt. F.* [6]) altero Olavo, *F.* [7]) nunciatum est eis, paucos in arce milites esse, *add. F.* [8]) a meridie, *add. F.* [9]) Tenlovikam, *F.*

extra ad Borgam[1] subierunt, quo facto utrique arci successerunt. Birkibeini contra[2] procedere, Bagli oppugnare. Cum vero rari essent propugnatorum ordines, Birkibeini ex muris repulsi in mediam arcem se receperunt. Bagli [conscensis muris arcem exteriorem expugnarunt[3]; cum vero intelligerent, re ita comparata non posse mediam arcem expugnari, arcem exteriorem (propugnacula exteriora) inflammarunt, castellumque suis occuparunt; cumque Birkibeini inopia aquæ laborarent, Bagli observarunt, ne ex arce elabi possent. Sic utrique eo loco se aliquantum temporis continebant. Rex Philippus ac milites, qui compulsi in terram Tunsbergi fuerant, mediterraneo itinere per Uplanda profecti in Sognum descenderunt. Hic cum cognovissent, suos Bergis adsidere, milite in naves imposito, austrum versus Bergas contenderunt. Birkibeini, inopia aquæ confecti, pacem petierunt, arcem dedituros polliciti. Quibus rex Philippus pacem concessit, itemque, ut singuli res suas sibi haberent, quæ regi essent, ea militibus dividerentur. Dedita arce exeuntes singuli jusjurandum dixerunt, se non plus quam ipsis esset efferre. Erat in arce Kristina, regis Sverreris filia, Skulius, frater regis Ingii, Margareta, uxor Dagfinni, Gudrida[4], uxor Thorsteinis Heimnesii[5], et in universum feminæ quadraginta. Sic Bagli arce potiti, præter magnam copiam cibariorum parum nacti sunt[6]. Die Jovis arcem inflammarunt, die Veneris sub vesperam arcem diruere adorti totum diem Saturni in opere perseverarunt. Tum

---

1) rupem, *F.* 2) in muros arcis, *add. F.* 3) *upp á útveggina* (*inn í borgina*, F.) *ok unnu hana*] puto legendum *inn í útborgina ok u. h.* 4) Jonis filia, *add. F.* 5) Gemi filii, *F.* 6) die lunæ rex in oppidum venit: die Martis homines ex arce descenderunt: die Mercurii arx explorata, *add. F.*

per speculatores certiores facti, Hakonem dynastam ab oriente adventare[1], totam classem in Floruvogos deduxerunt. Birkibeini omnes naves majores[2], quæ Tunsbergi erant, incenderunt*), Gullbringam secum abduxerunt. [Cum vero cognossent, Baglos boream versus navigasse, classem diviserunt: rex cum navibus majoribus remansit, dynasta boream versus profectus est ducens naves vigintitranstras et celoces minores[3]. Ventus a boreali plaga spirabat. Quem dynastæ adversum esse intelligentes, Bagli altero die hebdomadis ad Borgam revecti, universos oppidanos ad demoliendam arcem classico convocarunt; die Martis oppido relicto classem in Sundsvogo ad meridiem constituerunt. Die Mercurii austro[4] flante dynasta[5] a meridie navigavit. Quem Hardsæum ingressum conspicati Bagli, obviam remigarunt. Quos dynasta prælium commissuros ratus, vela contrahi jussit. Bagli autem, cum intra teli jactum venissent, cursu per transversum dato e sinu enavigarunt, [et insecutos remis Birkibeinos contento remigio effugerunt. Birkibeini[6] boream versus Bergas navigarunt; quo cum venissent, graviter [increpati sunt[7], qui arcem dediderant[8]. Dagfinnus magnopere hortatus

---

[1]) die dominica, *add. F.* [2]) *omitt. F.* *) et primo quidem maximas a Baglis constructas, Gestaskalpium et Lyrtam, *add. F.* [3]) ceterasque naves majores, dynasta vigintistranstras navesque minores ducente, *F.* [4]) vento adverso, *F.* [5]) cum suis, *add. F.* [6]) Birkibeini eos insecuti, tam prope celoces admoverunt, ut adjici telum posset, navibus longis tardiori remigio subsequentibus. Bagli itaque reversi sunt, celoces intercepturi, sed Birkibeini refugientes ad naves longas se recipiebant. Quare Bagli austrum versus remis cedentes insequenti vespera Salbjarnarsundom intrarunt. Birkibeini autem, nihil se profecturos intelligentes, sublatis velis, *F.* [7]) increparunt eos, *F.* [8]) facili negotio defendi potuisse dictitantes, *add. F.*

est, ut arx reficeretur; quo probato consilio, oppidani classico convocati, qui muros arcis [in dies[1] restaurarent. Venit in mentem dynastæ, fore, ut rex in Vikia versans minus sibi a præsidio paratus videretur; quam ob rem iter a borea comparat, Petrum Steyperem et Dagfinnum[2] arcis custodes proficiscens relinquit.

De rege Ingio et Baglis.

17. Rex Ingius Osloam Tunsbergo profectus est, quatuor naves ducens, Ognarbrandum, Gulbringam, duasque alias[3]. Hic paulisper moratus est. Baglis a borea proficiscentibus secundus adspiravit ventus. Qui cum in Thrymlingas venissent, cognoverunt, regem Ingium Osloæ versari; quare [intrato sinu ad Ormeyam appulerunt[4], regem oppressuri. Inde[5] ad Hofudeyam penetrant eo ipso tempore, quo homines in deversoria concesserant. Mox classicum in oppido sonuit, quo audito Birkibeini in naves suas excurrerunt, navesque ad ancoras retraxerunt. Tunc Bagli impetu in eos dato ancoralia præciderunt. Vento acrius spirante, naves majores ad Frysiam delatæ in limosis vadis omnes hæserunt, regia seorsim relicta. Tum Bagli audacter adgredi; utrique quicquid ad manum fuit telorum ingerere. Rex Philippus proxime hostes suam admoverat celocem, quam cum injectis manibus ferreis Birkibeini attraherent, rex cum omnibus copiis in mare descendit: [6]octo homines periere, rex suique omnes, natando salutem quærentes, e mari extracti. Tum Bagli abscesserunt et ad oppidum remigarunt, ubi sumtas quinque onerarias lignis, libris betularum et

[1]) *omitt. F.* [2]) præfectum, *add. F.* [3]) majores, *add. F.* [4]) continuato cursu Tunsbergum non accesserunt, sed Ormeyam intra Jarlseyam appulerunt, *F.* [5]) pernavigato sinu, *add. F.* [6]) septem sive, *add. F.*

stipula onerarunt, ignem subjecerunt, hasque æstu ad naves deferri fecerunt[1]. Quæ, cum Birkibeini projectis longuriis ignem advertissent, in limosa litorum delatæ sunt. Bagli[2] proxima vespera ad Hofudeyam remigarunt. Tum cessavit venti vis, maris autem accessu naves Birkibeinorum aquis innatarunt; tum illi in oppidum remigarunt, et per noctem in ancoris steterunt. Insequenti mane Bagli id consilii ceperunt, ut Tunsbergum profecti naves mercatorias caperent, eoque facto Birkibeinos aggrederentur, æquisque viribus fortunam prælii experirentur. Itaque ibi duas mercatorias grandiores, septemque naves in mare Balticum mercandi causa excurrere solitas ceperunt, quas, demtis pluteis lateralibus, columbariis instruxerunt, transtraque constrato munierunt; saxisque (suburræ loco) impositis in sinum provecti sunt. Eo tempore Birkibeini ex sinu interiori navigabant, Baglis ex adverso tendentibus, qui[3], Birkibeinis intra teli jactum progressis, in transversum deflexo cursu hostes longo spatio relinquunt. Birkibeini in Marfjordo ad terram appulerunt; hic in ancoris steterunt, Bagli vero ad pontes. Birkibeini, inopia aquæ laborantes, postero mane navibus admotis inclamarunt, et Smjorkii cognatum[4] ex portu decedere[5] jusserunt. Tum Bagli ex portu decesserunt et proras ad promontorium applicuerunt. Birkibeini orientem versus revecti, ad Stavernium appulsis navibus[6], iterum ad ancoras steterunt. Secuti sunt Bagli, eodem ut antea even-

[1]) ipsique remigio subsecuti sunt, *add. F.* [2]) rem frustra esse intelligentes ad oppidum se converterunt, et, *add. F.* [3]) quibus visis Birkibeini recta in eos tendunt, Bagli vero, *add. F.* [4]) i. e. pronepotem Smjorkarii, nempe Philippum dynastam. [5]) rege accedente, *add. F.* [6]) ibi alteram noctem transegerunt et, *add. F.*

tu[1]. [Postero mane[2], cum utrique in terra constituti essent, naves conspicati sunt ab occidente per Grenmarum ferri, non pauciores triginta. Hic Bagli, dynastæ adventum timentes, murmurare[3]. Quibus Birkibeini: quid rei est, Bagli, [ecquid in cursu videtis? agite, quieti simus[4], omnesque una versemur, tædii depellendi gratia. Bagli, se exorari non passi, sublatis velis orientem versus per Foldam (sinum Foldensem) navigarunt, appulsisque ad Astisholmos[5] navibus, ibidem aliquot noctes jacuerunt. Conspexerant autem vela onerariarum[6]. [Paucis post diebus dynasta a borea adveniens regem convenit; qui, universa classe Tunsbergum ducta, ibidem per autumnum commorati sunt[7]. Bagli, novis initis consiliis[8], navigarunt [primo mane, et pervenerunt[9] sub vesperam in Thrymlingas, ubi complures onerarias a borea advectas nacti, cognoverunt, dynastam orientem versus navigasse, itemque, Petrum Steyperem et Dagfinnum Bergis esse, in reficienda arce occupatos. Dagfinnus quidem, qui eo tempore provinciam Hordiæ teneret[10], omni studio exstructionem arcis urgebat; sed Petrus rem omnino neglexit, ad ædem Johannis, ubi Ingibjarga[11] uxor sua agebat, assidue hærens. Ipse quoque Hakon dynasta [ad arcis exstruendæ laborem remissior fuit[12]. Bagli summa celeritate boream versus contenderunt; ubi in Eldeyarsundo stetissent, sub vespe-

1) sie ut Birkibeini navea suas in portu constituerent, Bagli vero relicto portu ad promontorium starent, *add. F.* 2) *omitt. F.* 3) magnopere metuere, *F.* 4) eur tantopere trepidatis? *F.* 5) Astussholmos, *F.* 6) Bergis adventantium, Tunsbergumque tendentium, ubi per autumnum insequentem moratæ sunt, *add. F.* 7) *ab* [*omitt. F.* 8) boream versus in Agdas proficiscendi, *add. F.* 9) *omitt. F.* 10) quam provinciam, dum arx stetit, retinuit, *add. F.* 11) regis filia, *add. F.* 12) ab exstruenda aree abhorrebat, *F.*

ram solverunt, nocteque tota in remigando consumta ante lucem ad oppidum pervenerunt, illico escensione facta partim in oppidum per plateas, partim supra oppidum excurrerunt. Dagfinnus cum sua manu in arce constitutus, irruentes in oppidum extemplo animadvertit, canique classicum jussit. Birkibeini, qui in oppido erant, ad arcem contendebant, sed [interventu Baglorum repulsi[1], undecim viros amiserunt. Petrus[2] cum sua manu ex oppido aufugit. Bagli arcem obsidentes lucem exspectarunt; ubi vero illuxerat, aggressi Dagfinno pacis conditiones tulerunt. Qui cum sibi nihil opus pace esse ostenderet, acriter oppugnari cœptum est. Birkibeini se fortiter ac viriliter tuebantur[3]. Tum Bagli ignem arci injecerunt; quo facto Birkibeini fumo[4] ac lassitudine pæne exanimari, gravibus quippe vulneribus omnes confecti. Eo loco viginti quinque homines erant. Quibus cum Dagfinnus pacem peteret, Bagli responderunt, tunc pace non magis opus esse, quam mane proxime præcedenti. Tum scalæ, templi cujusdam usibus destinatæ, ex oppido allatæ arcique admotæ, quibus adscendebant (in arcem). Quo facto Dagfinnus puerum Hakonem, regis Hakonis[5] filium, fune demisit, orans ut vita[6] donaretur, demisso simul ornato gladio, quem Gyrdo Skjalgo, affini suo, misit. Gyrdus utrumque simul accepit, puerum et gladium. Cui Dagfinnus: adi ad regem, et experire, an pacem nobis impetrare queas. Gyrdus sic fecit, pacemque ab rege in gratiam Dagfinni petiit, omnia sua bona invicem pignori op-

[1]) serius advenientes, *F.* [2]) audito bellico, *add. F.* [3]) quorum iidem semper periculo se objecerunt, cum Bagli vices alternarent, fessisque novi integrique succederent, *add. F.* [4]) æstu, *F.* [5]) Sverreridæ, *add. F.* [6]) *add. F.*

ponens[1]. Tum rex, concione militum classico convocata, Baglos[2] pacis concedendæ auctores esse jussit. Universi concessuros negarunt. Gyrdo nihilo secius in orando perseverante, rex: itaque i, solumque Dagfinnum huc descendere jube, ut vita donetur. Quod cum Gyrdus Dagfinno significasset, ille: nolo, inquit, donari vita, nisi universis concedatur. Hæc Gyrdus regi retulit. Tum rex milites oravit, ut pacem obsessis concederent, ostendens: occidendo paucos homines jam misere afflictos, nullam gloriam consecuturos. Itaque his pax concessa, ea lege, ut sine armis et sagis exirent; solus Dagfinnus cassidem chalybeam capite gerebat. Qui cum in aream domus episcopalis descendissent, in verba regis jurarunt. Postridie [tota arx diruta, singulique lapides amoti[3]. Bagli, dimidium mensis in oppido commorati, boream versus in Thrandheimum profecti sunt, ubi Philippus comitiis Eyrensibus rex creatus est. Eo tempore tanta fuit in Thrandheimo caritas annonæ, ut[4] post initium hiemis [oras meridionales relegere[5] cogerentur. Tum celoces meridiem versus speculatum miserunt, præfectis Biorgolvo Bato, Birgere Stangensi, Brynjolvo Nevo[6]; cognoverant enim, Petrum[7] Stavangriæ versari. Bagli, appulsis ad Mostriam navibus, resciscunt, Petrum Steyperem[8] in oppido non pernoctare, sed interdiu illic assiduum esse. Itaque in Hervilium versus exte-

---

[1]) seque nunquam postea adversus eum arma laturum pollicitus est. Adveniens Arnbjorn Jonis filius multa verba (ad pacem svadendam) interposuit, *add. F.* [2]) milites, *F.* [3]) Bagli omnes milites classico ad diruendam arcem convocarunt; tum singuli lapides locis suis effracti sunt, *F.* [4]) tantam hominum multitudinem ibi alere non possent, et, *add. F.* [5]) Bergas repetere, *F.* [6]) et Skæringo, *add. F.* [7]) ac suos, *add. F.* [8]) ignarum sui ex borea adventus, *add. F.*

riora remigant, ubi adverso vento detenti quatuor noctes hæserunt. Inde[1] austrum versus in fretum Fjorbyrjæ remigarunt et sinum interiorem intrarunt. Petrus Steyper cum cohorte sua ad sacra antelucana iverat, sacrisque matutinis intererat. Nix tam densa forte decidit, ut adventum Baglorum non prius animadverterent, quam navibus egrederentur. Quos conspicati Birkibeini, Petro nunciant; ille vero extemplo excurrit, maximaque usus celeritate ex oppido aufugit, suique item omnes[2]. Insecuti Bagli novem[3] homines occiderunt. Hostes fugienti Petro adeo institerunt, ut tunicam zonamque abjicere coactus sit; zona a Baglis non reperta, tunicam vero domum secum in oppidum retulerunt. Regis filia[4] Petrum cecidisse crediderat, cum ei verus nuncius allatus est[5]. Bagli nocte ibi transacta Bergas redierunt.

De rege ac dynasta.

18. Rex et Hakon dynasta[6] ex Vika profecti, paulo ante festum jolense in partes boreales pervenerunt. Cum diu[7] in Seleyis detinerentur, Bagli, cognito [adventu Birkibeinorum*), ex oppido profecti in Bardarsundo pernoctarunt, dieque insequenti in Hvisvikam[8] remigarunt, vento a meridie flante. Tum Birkibeini[9] [velis vento datis[10] in Eldeyarsundo ad terram appulerunt. Hic cognoverunt[11], Baglos [ab australi Stordæ parte versari[12], quare[13] dynasta omnes

---

1) trajecto sinu, versus interiora ad Vadeyam intra Boknam et extra Utsteinum cursum direxerunt, indeque, *add. F.* 2) nam Petrus pernicitate pedum in primis valuit, *add. F.* 3) undecim, *F.* 4) i. e. Ingibjarga, uxor Petri. 5) eum salvum evasisse, *add. F.* 6) cum omnibus copiis, *add. F.* 7) per autumnum, *add. F.* *) Birkibeinos in Kormsundum advectos, *F.* 8) Hvistvikam, *F.* 9) Bagli, *F.* 10) *omitt. F.* 11) Birkibeini, *add. F.* 12) intra Stadum esse, *F.* 13) Hakon, *add. F.*

naves leviores austrum versus reduxit[1], appulsisque proxima vespera navibus ad Titolvsnesum cognovit, Baglos nondum prætervectos. Bagli insequenti nocte austrum versus remigarunt, rati Birkibeinos omnes una ad Eldeyarsundum stare, [atque eadem nocte ad Titolvsnesum remigando contenderunt. Arnbjornem cum quatuor celocibus præcurrentem speculator[2] Birkibeinorum animadvertens alta voce exclamavit: tentoria refigite, hostis adest. Baglis[3] mirum videri. Eo ipso momento celoces[4] ostia portus prælabuntur; conspicati ignes in terra, navesque ignium lumine collustratas, [naves ad portum versum remis circumflectunt[5]. Hic Bjorgolvus Batus eos inclamans: quid istoc hominum est, inquit. Interea Birkibeini, in tentoriis refigendis submittendisque malis occupati, nihil responsi dederunt. Bjorgolvo iterum tertioque inclamante, tandem aliquis: pax, pax, bone vir, inquit, brevi senties. Jam Bagli, Birkibeinos adesse pro certo habentes, alacri remigio ex portu evolant; eoque tempore tota classis eorum[6] ostium portus prænavigabat. Birkibeini eos insecuti tubarum sonitu omnia compleruut; Bagli nihil sibi ad celeritatem remigationis reliqui fecerunt. Tantæ erant tenebræ, ut alteri alteros non cognoscerent, navesque universæ conjunctis pæne lateribus ferrentur[7]. Bagli[8] per exteriora secundum litora remigarunt, Birkibeini cursum in sinum direxerunt; sic spatiis inter se disjuncti sunt, nescientibus Birki-

1) rege remanente, *add. F.* 2) *ab* [: Lavungsnesum prætervecti intrato sino ad Titolvsnesum appellunt, vento a terra spirante; Arnbjorn ac sui quatuor navibus vecti prope terram stabant, qui excubitores, *F.* 3) Birkibeinos non prope adesse opinantibus, *add. F.* 4) naves, *F.* 5) *omitt*, *F.* 6) Birkibeinorum, *F.* 7) et inter se colliderentur, *add. F.* 8) summa virium contentione oram appropinquare conati sunt, et, *add. F.*

beinis, quo cursum Bagli convertissent[1]. Tum Petrus[2] ad eos venit in Ekundasundo, celocem gubernans; quam cum remigio[3] in navem Reidaris Legati impelleret, aliquis Petri nautarum exclamans, „cur vos, scelestissimi, tota hac nocte cursum nostrum interpellatis", sublatum lapidem conjicit, virumque in anteriori navis Reidarianæ interscalmio sedentem percutit[4]: illi nihilo secius remigationem summo studio urgebant, neque a Petri nautis cogniti sunt. Reidar et Helgius Birgeris filius intra Mostriam remigarunt. Arnthor Foka boream versus reversus Teknafjordum intravit, quo loco in terram excurrerunt. Birkibeini portum ingressi sunt, ibique lucem exspectarunt. Sequenti mane Arnbjornem, fratrem Sorkveris Snapi, ad Vadilseyam in terram expulerunt, eoque loco quinque homines, in quibus Arnbjorn, interierunt. Inde cursu continuato boream versus Bergas pertenderunt. Bagli postero mane cum classe Hogasundum intrarunt. Tum advenere ad regem tabellarii episcopi Nicolai. Rex epistolas recitari jussit, quarum hoc erat argumentum, ut Birkibeini et Bagli pacem facerent, neutrique alterutris nocerent. Cum adpeteret tempus festi jolensis, Bagli, dispositis per Agdas copiis, ad festum celebrandum orientem versus Tunsbergum profecti, ibi hiemarunt. Præcedenti æstate episcopus Nicolaus boream versus in Thrandheimum profectus archiepiscopum Thorerem convenerat; inter quos convenit, ut omni studio in id incumberent, ut Birkibeini et Bagli pacem inter se facerent. Quam ob rem episcopo Nicolao orientem versus reverso,

[1]) ideoque cursum reflectentibus, *add. F.* [2]) Steyper, *add. F.* [3]) dirigendo, *F.* [4]) tum aliquis in nave Reidaris: quam possumus contentissime remigemus, *add. F., qui in his explicit, vacuo relicto plagulæ dodrante.*

missis ultro citroque tabellariis de pace agi cœptum. Proximo vere episcopus Nicolaus Tunsbergum ad Philippum profectus concilia cum eo habere cœpit. Hic rex: domine episcope, inquit, quo spectat ista, quam suscepisti, de componenda pace intercessio? Cui episcopus: domine, inquit, hujus principium est, ut, cum tres sitis summæ auctoritatis viri, quisque vestrum trientem regni habeat, et quidem tu, domine, Vikam et Uplanda, cum quibus Thrandheimus comparari minime potest, cum ibi fames maximaque difficultas annonæ sit, hic vero magna vilitas. Convenit inter me et archiepiscopum, ut Kristinam, regis Sverreris filiam, quæ amplissimis Norvegicis familiis orta est, uxorem ducas. Quod si dederit fortuna, ut filios ex ea procrees, futurum credo, ut familia Bardi Guttormi filii aut Folkvidi prætoris parci æstimetur. Diu nos non sine magna difficultate Birkibeinis restitimus; sed si primum hanc rem concedere velis, fieri potest ut me auspice plura alio tempore concedant. Quæ conditio grata regi acceptaque fuit. Inde episcopus, lectis viris comitatus, Bergas in boream versus proficiscitur, captatoque aditu ad regem Ingium Hakonemque dynastam, hanc rem eis proponit, his verbis usus: Philippus cognatus meus, me svasore, ab omni adversus te contentione desistere statuit; ejusdem animus inclinat, ut tecum affinitate jungatur, si velis ei Kristinam, regis Sverreris filiam, nuptum dare; et sane tibi, domine, magnum adferre præsidium poterit, quicquid postulare velis. Pauca in hanc rem rex et dynasta loquebantur, dicentes, nullam fore pacem, nisi Ingius solus rex Norvegiæ esset. Episcopus callide de hac re disseruit, argumenta in rem suam sensim sensimque proferens. Hoc potissimum inter

eos convenit, ut Philippus virginem duceret, si ipsi libitum esset, tantumque regni haberet, quantum Erikus dynasta, frater regis Sverreris habuisset, quoque rex Ingius vellet honoris titulo ornaretur. Quanquam episcopus Birkibeinis omnia, quæ polliciti essent, latius interpretari videbatur. Factum tandem est, ut in comitiis hac de re disputaretur, negotium procurante episcopo Nicolao. Birkibeini verba satis inimica jactare, silentium imperare, proditorem compellantes, moreque superioris perfidiæ uti dictitantes. Episcopus vero, quicquid loquerentur, nihil moratus est. Advenerat quoque a borea archiepiscopus, qui magno studio eo incubuit, ut compositio fieret. Quibus rebus factum est, ut conventus de pace Hvitingseyis condiceretur, quo utraque pars, ut et archiepiscopus et episcopus Nicolaus, conveniret. Hic proximo autumno convenerunt, Birkibeini ad Hvitingseyam, Bagli ad Noteyam stabant; mox, ultro citroque missis internuntiis, ipsi congressi sunt, Birkibeinis numero frequentioribus. Tum verba facientibus episcopis, pacisque conditiones, de quibus convenerat, pronuntiantibus, accidit quod usu sæpe venire potest, ut utrisque dicta sua aliorsum tracta viderentur. Tandem decrevere Birkibeini, ut Philippus regni partem haberet, non longius boream versus pertinentem, quam ad Rygjarbitum, neque longius in meridiem versus, quam ad Svinasundum: regium nomen deponeret, eumque haberet honoris titulum, quo eum donare rex Ingius vellet. Hæc compositio jurejurando confirmata. De cædibus hominum ab utravis factione patratis constitutum, ut neutri ulciscerentur, nev satisfactionem postularent; item de direptis bonis, utricunque diripuissent. Dein jusjurandum dixe-

runt, primo principes, rex Ingius, Hakon dynasta, Philippus, tum præfecti provinciarum et regionum, utrinque bis duodeni. Sic finita comitia, ut formula mutuæ pacis recitaretur, securitasque fide data præstaretur, præeunte Gunnare Grjonbako. Postridie ejus diei Philippus Kristinam regis filiam sibi despondit. Mox utriusque factionis homines, qui honoris titulo ornati bonorum expertes erant, murmurare cœperunt; quare id captum consilii est, ut insequenti vere expeditionem in Hebudas facerent opesque sibi pararent; cujus expeditionis societatem utriusque partis homines petierunt. Tum quoque novam rationem inierunt Petrus Steyper ac Reidar legatus, qui Margretam, regis Magni filiam, in matrimonio habuit; qui terram Hierosolymitanam adire constituerunt. His constitutis digressi sunt, Bagli in orientem versus, Birkibeini Bergas. Bagli Philippum, uti antea, regem salutarunt. Vere insequenti Philippus duas celoces Bergas misit, quæ Kristinam regis filiam deducerent, præfectis navium Eysteine Roii, Hamundo Busta, Grundio quæstore, quibus comitata regis filia orientem versus in Vikam concessit. Philippus nuptias suas Osloæ celebravit. Tunc eo ex Gothia advenit regina Margreta, quam rex Sverrer in matrimonio habuerat, filia regis Eriki Sancti, materque Kristinæ. Eadem æstate ex Birkibeinis Thormodus Thasramus, Thormodus Fylbeinus, Ospakus Hebudensis, ex Baglis Erikus Tovii, Erikus et Erlendus Pikus, Bergus Mullus, Nicolaus Gillius, duodecim navibus vecti, in Hebudas piraticæ faciendæ causa profecti sunt. Una post hieme Petrus Steyper et Reidar, duabus vecti navibus, peregre profecti sunt; quorum neuter in patriam rediit.

Cædes Styrkaris.

19. Eadem hieme, qua Erlingus Steinveggus obiit, Bagli paulo ante festum jolense orientem versus in Vikam profecti sunt, remanentibus qui sibi necessaria negotia procuranda habere videbantur. Sörkver Snapus, qui in Hardangrum penetrarat, inde parva celoce cum duodecim viris austrum versus profectus est. Eo tempore Rogalandiæ præfuit Styrkar Stagnala, qui cognito itinere Sörkveris, eum quæsitum ivit. Qui cum alteri alteros ad Bardholmum conspexissent, Styrkar eos remis austrum versus in Karmsundum usque persecutus, adpetente nocte Bæum appulit, ubi subducta nave ad ædes successerunt et in cubiculo requieverunt. Sörkveriani reversi eos quærebant, navesque Bæum appulerunt, ubi cognita nave Styrkaris domum ad villam se contulerunt. Sörkver cubiculum primo ingressus, suspensa forte duo gæsa deripuit, ablataque secum excurrit, hortatus ut repeterent, satis enim adesse defensorum. Dein sumtam traham foribus obdiderunt. Styrkar ac sui exsilierunt et arma ceperunt, sed multitudinem fores adesse rati, exire noluerunt. Assibus ad fenestras cubiculi admotis, aliquot homines ea exierunt. Bagli tectum cubiculi revulserunt, saxaque ingesserunt, mox libros betulinos igne accensos in fenestras intulerunt, ut cubiculum intus illustraretur; unde factum, ut quidam vulnerarentur, multi interficerentur. Eo loco septemdecim homines, in quibus Styrkar, interierunt. Sörkver vulneratus; novem hominibus vita donata.

De fabro et Odine.

20. Eadem hieme, æstatem qua pax facta præcedente, post jolense festum vespera aliqua

vir quidam, equo vectus, ad fabrum quendam, qui domicilium in Nesis habuit, pervenit, nocturnumque hospitium petiit, rogavitque, ut quatuor soleas ferreas equo suo fabricaret. Annuente colono, cum multum jam restabat noctis, surgentes fabricam orsi sunt. Colonus interrogavit: ubi noctem proxime præcedentem transegisti? Advena: in Medaldalo; qui locus in boreali parte Thelamarkæ est. Faber ad hæc: tu vero mendaciis scates, hoc enim esse neutiquam potest. Dein ferrum cudere incepit, opere non ex sententia sub manu succedente. Itaque locutus est: sic antea nunquam cudenti opus cessit. Advena: fac suapte sponte procedat. Hic soleæ majores factæ, quam quales ante vidisset, aptatæ vero calcibus equi congruere videbantur, quare eas equo inducebant. Tum advena: tu homo imperitus es, inquit, atque insipiens; cur nihil interrogas? Cui faber: quis es? unde advenisti? quove cogitas? Ille: adveni ex partibus borealibus, diuque in Norvegia commoratus sum, nunc orientem versus in Sveciam profecturus, cumque jam diu in navibus fuerim versatus, aliquantum temporis equo me adsvefaciam. Faber: quo proxima vespera pertendere cogitas? In Sparmarkam ad orientem versus, inquit. Haud vera loqueris, colonus ait, eo enim vix septem diebus equiti pervenire licet. Cum ascenderet in equum, colonus: quis es? Ille: an mentionem fieri Odinis audisti? Hujus ego nomen audivi, respondente colono, advena: hic tibi eum videre licet, si vero de iis, quæ tibi dixi, dubitas, animadverte me incitato equo sepimentum transilientem. Cunctantem equum calcaribus concitavit et in cursum immisit; equus vero sepimentum, palis septem cubitos longis

constructum, transiliit, ita ut ne pedibus quidem attingeret. Quem nunquam postea oculis vidit. Quatuor post noctibus rex Sörkver ac rex Erikus in Lenris conflixerunt. Hanc narrationem ipse faber eadem hieme dynastæ Philippo Tunsbergi retulit, is vero nobis retulit, qui tunc referentem audivit. Villæ supra memoratæ Pislis nomen est, colono vero qui soleas ferreas fabricavit, Thordo Vetteri.

LONGIOR NARRATIO

DE

HAKONE SVERRERIS, GUTTORMO SIGURDI ET INGIO BARDI FILIIS.

SECUNDUM VERSIONEM DANICAM

PETRI CLAUSONII UNDALINI

SACERDOTIS NORVEGI.

REX HAGENUS SVERRERIS FILIUS, PRISCUS APPELLATUS.

Statim post mortem regis Sverreris Birkibeini naves conscenderunt, cum principe suo Hageno Galino (is erat filius Ceciliæ, regis Sverreris sororis) et Petro Steypere, qui idem fuit r. Sverreris ex sorore nepos. Attulerunt secum literas, quas r. Sverrer, ut antea dictum est, ad filium Hagenum scribendas antea curaverat, et boream versus navigarunt, una navi a propugnatoribus bene instructa vecti. Et cum ante Stadshavum venissent, boream versus extra scopulos navigarunt ad ostium sinus Thrandheimensis, quia Bagli (id est r. Ingii milites) oram maritimam occuparant, Sognum, Fjordos, utramque Moriam et Romsdalum, quæ loca ingentibus catervis tenebant. Cumque Nidrosum venerunt, ad ædes regias appulerunt, quo tempore missa canebatur. Obviam his aliquot ex regiis processerunt, salutatosque quid novi interrogarunt, in primis ut valeret rex, quem ægrotare audiverant. Responderunt Birkibeini, ei melius esse, et interrogarunt, ubi Hagenus regis filius esset. Audiunt, domi esse in cubiculo suo. Ascenderunt ad ædem Christi, indeque ad ædes regias; Hagenum evocarunt, se arcana habere, quæ cum eo communicarent, significantes. Hagenus ad fores progressus, Hagenum Galinum et Petrum Steiperem cum aliquot summæ auctoritatis viris ad se arcessivit; amiceque inter se salutarunt. Dein

ei omnia de morte patris exposuerunt, literas tradiderunt, et aliquantum temporis cum eo collocuti sunt. Quo facto Hagenus regis filius convocatis consiliariis et aulicis hæc nova indicavit, eodemque ipso conventu dicto sacramento totius Norvegiæ princeps declaratus est.

Vere proxime insequenti, omnibus Thrandheimensis civitatis colonis ad comitia Œrensia convocatis, in his comitiis rex totius regni creatus est; colonusque, cui Skervordo nomen, regium ei nomen dedit. Quo facto milites adscivit aulicosque, omnesque veteres aulici, patrem quondam secuti, ad eum venerunt; suosque provinciis præfecit. Deinde naves bellicas comparavit, res ad expeditionem necessarias imperavit, et cum suis Bergas navigavit. Bagli oram maritimam tenebant, de quibus varii rumores nunciabantur: alii boream versus in Thrandheimum profecturos, alii jam in Rogalandum (hoc est Jadarem) descendisse dicebant. Quare rex suos adversum eos misit, præfectis Petro Steipere, Thorgrimo Lianesensi, Einare regis affini, pluribusque magnæ auctoritatis viris, qui magna manu stipati cum Rotum venissent, Baglos Stavangriæ versari audiverunt.

Mane proximi diei Birkibeini, Baglos ab austro[1] remis ferri et naves ad insulam dirigere conspicati, classem adversus eos eduxerunt. Quo viso Bagli aufugerunt. Birkibeini eos insecuti, unam navem eorum interceperunt; cujus vectores etsi se fortiter tuerentur, tamen maxima propugnatorum pars interfecta est, reliqui in Fjordos relictis navibus profugerunt et in mediterranea se abdiderunt. Birkibeini Bergas reversi sunt. His gestis rex boream versus in

[1]) *rectius* a borea.

Thrandheimum proficiscens, magnam partem æstatis in Fjordis commoratus est.

Regina Margareta, r. Sverreri superstes, post mortem mariti cum filia Kristina et domina Kristina Nicolai filia, nepte sororis, orientem versus in Vikam profecta, in Gotlandiam (i. e. Gothiam occidentalem) transcendere cogitavit. Sed cum Birkibeini minus consultum existimarent, regis filiam e regno excedere, Petrus Steiper orientem versus Osloam profectus, reginam ibidem convenit. Ubi cum aliquot dies esset moratus, regina forte lavante, cubiculum ejus ingressus, Kristinæ regis filiæ Baglos instare nunciavit. Virgo metu perculsa cum salutaria ab eo consilia petiisset, ille ulnis exceptam ad navem suam deportavit, tentoria refigi suosqne ad remos considere jussit. Qui cum solverent e portu, regina subito in pontes delata, ut filiam redderent, clamavit. Cui cum Petrus Steiper indicasset, oportere eam primo ad regem fratrem proficisci, regina ægerrime rem ferens in hæc erupit: faxit Deus, ut eum diem videam, quo vobis æque gravem ægritudinem et dolorem, ut mihi nunc facitis, adferre possim. Sum rege nata, regique hujus terræ in matrimonium data, ex quo hanc solam peperi prolem, qua me nunc spoliatis, ut si servilibus aut spuriis natalibus esset. His vocibus abeuntes prosecuta est, dum exaudiri potuerunt; deinde cum cognata sua domina Kristina in Sveciam migravit. Petrus vero regis filiam ad fratrem Hagenum reduxit, a quo bene excepta et liberaliter habita est.

Hac æstate archiepiscopus Erikus Nidrosiensis, episcopus Martinus Bergensis, episcopus Nicolaus Stavangriensis, episcopus Ivar Hamarensis, episcopus Nicolaus Osloensis, qui castra

Baglorum secuti jam in Dania, jam in Svecia se continuerant, in Norvegiam reversi cum rege Hageno in gratiam redierunt, et suam quisque sedem episcopalem repetiit; et archiepiscopus universum regnum in gratiam secum reconciliavit. Tum quoque Gudmundus Bonus, Islandiæ episcopus designatus, ab Islandia advenit, et hiemem apud archiepiscopum transegit. Bagli per æstatem et autumnum se in mediterraneis continebant, et Ingius rex eorum sedem in insula Magna, quæ in Mjoso est, habuit, magno satellitum numero stipatus, principibus ejus præfecturas Oplaudiæ tenentibus. Quorum numerus in dies minuebatur; universus enim populus r. Hageno se submisit, qui et amicitiis et populi gratia floruit, quod erga colonos comis, in suos vero durus et severus erat, delicta graviter castigabat, tam verbis quam poenis, siquid in colonos injuriose fecissent.

Oplandiæ coloni cum aliquot regiis juratis conjuncti, in insulam Mjosi trajecerunt, exiguis navigiis et ratibus vecti, quod r. Ingius omnes actuarias et pontones majores in insulam deducendos curaverat; huc ante lucem appulsi ad ædes regias successerunt, ipso adhuc cum suis discumbente et poculis indulgente. Excubitorum aliquis ingressus, hostes ad villam esse significavit. Rex exsiliens suos arma induere et hostem foris excipere jussit, neve se intra tecta occidi paterentur. Ipse inter primos exiit, et post breve certamen cum maxima suorum parte occubuit. Quo cognito ceteri Bagli, qui aliis locis collecti erant, timore correpti partim in Sveciam, partim in Daniam, partim ad cognatos dilapsi sunt; pars in gratiam cum rege Hageno redire conabantur. Sic tota illa manus et factio dispersa et profligata est.

Rex Hagenus ea hieme in Thrandheimo se

continebat; post festum jolense tabellarium cum literis et mandatis, quibus præfecti ac plebes obsequerentur, in Oplandiam et in Vikam misit, significans se insequenti æstate in Vikam profecturum. Itidem amicas literas ac mandata in Sveciam misit, ut regina Margareta et domina Kristina ad se venirent, pollicitus summo, apud se honore habitum iri. Illæ quoque ei vicissim de omnibus rebus, de quibus eis scripserat, amica verba et literas remiserunt.

Insequenti vere statim post festum paschatis r. Hagenus magna manu stipatus austrum versus Bergas, indeque orientem versus in Vikam navigavit, omnia emporia circumiens, et ad Albim usque contendit, cuncto populo ei se submittente. Eo tempore excellentissimi regni primores eum sunt comitati, ut Hagenus Galinus, Petrus Steiper, quorum uterque regis Sverreris ex sorore nepos erat, Sigurdus et Roar cognati regis, et Dagfinnus Bonde, compluresque alii militum tribuni. Revertens magnam partem autumni Sarpsborgæ consumsit. Huc adduxit nobilis cujusdam filiam, nomine Ingam, in Borgarsysla amplis natalibus ortam. Hæc apud r. Hagenum in ipsius cubiculo versabatur, nullis arbitris, præter Hagenum Galinum, Petrum Steiperem et alios quosdam regis intimos; atque ex rege gravida facta est. Post hæc in Vikam Osloam usque reversus est, ibique aliquantum temporis egit. Huc ad eum venere regina Margareta et domina Kristina, quas amicissime excepit, eumque Borgas, ubi hiemare statuerat, comitatæ sunt.

Regnante rege Sverrere fuit in Dania vir, nomine Erlingus, qui se rege Magno Erlingi filio natum ferebat; quam ob rem rex in Daniam miserat, qui eum quærerent inventumque in-

terficerent. Sed admonitus in Gothiam occidentalem profugit. Quo cognito, rex Hagenus[1] missis nuntiis et literis Knutum Sveciæ regem certiorem fecit, esse in ejus regno virum, qui se natum r. Magno ferat, moturumque in Norvegia turbas minetur. De qua re r. Knutus certior factus, suos misit, qui eum conquisiverunt et in alta illa turri insulæ Visingiæ incluserunt. Hic cum aliquamdiu sedisset, cum muliere, quæ cibum ei afferre solebat, pactus est, ut compluria vestimenta sive stragulas sibi daret; quibus in longas tænias dissectis extremitatibusque copulatis, hoc modo sese ex turri per murum submisit. Sed cum funiculus brevior esset, quam ut pertinere ad solum posset, dejecit corpus ad terram alterumque femur perfregit, ut ab eo tempore semper claudicaret. Hoc modo effugit, et orientem versus in Jerubergiam se contulit. Quo cognito rex Hagenus[1], suis in Jerubergiam missis, eum occidendum curavit; iidem librum ejus collarem sive memorialem, cui nomen ejus inscriptum erat, ad regem retulerunt. Qui liber postea cognitus est ab iis, qui ejus fuisse noverunt.

Eadem æstate Skonoram venit vir, quo tempore mercatus ibidem habebatur, qui se natum rege Magno Erlingi filio ferebat, aliquantum temporis in Vendia versatum esse, deinque aliquamdiu in turri aliqua insulæ Visingiæ inclusum. His cognitis dispersi illi Bagli, quorum complures ad mercatum venerant, ei sese adjungebant creareque principem cupiebant, satis nacturos copiarum ostendentes, si principem rege Magno natum adepti essent. Quibus ille his verbis respondit: rex Hagenus in magna gratia et ami-

[1]) *rectius Sverrer, vide fragmentum secundum et chronologiam.*

citia est universi populi Norvegici, maximaque pars principum Baglorum, ut audio, ad eum transiit; quam ob causam ego hanc rem, tam exiguis copiis et opibus adjutus, neutiquam aggrediar. Tali modo digressi sunt, illeque Havniam profectus, ibidem hiemavit.

Hieme proxime insequenti rex Hagenus Bergis se continebat, et regina Margareta, noverca ejus, apud eum versabatur. Huic ille cœnam seorsum præbuit, et raro accidit, ut ea apud regem accumberet. Domina Kristina, regis filia, soror regis Hageni, adsidua cum matre fuit. Regina, cui rex haud satis probaretur, tristem sese ac male contentam plurimum præbuit, rex autem semper erga eam hilaris, comis et affabilis fuit. Domina Kristina qualibet occasione gratiam inter eos benignis verbis reconciliare studebat. Rex magnificis apparatibus in jolense festum intentus erat; festoque adpetente magna multitudo hominum, præfecti ceterique qui in verba regis jurarant, ad eum venerunt. Regina infenso iratoque animo erat in Petrum Steiperem ceterosque omnes, qui cum eo Osloam profecti filiam ejus abduxerant; Hagenum vero Galinum in primis diligebat, in eoque omnem fiduciam reponebat. Vespera festum præcedenti rex ad reginam et dominam Kristinam misit, ut apud se accubitum irent; tum aula regia convivis referta erat, singulique prisco more suis locis dispositi. Regina gravi cum ira respondit, dicens: diutina oportet memoria servem, vespera festi jolensis me in sede principali domino meo ac regi, nunc in cœlis agenti, adsedisse: tu vero Hageno renuntia, me non, ut ejus sedem principalem occupem, adfuturam. Rex, cognita re, ægre tulit, quod honorem et officium ab se oblatum grato accipere animo noluerat, atque dixit:

quamvis regina Margareta tam superba sit, ut submittere sese mihique adsidere nolit, tamen soror mea Kristina ad me venito. Hæc reginæ nuntiata, itemque regem iratum esse. Illa contra: num ereptam mihi ab se filiam Osloæ non recordari putat, nisi mihi iterum revocet in memoriam? Filia frementem retinens: quiesce, mater, ego tecum ero. Cui illa: ita esto, filia; haud tu, præsente me, in manus inimicorum venies, atque deo volente fieri potest, ut non diu isti necessitati coactæ pareamus. His dictis surgit, et unacum filia palatium regis ingreditur, et in sede principali considet, rege convivisque magna lætitia perfusis.

Secunda feria festi jolensis rex missam sibi cani jussit, quo peracto cum paucis cubiculum ingressus incidi sibi venam fecit, paulumque aliquid cibi potusque sumsit, et moratus, dum sacra antemeridiana in æde Christi peracta essent, antequam accubitum iret, quietum se tenuit post venæ sectionem, neque lumen sibi propius admoveri passus est; parum edit et bibit, neque multum locutus est. Tertia festi feria, cum missam sibi cani in cubiculo dormitorio jussisset, accubitum ivit, seque perquam langvidum esse sensit. Ideo sumto statim cibo in lecto decubuit. Insequenti nocte adversa ejus valetudo magis magisque increvit. Quinta feria totum corpus intumuit; pauci in cubiculum intromissi; malum in dies accrevit; tandem octava festi jolensis feria mortuus est, toto corpore livido et tumente, ut humano vix simile esset. Funus in æde Christi sepultum a parte boreali, e regione sepulcri r. Sverreris. Universus populus mortem ejus lugebat, maximumque in eo damnum factum esse professus est.

Rex Hagenus fuit pulcra forma, apta mem-

brorum compositione, eximio faciei comæque colore; statura mediocri, qua patrem multum superavit; voce clara et diserta, ore facundo; postquam rex fuerat creatus, mores multum, et quidem in optimam partem, mutaverat. Erat tranquillo ingenio, et augusta dignitate, quando in regio solio insidebat.

Rex Guttormus Sigurdi filius.

Decima festi jolensis feria episcopus regios aulicos principesque viros in consilium adhibuit de novo rege creando; omnibusque uno consensu placuit regem creari Guttormum, Sigurdi Lavardi filium, regis Sverreris nepotem, regisque Hageni ex fratre nepotem, tum quatuor annorum; Hagenus Galinus regnum ejus nomine administraret aulæque regimen susciperet, Petrus Steiper et Einar regis affinis regem educarent et custodirent. Hæc unanimi consensu comprobata et concentu armorum confirmata. Accubitum euntes principes regem introduxerunt, in regium solium collocarunt, officiaquè tanquam regi præstiterunt. Tum rex sumtum gladium lateri Hageni Galini affixit, clypeum ex humeris ejus suspendit, omniumque principum consensu Comitem esse jussit, et in scamno juxta se collocavit. His actis rex et Comes literas in Thrandheimum miserunt, ut Ingius, filius Bardi Guttormi filii præfecturam totius Thrandheimiæ obtineret.

Quibus rebus fama in Daniam perlatis, Erlingus Steinveggus, qui eo tempore Havniæ versabatur, Baglis, qui præcedenti hieme secuti eum fuerant, extemplo ad eum confluentibus, brevi tempore factionem comparavit. Venerunt ad eum ex Norvegia Thorleivus Skalpus, Arn-

bjorn Trollus, Oddus Tannus, Ogmondi filii, qui missis in Norvegiam nuntiis, omnes, qui suam factionem sublevare vellent, ad se Alaborgam evocarunt. Erlingus ad regem Daniæ profectus, de iniquo rerum suarum statu coram eo questus est, opem ejus imploravit, professus regem sibi cognatum esse proindeque auxilium præstare sibi debere. Rex ei auxilium pollicitus est, ut se adjuvante paternum regnum recuperaret. Erlingus tempore jejunii iter Havnia ingressus, cum suis Alaborgam venit. Huc ad eum venere ab Norvegia: Reidar legatus, Philippus ab Vegene, Jon Dronning et Salvius Disæ filius. Comparatis celocibus et navigiis, in Vikam Norvegiæ trajecit, indeque Osloam, omni populo ad eum transeunte.

Episcopus Nicolaus Osloæ erat, a quo cum Erlingus peteret, ut paterni sui generis probandi tentamen acceptare dignaretur, id Osloæ fieri se episcopus permissurum negavit. Principibus vero et viris illustrissimis pro Erlingo intercedentibus factum est, ut episcopus ei potestatem faceret Sarpsborgæ, si vellet, candens ferrum gestandi. Itaque Erlingus Borgam profectus gestando ferro se subjecit. Cum vero in eo esset, ut ferrum gestaret, episcopus eum Tunsbergum concedere jussit, ut ibi præsente Danorum rege, brevi adventuro, qui haud dubie de rei veritate judicare posset, specimen daret. Nam si res cum voluntate regis fieret beneque successisset, posse eum hujus opem auxiliumque exspectare, sin vero falsa jactaret, pœnas daturum. Erlingus, hac probata conditione, dicens se divina fretum ope in tam justa causa facere hujus rei periculum velle, Tunsbergum profectus est.

Episcopus Nicolaus, ut primum cognovit, comparari ab Erlingo factionem in Dania, pro-

fectus ad regem Danorum interrogavit, an ferre Erlingo auxilium constituisset. Affirmante rege, se ob cognationem inter eos intercedentem hoc pollicitum esse, episcopus: mirum mihi, inquit, videtur, domine, te, tantæ prudentiæ principem, factionis in tuo regno comparandæ potestatem facere, auxiliumque promittere his ad alienum regnum occupandum, quorum dux ignotæ originis et natalium est; quem ego oppidano aliquo in Oplandis natum, ex patria ob mendacia sua expulsum, et ab omnibus bonis exagitatum odioque habitum existimaverim. Immo, si misso in Norvegiam exercitu regnum pacare, et a perversitatibus istis et divina ira et plaga, quas [Birkibeini] ibidem patrarunt et excitarunt, liberare cupis, aliquem ex cognatis tuis, quem fidum tibi dictoque audientem esse confidas, huic exercitui præfice. Nunc enim Deus omnes [Birkibeinorum] principes, qui aliquam habuerunt rei militaris ducendique exercitus prudentiam, pervertit, propterea quod prudentia sua magis ad mala quam bona usi sunt; jamque et regem crearunt hominem infantem amentemque, nec ipsi quicquam utilis consilii norunt. Rex: cognatis meis hic in Dania tam liberaliter prospectum est, ut cum his copiis in Norvegiam proficisci haud facile velint. Episcopus: novi eum, qui ad suscipiendum tale negotium aptus est, cognatum tuum dico, dominum Philippum, Ingii Norvegiæ regis ex sorore nepotem, qui omnibus virtutibus, quæ regem aut principem decent, ornatus est. Episcopo his de rebus sæpius prudenter verba faciente, tandem eo perducta res est, ut rex consentiret, seque ipsum æstate proxime insequenti trajecturum in Norvegiam polliceretur. Quibus actis episcopus domum reversus est.

Æstate proxime sequenti rex Valdemar in Norvegiam cum classe trecentarum navium trajecit, Tunsbergumque venit circa festum Botolphi; comitatus eum est Philippus, filius Simonis filii Olrokarii[1], virorum Norvegorum. Mater Philippi erat Margareta, filia Arnii Stadsreinensis et [reginæ Ingiridæ[2], filiæ Rognvaldi Ingii filii; eadem a matre soror erat regis Ingii, Haraldi filii, et Ormi regis fratris, filii Ivaris Sneisis. Rex Valdemar episcopo Nicolao pollicitus erat, fore ut Philippus princeps crearetur factionis Baglicæ, si ipsorum voluntate fieri liceret. Qua re Baglis proposita, omnes factionis principes reclamarunt, dicentes se regem velle filium Magni regis, ad quem ea dignitas natalibus pertineat, minime vero eum colere regemve salutare, qui ipsis generis amplitudine inferior sit, malle potius factionem dissolvere, et suis quemque rebus prospicere. Coloni quoque responderunt: si quis præsto esset filius regius, huic se regium dare nomen velle, ei constanter adhærere dictoque audientes esse; sin minus, res novas in patria non molituros. Episcopus Nicolaus, intelligens, hanc factionem successu carituram, nisi Erlingus creatus rex foret, hunc alloquitur: video colonos ad res novas invitos esse, adeoque exiguam tibi ab his spem auxilii fore, nisi mea ope et auspiciis utaris: certo enim scio, si in hac re fortuna tibi non adspiraverit, regem Danorum te interficiendum curaturum. Verum tamen, etsi, quo natus patre sis, facile possum animo concipere, tamen rem quoquo libuerit vertere potero, si modo Philippi, cognati mei, honorem et dignitatem augere, eumque dynastam facere velis. Hoc si facies, tuis

[1]) conjeci; in versione Undalini *oc Eltho Kaarissön.* [2]) ita ex correctione; Undal. habet *Sigurds Dronnings.*

ego me partibus adjungam, in sustinenda factione te adjuvabo, tibique omnibus opibus, cognatis, amicis, quacunque denique re potero auxilium feram. Hæc itaque consensu probata decretaque sunt, ut Philippus Comes crearetur, si Erlingus regiam dignitatem adipisci cuperet.

Erlingus Steinveggus Tonsbergum profectus iterum se tentamini gestandi ferri subjecit. Episcopus Nicolaus ferrum consecravit; rex vero Valdemar, qui eo advenerat, formulam jurisjurandi ei præivit, ferrique gestationem moderatus est (id est, constituit, quot candentes laminas ferreas gestaret[1]. Ubi aderat tempus, quo se purgaret Erlingus, rex Valdemar ædem armatis circumdedit; unde intelligi potuit, quid ei paratum esset, si qua in re offendisset. Episcopus Nicolaus Erlingum ad fores chori duxit, cum nudaturus manum esset, manum ejus sustulit, digitisque ei admotis alta voce exclamavit: ille se rite purgavit, nullius ego manum igne tam intactam vidi, quam hanc. Rex, ad ipsum chori introitum stans, suique omnes in inferiori æde constituti, Deum laudare cœperunt, et canere „Te Deum laudamus". Rex eo die Erlingum convivio adhibuit, eique triginta quinque naves bellicas cum omnibus armamentis plenoque apparatu dedit. Postridie Erlingus rex comitiis Hogensibus creatus est, ibidemque Philippo Comitis titulum dedit; et paulo post rex Valdemar cum universo exercitu in Daniam reversus est, pacato itinere et sine maleficio Norvegia relicta. Mox magna hominum multitudo ad Erlingum confluxit, et in verba ejus juravit; in his principes: Arnbjorn Jonis, Helgius Byrgeris, Asbjörn Kopparius, Gyrdus Bentenis, Guttormus Thva-

[1]) forte rectius: constituit, quot gressus, ferrum candens portans, faceret, quotve laminas ferri candentis calcaret.

rius, Ormus Lagus, Thordus Dotta, Benedictus Gumanesensis, Simon Kyr, Kolbein Rufus, Gyrdus Skjalgius, qui multos milites ornatasque naves adduxerunt. Circa festum Sti. Johannis Sarpsborgam profecti comitia habuerunt, in quibus Erlingus rex, Philippus Comes declarati sunt. Dein Tonsbergum comite episcopo Nicolao revecti sunt. Quibus cognitis rebus Birkibeini in borealis regni partes, alii Bergas, alii in Thrandheimum[1] cesserunt.

Regina Margareta post obitum regis Hageni Bergis versata est. Omnes incolæ eam ejusque asseclas auctores mortis regis fuisse suspicati sunt, eaque res adeo vulgi sermone ferebatur, ut ea cum asseclis aperte accusaretur veneno interemti regis. Illa inficias ivit, se suosque hujus facinoris insontes esse declaravit. Hagenus Galinus eam defendebat, magnoque auxilio fuit ei in hac re. Principes vero intimique regis amici rem adeo severe urgebant et persequebantur, ut regina hominem comparare cogeretur, qui sui suorumque purgandorum gratia ferrum candens gestaret. Huic homini nomen fuit Petro, qui cum ferrum gestans fœde ustularetur, e vestigio abductus aquisque suffocatus est. Frementibus vero regiis ac militibus, reginam pari pœna dignam jactantibus, perterrita ad amicos auxilii ergo confugit. Hagenus Galinus ei cum fide adfuit, præsidioque dato in Sognum, indeque in Valdresum ad Erlingum Quidmensem dimisit, qui exinde eam in Vermalandum indeque in Sveciam deduxit. Domina vero Christina apud Hagenum Galinum remansit eique carissima fuit.

Eadem æstate Birkibeini, cum cognovissent, Baglos ingentem factionem in Vika instaurasse,

[1]) Undalinus *Tonsbergum*, prave.

totius rei ordinem edocti, boream versus in Thrandheimum profecti sunt. Hagenus Galenus dominam Kristinam secum abduxit, relicto Bergis magno militum numero, his ducibus, Dagfinno Bonde, Thorgrimo Lianesensi ac Thorere Brusio. Comes Hagenus Galinus in Thrandheimum delatus, unacum rege, convocato ad comitia Œrensia populo, milites conscripsit.

Post brevi rex in talem morbum incidit, ut sibi acutis clavis toto corpore confixus videretur. Interrogatus, quando primum eo malo tentatus fuisset, significavit, mulierem Svecam (hoc est dominam Kristinam) se genu suo imposuisse totumque corpus manibus contrectasse, seque statim eo morbi genere correptum esse. Quo morbo rex post paucos dies mortuus et in æde Christi sepultus est. Hagenus dynastes militibus præfuit, magnumque exercitum habuit.

Fuit rege Sigurdo Haraldi filio gnata, nomine Cecilia, quæ in provincia Thrandheimensi liberaliter, uti rege natam oportuit, educata est. Hanc rex Sverrer, quo tempore Norvegiam recuperare armis inceperat, ut supra dictum est, in Vermalando inventam pro sorore agnovit, sæpeque cum ea collocutus est. Id temporis nupta erat; nam cum Erlingus Skakkius in exstirpanda regis Haraldi Gillii familia et prosapia omne studium collocaret, Cecilia Folkvido prætori Vermalandensi nuptum data est; ex his Hagenus Galinus, Comes Norvegiæ, procreatus. Quæ cum accepisset, fratrem Sverrerem rerum in Norvegia potitum, maritum, quem parum diligebat, deseruit, rexque ei prædium Gelminum, ubi educata fuerat, incolendum dedit.

Bardus Guttormi Reinensis filius fuit nepos[1]

[1]) Undalinus h. l. habet *sön*, filius; sed ex genealogia Arnmodidarum video Guttormum fuisse filium Osolvi ac Thoræ Skoptii filiæ.

Asulvi Skulii filii, qui Skulius filius erat Tostii dynastæ, uti in historia Haraldi Severi demonstratum est. Mater Asulvi fuit Gudruna Nevsteni filia, cujus mater Ingerida filia fuit regis Sigurdi Porcæ; mater Guttormi fuit Thora, filia Skoptii Ogmundi filii. Ogmundus fuit filius Thorbergi Arnii filii, et Ragnildæ, filiæ Erlingi Skjalgi filii. Mater Thoræ fuit Sigrida, filia Thordi Folii filii, qui Sancti Olavi signifer fuit. Mater Sigridæ fuit Alova, filia Einaris arcipotentis et Bergljotæ, Hakonis dynastæ filiæ.

Bardus Guttormi filius præfecti dignitate gaudebat, uti ante eum majores sui; fuit prædives, formosus, quieti et tranquilli ingenii, in victu cultuque splendidus. Quo tempore rex Sverrer sceptrum capessivit, Reinere habitavit. Brevi regi amicissimus factus, tandem ab eo petiit, ut sibi sororem in matrimonium daret. Quod cum annueret rex, archiepiscopus Œstenus id concedere noluit, quamdiu maritus Folkvidus viveret. Quam ob rem Cecilia ad archiepiscopum profecta, rege Sverrere multisque principibus præsentibus, cum eo collocuta est, et ex eo quæsivit, an vetuisset, ne cognatorum auctoritate matrimonio jungeretur. Quod ille affirmans, hortatus est, ut in Vermalandum ad maritum reverteretur. Illa reposuit: fatendum est, me nullum habere maritum. Nam, cum Erlingus Skakkius ejusque filius rex Magnus omnes cognatos meos, quos nancisci potuerant, quosque metuebant, occidissent, me comprehensam peregre ablegarunt, invitamque, nec consentientem, prætori Folkvido in concubinatum dederunt. Neque tamen inde effugiendi ullam occasionem nacta sum, prius quam frater meus hoc regnum capessivisset, apud quem me jam hoc crimine solutam esse existimavi. Quæ cum dicta sua veris testimoniis sta-

tim probavisset, episcopus ei nubendi veniam concessit, rexque nuptias ejus et Bardi Guttormi filii honorifice celebravit. Ex his natus filius, Ingius nominatus, postea Norvegiæ rex. Cecilia regis filia post aliquanto mortua est, et in æde Christi a boreali parte chori sepulta, splendideque ornato sepulcro donata. Deinde Bardus Guttormi filius uxorem duxit Ragnfridam, filiam Erlingi Quidmensis, præfecti Valdresiæ: his nati, Sigurdus, Asulvus, Guttormus, Skulius, filiaque Ingiborga, quæ Alvo Throndbergensi nupsit. Bardus Bergis mortuus est post eadem æstate, qua rex Sverrer cum Insulanis in Florevogo conflixerat, et in æde Christi a boreali parte chori sepultus, ejusque sepulcrum eximie ornatum. Deinde Ingius filius ejus ad aulam regis Sverreris concessit, ibique educatus est.

Rex Ingius Bardi filius.

Mortuo rege Guttormo, principes consilia de sufficiendo rege contulerunt. Pars princeps suffragiis et consensu dynastam Hagenum Galinum designavit; sed archiepiscopus intercedebat, causatus simultates inter se et illum intercedentes, in primis amicitiam spectans, quæ Hageno dynastæ cum domina Christina Sveca fuerat. Eodem tempore coloni omnium Thrandheimi provinciarum, ad comitia Œrensia convocati ad creandum eligendumque regem, advenerunt; tum designati Hagenus Galinus, Ingius Bardi filius et Sigurdus, nepotes ex sorore regis Sverreris, et Roar regis cognatus, et Petrus Steiper, nepos ex sorore regis, cujus uxor erat Ingiborga, filia regis Magni Erlingi filii. De his viris diu consultatum, variabantque sententiæ principum. Tandem comitia Œrensia constituta, eoque scrinium sancti Olavi deportatum,

concomitantibus clericis et archiepiscopo Eriko. Disputantibus de eligendo rege, tandem lex in subsidium vocata, secundum quam coloni regem sibl eligere debebant, quæ res inter omnes convenit. Inde cum coloni consilia conferrent, quem potissimum ex his tribus regis Sigurdi nepotibus, Hagenum dynastam, an Ingium Bardi, an Sigurdum Bardi filium, reges crearent, omnium animi ad Sigurdum eligendum inclinarunt; erat enim placidi ingenii, justus, modestus et amicitiis valens. Alii restiterunt, dicentes, hunc reipublicæ administrandæ imparem esse; immensum hostium exercitum in regnum invasisse, Hagenum dynastam ducendo exercitui maxime esse idoneum. Eoque processit res, ut præfecti nullum nisi Hagenum regem jubere vellent. Coloni dixere: id deliberatum nobis omnibus est, nolle regem habere paterno genere Gothum. Sed regem habere volumus eum, qui regiam familiam æquo cognationis gradu attingens, paterno genere amplissima in universo Thrandorum communi familia natus sit, qualis est Ingius Bardi filius. Itaque auctoritate archiepiscopi, voluntate et consensu omnium principum et universæ multitudinis Ingius rex creatus est, eique omnes fidem et obsequium jurejurando addixerunt; ille se omnibus ex legum præscripto dicturum jus juravit. His actis omnes veteres aulici principesque jurati, qui superioribus regibus obediverant, ejus se ministeriis addixerunt. Hic novus fremitus, Hageni dynastæ gratia, extitit ab amicis et asseclis ejus, dicentibus, eum ad ducendum exercitum magis idoneum esse, quam Ingium Bardi filium; quod et milites comprobarunt. Quorum postulatis sic satisfactum est, utrorumque amicis se interponentibus, ut Ingius rex, Hagenus dynasta esset præfectusque militum, regique

debitos reditus ex æquo cum Ingio communicaret. Atque rex Ingius eum dynastam suum esse jussit, ille vero regis in verba juravit. Deinde coloni regi dimidium stipendiorum et militum, ad usum belli necessariorum, adjudicarunt et sciverunt. Rexque et Comes celeriter, magno cum copiarum numero et ingentibus navibus, ad iter se parant.

Hac æstate post festum sancti Olavi Bagli cum omnibus copiis Tunsbergo profecti, classem habentes triginta quinque navium; boream versus litora legentes, commeatus omnesque reditus regios abstulerunt, lenteque iter fecerunt. Cum Bergas venerunt, Birkibeini, ut ante dictum est, arcem tenebant. Tum Bagli oppidum ingressi sunt, et arcem aliquoties aggressi expugnare studuerunt. Hic Erlingus Steinveggus Baglos allocutus: nolite, inquit, hos telis petere, nostri enim sunt. Bagli noctu in navibus se continebant, partim in ancoris, partim ad pontem Monachorum, et in oppidum escensionem fecerunt. Sæpe arcem aggressi, tela inter se conjecerunt, quibusdam vulneratis, paucis cadentibus. Aliquo die Erlingus cum aliquot celocibus in Holmum trajecit, appulsisque ad pontem Episcopi navibus, cum suis ad ædem Christi successit. Quo viso Birkibeini obviam iis processerunt, alterique in alteros tela miserunt; cumque Birkibeini animadverterent, Baglos numero non valere, undique in eos impetum dederunt, ut Bagli referre pedem cogerentur. Erlingus, saltu in mare dato, sub aquis urinando cum suis ad naves pervenit, multis suorum amissis. Tum Bagli interrogarunt Erlingum, an etiam tunc sui essent castellani? Statimque post Bagli Bergis relictis boreales regni partes petierunt, omnibusque provinciis præfectos imposuerunt, usque eo donec in Rugsundum pervenerunt, ubi tres he-

bdomadas morati sunt; hic episcopus Nicolaus mercedes prædiorum sibi debitos exegit, multique evocati ad eos venerunt, in his Endredus Höigrius, Lodin Stallarius magna cum manu, Nicolaus Botolvi et Karlungus frater ejus, et Kalvus ab Horningo. Ibidem Bagli cognoverunt, Birkibeinos regem Comitemque sibi præfecisse, et a borealibus magno cum exercitu adventuros exspectari. Quam ob rem episcopus Nicolaus et Bagli consultissimum rati, Bergas reverti arcemque expugnare, huc navigarunt et classem in Laxavogo constituerunt.

Habuit secum episcopus virum aliquem ex terris Orientalibus oriundum, qui se prædicabat machinam bellicam ea ratione et arte fabricare posse, ut ea posset arcem diruere; tali arte se multas arces multaque castella expugnasse; quod si efficere non posset, se catapultæ sive ballistæ impositum in arcem conjici jussit. Mox ingentia ligna aliaque ad hanc rem necessaria advecta. In quo cum occupati essent, nunciatum est, conspici vela Birkibeinorum boream versus in Stavafjordo. Hinc episcopus, copiis classico convocatis, præfectos navium consuluit, quid capiendum consilii esset. Erlingus Steinveggus auctor fuit, ut Birkibcinos eo loco opperirentur præliumque committerent, cujus auctoritatem plurima pars Baglorum secuta est. Hic eum allocutus episcopus: si tu apud hanc arcem maritimam[1] confligere cum Birkibeinis cogitas, non opus habebis post hunc diem militibus tuis prospicere; quique tibi hujus rei auctores sunt, quas habeant opes et copias, animum non advertunt. Quam ob causam mea sententia est,

[1]) Undalinus intellexit arcem Bergensem, sed *F* et fragmenta longioris narrationis, qui h. l. habent *sæborgir*, cogitarunt de navibus bellicis ingentibus Birkibeinorum.

ut confestim orientem versus in Vikam navigemus, ibique cum Birkibeinis, si nos invadant, dimicemus. Hoc probato consilio, noctu interdiuque navigare perseverarunt, donec Tonsbergum venerunt; episcopus Osloam se contulit. Extemplo postquam Bagli Bergis abscesserant, Birkibeini magno cum numero copiarum ingentibusque navibus eodem pervenerunt; quod vero appetebat hiems, persequi Baglos noluerunt, sed paulisper Bergis commorati, boream versus in Throndheimum revecti sunt. Bagli hac hieme Tonsbergi se continebant; et utrique centuriones ac milites emiserunt, qui sæpe alteri alteris magnam cladem attulerunt. Ex Birkibeinis fuere, Ulvhamus, Haraldus Kesia, Gunnar Fladbondus: ex Baglis, Thoraldus Ogmundi, Gudlekus Skredingus, Benedictus Gumanesensis ex Valdresia, Jon Gridmannus, aliique complures.

Eadem hieme episcopus Nicolaus suos in Valdresiam misit, qui Guttormum ac Skulium, Bardi Guttormi filios, caperent. Sed Erlingus colonus, qui eos educandos susceperat, de hac re certior factus, eos in tractum silvestrem misit, ubi se continerent, dum Bagli in Valdresia versarentur; deinde eos in Throndheimum misit ad fratrem eorum, regem Ingium, apud quem commorati sunt. Eadem hieme Erikus, postea Sveciæ rex, apud Ingium versatus est; eademque hieme, tempore festi jolensis Hagenus dynasta nuptias cum domina Kristina Sveca celebravit; et æstate proxime insequenti rex Ingius copias ex toto Throndorum communi regionibusque intra Stadum sitis evocavit.

Rex Ingius et Hagenus dynasta ingentem classem navium magnasque copias a borea duxerunt; multi vero ex præfectis eorum in meridionalis regni præfecturis adventum eorum exspectabant:

in quibus Einar affinis regis Stavangriæ. Bagli viginti septem celoces et naves minores comparararant, Bergasque petere cogitabant. Qui Fjeldbyrgam delati, cognoverunt, Einarem regis affinem, de adventu suo inscium, Stavangriæ versari, primoque die solventes sub meridiem Stavangriam appropinquarunt. Eo tempore Einar in conventu quodam pacificatorio versabatur, Baglos non tam subito superventuros ratus. Qui, intelligens se effugere non posse, raptim in turrim ædis S. Svetonii adscendit. Bagli, effractis ædis foribus, Einari pacem liberamque abeundi veniam obtulerunt; tandemque cum suis ex turri descendit, chorumque ingressus juravit, se postea nunquam adversus Erlingum Steinveggum arma laturum, quo facto eum ex æde prosecuti sunt. Tum Erlingus et principes datam pacem servare voluerunt, sed milites, ut res suo arbitrio gereretur, postularunt. Hic Einar, animadvertens quem exitum habitura res esset: mala, inquit, et fraudulenta est pax et venia a Baglis data. Confestimque cum quatuor suorum interfectus est, cum antea circiter quinquaginta homines ex æde extractos, quamvis concessa abeundi venia, interfecissent. Bagli, ingenti præda Stavangriæ potiti, Tonsbergum reverterunt.

Rex Ingius et Hagenus dynastes cum classe omnibusque copiis Bergas delati, cum ibi aliquantisper morati essent, in orientales regni partes navigarunt. Bagli eo tempore Tonsbergi versantes, cum comparatis navibus in borealia proficisci statuissent, cognito adventu Birkibeinorum, consilia contulerunt, quid faciendum ipsis esset. Episcopus Nicolaus auctor erat, ut in Daniam concederent, neu cum hostibus numero copiarum prævalentibus fortunam prælii periclitarentur. Quo probato consilio Bagli in Hallandiam navigarunt,

ibique in [portu quodam[1] aliquantum temporis se continebant. Birkibeini Tonsbergum delati comitia Hogensia convocarunt, in quibus rex Ingius ab colonis rex, Hagenus Comes renuntiatus est. Post hæc Sarpsborgam profecti sunt; ubi etiam in comitiis Borgensibus Ingius totius regni rex, Hagenus Comes consensu incolarum declarati. Sic tota Vika in potestatem redacta, præfecturas præfectis administrandas tradiderunt, atque Tonsbergum reverterunt.

Quibus rebus cognitis Bagli id consilii ceperunt, ut Philippus Comes, comitantibus Arnbjorne Jonis, Philippo Veginensi, Reidare Legato, Nicolao Botolvi, Atlio Gridmanno, Helgio Birgeris, cum viginti circiter navibus boream versus in Vikam proficisceretur: Erlingus Steinveggus cum parte copiarum in Hallandia remaneret; episcopus Nicolaus jam antea austrum versus Havniam se contulerat. Bagli summa festinatione navigantes, Birkibeinos ex improviso opprimere studebant. Qui cum in fretum Havstensund venissent, applicatis ad terram navibus, eo loco exspectare noctem cogitabant, noctu sinum trajecturi. Præter quos cum exigua mercatoria præveheretur et occidentem versus cursum in sinum dirigeret, veriti, ne adventum suum fama in oppidum præcurreret, in sinum excurrerunt, mercatoriamque quam potuerunt maxime sunt insecuti. Quam cum assequi nequirent, ad suos in Hallandiam reversi, paulo post cum classe Alaborgam navigarunt, ibique aliquantum temporis commorati sunt, ibidemque episcopus Nicolaus ad eos venit.

Eadem æstate Birkibeini Petrum Steiperem provinciæ Ryfylke in locum Einaris regis affinis præfecerunt; qui cum Birkibeinos in partes ori-

[1]) Havnia?

entales comitatus esset, Anium sobrinum in locum suum provinciæ præfecerat. Sed Sörkver Snapus, Simon Stakhalsus Erlingi filius, Hallius Ogmundi Ekalandensis, Birger Stangensis, ex Oplandis in Hardangerum descenderunt, Erlingum, Thorgrimi Lydanesensis clientem, cum filio interemerunt, deinde Anium et Thorkilum conquirentes, ex improviso eos in Karmsundo oppressos cum viris triginta quinque occiderunt.

Bagli, longioris Alborgi moræ impatientes, trajecto mari Viskam Hallandiæ repetierunt, idque ceperunt consilii, ut in Ogsundum extra Kongelam transvecti in terram egrederentur, omnesque naves, præfectis Lodine Stallario et Arnbjorne Jonis, cum præsidio ducentorum militum in Hallandiam remitterent. Hi appulsas in amnem Vinoam[1] naves eo loco subduxerunt; ibidem episcopus Nicolaus navi sua Bokaskreppa egressus pedestri itinere in Vikam profectus est. Ceteri Bagli partim pedestri itinere, partim celocibus et navigiis minoribus vecti Sarpsborgam remearunt, inde in Mjosum et per borealem Hedmarkiæ partem contenderunt. Cum Hamarum parvum pervenissent, Gudlekus Fladbondus ex silva cum quatuor viris evolans, occiso Oddo Tanno Amundi Lyni filio, in silvam refugit. Inde Bagli trajecto monte in Orkadalum, indeque Nidrosiam pervenerunt, ubi convocatis comitiis Œrensibus, sed infrequentibus, Erlingus rex, Philippus comes creatus est. Dein præfecturas præfectis administrandas tradiderunt, nihil vero eorum, quæ præstare coloni debebant, acceperunt.

Rex Ingius et Hagenus, cum Bergas nunciatum esset, Baglos cum universis copiis in Throndheimo esse, divisis quas secum habuerunt copiis, ille in partes regni boreales profe-

[1]) rectius, ut in sequ. capite, Nisoam.

ctus est, hic orientem versus in Hallandiam ad eos, qui naves Baglorum in amne Nisoa custodiebant, navigavit. Hic Arnbjorn Trollus, Amundi Lyni filius, cum triginta viris interfectus est, ceteri in mediterranea aufugerunt. Hagenus dynasta Bokaskreppam cepit omnesque naves Baglorum, quas partim subjecto igne cremavit, partim secum in partes boreales abduxit, Bergasque sero autumno pervenit, ubi hiemem transegit.

Rex Ingius boream versus in Throndheimum profectus est. Interea Bagli Asbjornem Koppum et Thoraldium Skinringum cum duabus celocibus in Moriam meridianam regionis defendendæ gratia miserant. Quos remigantes conspicati Birkibeini, Stimum prænavigantes, subito eos insectati in continentem fugere coegerunt; pars in Thingvollum navigantes in Guttormum Thvarrium præfectum inciderunt, eumque cum magna suorum parte interfecerunt. Asbjorni Koppo, sera vespera ad Solskelam appulso, Birkibeini noctu supervenerunt, et in terram cum omnibus suis compulerunt, insulam, nequis elaberetur, per noctem custodibus circumdederunt, proximoque mane pervestigatione facta omnes quos invenire poterant interfecerunt; Asbjorn cum aliquot suorum effugit. Birkibeini boream versus pergentes, capta ad Agdanesum una celoce, quæ Baglis fuit, oppido subierunt. Quorum classe conspecta, Bagli ex oppido aufugerunt, trajectoque ponte in Sæloam, inde per montem Skonefjeld in Ostrodalum, indeque in Hedmarkiam concesserunt. Hic ad festum usque jolense commorati sunt, plurimumque in insula magna lacus Mjosis se continebant; post festum jolense Osloam profecti sunt.

Statim post festum jolense præfecti Baglo-

rum ad præfecturas se capessiverunt. Philippus Veginensis habuit præfecturam Borgensem, is duas naves fabricandas curavit: Asbjorn Koppus unam: Thoraldius Ogmundi unam Osloæ: Skinner Lange Onsoæ unam: Tostenus Tjuvus Skottanesensis unam: Jon Droning ad Gothalbim duas: Gudolvus Blakkastadensis et Gunnar Asseris filius Lidensis duas: Reidar legatus in Drafna (id est Drammen) duas: Philippus dynastes duas: Thordus Dokka unam: Hunolvus Hetta et Gunnius Lavius in Skina duas: Gjurdus Bendsonius in Visidalo unam: Simon Kyr et Ragnar Galmii filius in Befja duas: Arnthor Fokka in tractu Bjergherado unam; tumque viginti duæ omnino naves fabricatæ sunt.

Jon Droning, qui provinciam ad Albim administravit, frequens obire provinciam solitus, aliquando apud colonum quendam hospitatus est, nomine Throndum, qui venustam uxorem habebat. Jon, arcessito marito et uxore, cum ingressi essent, maritum ex foribus repelli jussit, uxorem retinuit. Quod factum cum colonus conquereretur, ille injusto eum crimine insimulavit, inficiasque euntem caudæ equi sui alligatum secum ad navem pertraxit, ubi colonus libertatem selibra auri redimere coactus est. Paucis post diebus Jon Droning uno comitatus ad ædem prope ab eo loco sitam accessit, Throndus vero haud procul inde in rupe cum septem viris in insidiis latuit. Qui, Jone ædem ingrediente, subito decurrerunt, eumque in æde aggressi sunt. Refugientem in chorum Throndus conjecta hasta vulneravit, foribusque chori excurrentem insecutus, in agro infra ædem occidit, caputque ei abscidit. Funus Kongelam deportatum, et in monasterio sepultum. Throndus ad Birkibeinos transiit. Illius mortem frater Gudbjorn postea ultus

est, novem viris occisis, septemque altero pede truncatis.

Erlingus Steinveggus omnes copias, omnesque recens fabricatas naves, celoces navigiaque minora, quæ potuit comparare, Tonsbergi collegit. Rescierant Birkibeini tam naves ab eo fabricatas esse, quam ipsum cum classe peregre proficisci statuisse. Ille universa cum classe primum ab oriente die mortis Christi in Onsoam navigavit, secunda feria festi paschatis in Grindholmsundum revectus, die dominica insulas Esjenesias cum viginti duabus navibus attigit, ibique suis significavit, se in boreales regni partes proficisci statuisse; quod propositum alii svadebant, alii dissvadebant. Tertio post die in Ransundum pervenit; hic aliquot principes cum quatuor navibus, quod sequi eum nollent, ad insulas Esjenesenses restiterunt. Erlingus boream versus navigare perseveravit, donec ad Folkestenos pervenit. Hic celocem, qua Birkibeini vehebantur, cibariis onustam cum conspexisset, eos in Regevogum persecutus est, ubi egressis Birkibeinis celocem cum cibariis cepit, et eadem vespera in Ekornsundum remigavit. Inde Mostriam navigavit, ubi militibus ad concilium sive concionem convocatis, consuluit, utrum primum Bergas, an statim in Throndheimum proficiscendum esset. Hic cum plurimi svaderent, ut primum Bergas se conferret, quod Hagenus dynasta adventus eorum inscius esset: dissvasit Reidar Legatus, hortatus, ut statim in partes boreales ad regem contenderent. Cujus consilium valuit. Itaque boream versus in Skallavikam tendunt, ubi certis nuntiis cognoverunt, Comitem de adventu suo certiorem factum suos ad resistendum comparasse. Etsi vero Erlingus primum

Bergas accedere vellet, tamen vicit sententia Reidaris. Quare in borealia navigantes Birkibeinos, ubicunque eos deprehendissent, magna clade affecerunt. Hagenus dynasta tabellarios suos ad regem miserat: hos Bagli in Vogsoa oppressos interfecerunt, literas ad Erlingum pertulerunt. Quarum tale erat argumentum: Hagenum fratri suo, regi Ingio, salutem; monere, ut rebus suis diligenter prospiciat, Baglos enim ab oriente adventare; nescire vero, Bergasne aggressuri, an in partes boreales abituri essent; non tamen a copiis valere, exiguasque naves habere, quare non esse, cur ab his magnopere metuat. Erlingus boream versus pergens ad Oxoam appulit, quo ad eum nuntius Nidrosia allatus est, regem Ingium statuisse sororem suam Thorgrimo Lianesensi nuptum dare, nuptiasque postridie celebrare. Bagli naves Birkibeinorum inflammarunt, quasque potuerunt clades eis intulerunt. Noctu obortis tenebris vela sustulerunt, boream versus navigarunt et Agdanesum cum quatuordecim navibus circumvecti sunt, quod naves, quæ sequebantur, præstolari noluerunt. Erlingus suis præcepit, quo quisque navem suam appelleret et egrederetur, ubi ad oppidum pervenissent.

Lodin Stallarius ad milites concionatus, hortatus est, ut ad tabernas convivales (hoc est, tecta et domus, ad mare sitas, in quibus compotationes et convivia celebrabantur) appellerent: præstat, inquit, hic mortem honestam oppetere, quam diutius pulsos a Birkibeinis fugere, neque dedecori nobis erit, si nunc quoque fugati fuerimus, cum et Birkibeinos et colonos adversarios habebimus. Fieri quoque potest, ut rex nostri adventus ignarus sit, nosque eos mulso vinoque, cujus haud dubie copia convivis non

deerit, inebriatos offendamus. Rex cum suis plateam occidentalem ingreditor, Comes Philippus et Arnbjorn borealem; Arnbjorn Fokius et Simon Kyr amnem cum duabus navibus ingressi, ab oppido in ulteriorem ripam transnatantes excipiunto. Sero die, oborientibus jam tenebris, vela sustulerunt, atque per interiora sinus navigarunt. Rex Ingius in oppido erat, multos strenuosque milites secum habens; instabant nuptiæ Thorgrimi Lianesensis et Sigridæ, regis sororis, quas rex magno sumtu opipare apparandas curaverat.

Vespera diei Veneris tabellarius ab Hageno dynasta missus ad regem venit, dicens, ex tribus tabellariis ab dynasta missis neminem præter se pervenisse incolumem; idem tam diligenter iter Baglorum speculatus fuerat, ut eadem vespera aut mane proxime insequentis diei adfuturos confirmaret. Hic rex, senatu principibusque viris convocatis, rem aperit a nuncio perlatam. Omnesque in eo consenserunt, ut omnes copiæ sero vesperi classico convocarentur, stationesque armatorum nocte insequenti ad tabernas convivales collocarentur. His constitutis rex in cubiculum nuptiale ingressus est; inde aliquantum temporis potarunt, admodum hilares. Mox regii regem monuerunt, tempus esse canendi classici militesque convocandi. Sed sponsus, Thorgrimus Lianesensis, surgens oravit, ne rex cani classicum juberet, neu cœptam lætitiam perturbaret et supprimeret; se suos arma capere et in Ora excubias agere jussurum; quos vigilias cum fide acturos confirmavit. Cui rex obsecutus est, atque sic in multam noctem potarunt. Cum cubitum iretur, Thorgrimus suos arma sumere, in Oram exire, vigiliasque agere jussit. Illi inter se loquebantur, seque negarunt

corpora regiorum ac rusticorum vigilando custodituros; atque somno se dederunt. Homines se vino adeo obruerant, ut, quomodo vigiliæ agerentur, nihil curarent; rex in domo Sigurdi Sverdali quiescebat, ante cujus fores Sigultius[1] Jarlus cum suis, qui, ut ceteri, ebrii erant, excubias agebant. Thorgrimus Lianesensis in eadem domo, qua rex, quiescebat.

Bagli Flakkafjordum transnavigarunt, Gulosumque subeuntes se compararunt. Hic procellis incidentibus aer tenebrosus extitit, nocte jam præcipiti. Tum, ut cuique præceptum erat, naves adpellere. Cum Arnbjorn et Simon ad amnem pervenissent, ingredi Arnbjorn noluit, Simon vero ac sui intrare amnem voluerunt, quam ob causam prope factum est, ut inter se confligerent; sed valuit Arnbjornis auctoritas, ut amnem non ingrederentur. Ceteræ naves ad Oram appulerunt, cumque prope ab litore abfuerunt, sublatis remis auscultarunt, altumque in oppido silentium animadverterunt. Dein suorum aliquot in terram exposuerunt, qui ad tabernas convivales progressi, cum neminem animadverterent, ad naves regressi sunt, et nullos homines in tabernis esse significarunt. Itaque ad litus remigarunt, et carinas navium solo sponte illidi passi sunt; mox omnes in terram exsilierunt et in oppidum escenderunt, alto ubique silentio. Bagli in ædibus regiis universi convenerunt, ibique classicum canere, bellicumque tollere clamorem inceperunt; dein cum clamore et ingenti strepitu retro per oppidum descenderunt, paucisque in ædibus inventis, campanam bellicam pulsarunt, vigiles in turri dormientes interfecerunt.

Stertens interea rex Ingius a mulieribus qui-

[1]) *sic h. l., paulo infra* Sigvaldius; sic alternant *Sigurðr* et *Sigvarðr*, et plura.

busdam, quæ clamorem bellicum exaudiverant, expergefactus est. Ille, sero excusso somno, quid rei esset, interrogavit; illæ hostes in oppido esse significarunt. Rex in porticum cœnaculi excurrit, tectum conscendit, ibique jacuit, dum hostes eam plateam pervasissent; quo facto in plateam mercatorum se demisit, ad amnem descendit, in aquas desiliit, et ad mercatoriam, eo forte loco in ancoris stantem, natavit, prehensoque ancorali in navem evadere conatus est. Progressus in nave vir ad eum locutus est: dimitte funem, quisquis es, et abscede. Cum vero taceret rex, nauta sumta manu ferrea eum ab ancorali removit. Itaque rex amnem transnatavit, suis partim nando præcedentibus, partim sequentibus.

Baglis altera vice oppidum pervadentibus, plurima Birkibeinorum pars se jam in fugam conjecerat, aliis ex oppido facillimis effugiis elabi conantibus, aliis templa petentibus; quidam in plateis interfecti, alii in ædibus, tunc enim omnes domus exploratæ.

Thordus, frater Finngeris, in platea pro domo sua occisus est. Thorgrimus Lianesensis se diu ac fortiter tutatus, septem suorum interfectis, gravibus acceptis vulneribus elapsus est. Sigvaldus Jarlus septimus ipse in cœnaculo aliquo interfectus. Bergsven Longus, signifer Ingii regis, in platea cecidit, a quo cum Bagli abscessissent, mulieres quædam signum regis sustulerunt et conservarunt. Kolben Beringus cum septem aliis in cœmeterio ædis Gregorii occubuit. Evindus Frilandus octavus ipse in agro interiore cæsus est. Halvardus Lidfaxius cum tribus aliis in platea cecidit, compluresque alii suo quique loco occubuerunt. Dein circiter triginta ex Birkibeinis, duce Sigurdo Skelgo aliis-

que principibus, se conjunxerunt in agro, et in oppidum incursione facta aliquot Baglorum interfecerunt; cecidit tamen Sigurdus, et Thorolvus Senerfeius, gladio faciem compunctus infra cassidem, recepit se ad amnem eumque transnatavit, et in ripa ulteriore mortuus inventus est.

Mulieres quædam Baglis significarunt, regem Ingium in æde Mariæ esse. Eo itaque decurrerunt, fores effregerunt, qui intus erant occiderunt, manumque simulacro Mariæ absciderunt, neque regem invenerunt. Bielvus Skinstakkus in æde S. Olavi cum triginta viris versabatur, qui omnes eo loco interierunt. In æde S. Andreæ erat Bardus Stolpius, qui ibidem cum tribus aliis occisus est. Rex Ingius, qui amnem trajecerat, et lassus et fessus erat, frigens algensque, quod et ningebat et pluebat. In ripæ crepidinem enitens collapsus est, neque se ulterius movere potuit. Mox Ivarem Flodekoldum egredientem vidit, ejusque opem imploravit. Cui Ivar: ego mihimet primum opem ferre necesse habeo; atque discessit. Post statim ex amne egressus est Rodolvus, Bordi frater, qui cum eo, ubi rex erat, pervenisset, hunc allocutus: tune hic es, domine, inquit. Rex: ita me heri appellastis. Rodolvus: sic etiam nunc es, atque sic eris, dum tu et ego una erimus. Mox tunica se exuit eaque regem circumdedit, sumtisque cunctis vestium suarum copulis vinctum regem in humeros sustulit, et ad Skysosum portavit, ubi equum et traham, vestimentorumque quantum opus erat, nactus est; nihil enim tegumentorum præter indusium et tibialia habuit; sic regem in Strindam deduxit.

Skulius, frater regis, strepitu ac fremitu audito, excitatus, cum ex fenestra prospexisset, vexillum Baglorum præter fenestram ferri con-

spexit, mulierque aliqua clara voce exclamavit: haud Bagli tanta festinatione has ædes præterirent, si regis fratrem ibi intus esse nossent. Cum Bagli præteriissent, Skulius in plateam processit, partim per pervia domuum, partim secundum tecta progressus, tandem ad amnem pervenit, ubi Jonem Uslium offendit cum quadraginta Birkibeinis, qui pontones et navigia comparaverant, quibus trajecto amne in Klephusum ascenderunt. Hic regem cum centum viris, Birkibeinis et colonis, qui ad eum confluxerant, invenerunt; congressusque fratris ac regis utrisque exoptatissimus fuit. Guttormus, regis frater, sub substructionibus cujusdam domus, quo se demiserat, latuit, cumque Bagli a perscrutando destiterant, in ædem Mariæ confugit, ibique se per totam diem dominicam occultavit. Die lunæ canonici eum vestitu canonicis usitato induerunt, et per pontem in superiora deduxerunt, arma, equos, præsidiumque dederunt, equitemque dimiserunt. Birkibeini, qui interfecti erant, ad nonaginta homines fuerunt.

Rex Ingius ab Strinda in Guldalum profectus est; ad quem omnis populus, tam ipsius ministri, quam coloni, ubi has res resciverunt, confluebant.

Baglorum aliquis Birkibeinorum quendam in platea insecutus est, quem ad ædem profugientem cum juxta angulum templi letali plaga percussisset et prostravisset, agnovit fratrem esse: quam ob rem, abjecto gladio, gravissimo dolore affectus est.

Die solis, ubi illuxerat, Bagli oppidum in tres regiones diviserunt, singulis regionibus explorandis singulos præfectos imposuerunt. Tum complures regiorum inventi et interfecti, magnaque vis bonorum et pecuniarum direpta. Die

lunæ ad naves descenderunt, optimasque naves Ingii regis ceperunt, Erlingus Gulbringam, Philippus dynasta Gestaskelvam, Arnbjorn Dorbodum, Reidar Lyrtundam, Philippus Ogenbrandum, Gudolvus quoque Blakkstadensis ingentem navem occupavit; ceteras regis naves et celoces igne absumserunt.

Die Mercurii omnem prædam et spolia ad tabernas convivales deportanda curarunt; die Veneris et Saturni divisio facta. Inter ceteram prædam fuere trecentæ loricæ annulatæ et ocreæ antiqui moris. Bagli ad mille et sexcenti numero erant, quorum singuli magnam prædam sortiti sunt. Rex Ingius, in Guldalo collectis ad mille sexcentis militibus, adversus oppidum movit; cumque vespera diei Saturni in campos Ilenses descendisset, Bagli adhuc in oppido erant, multique ad regem ex Orkadalo venerunt. Quo die lunæ cum bis mille militibus ad oppidum contendente, Bagli confestim ad naves properarunt, naves ad Holmum provexerunt, ibique nocte transacta in orientales regni partes revecti sunt.

Hagenus dynasta, ubi cognoverat, Baglos in boreales partes profectos, navem ingentem, aliquot minora navigia et celoces ad eos persequendos paravit. Ex quibus ingens illa navis præter Stadum fracta est. In Langosundum delatus, conspecta Baglorum classe a borea veniente, cursum ad exteriora circumflexit, quod ventus a plaga occidentali flare inceperat, eosque sic prætervectus in Throndheimum pervenit. Cujus adventu frater Ingius rex lætatus est. Bagli Bergas profecti sunt; tum arcem tenebant Svertingus, Thore Brosius, Ivar Gusius, Ivar Maxon. Baglis in oppido se continentibus, Ormus Lavius ab oriente advenit cum Margareta

regis filia, uxore Philippi Veginensis. Cui cum excubiæ unacum Benedicto Gumanesensi militibusque suis agendæ obvenissent, castellani occasionem nacti, eos eruptione facta repulerunt, quo impetu Ormus Lavius cecidit. Bagli advesperascente die, cum ebrii essent, sæpe ad arcem subierunt, quorum pars occubuerunt, pars vulnerati sunt.

Hagenus dynasta Bergas proficisci parabat, rege in Throndheimo remanente. Ibidem id temporis multæ ingentes naves fabricatæ sunt. Hagenus dynasta cum quiuque navibus longis et septemdecim celocibus meridiem versus navigavit. Qui Stadum prætervectus, cum ad Hindoam appulisset, universas colonorum copias cum ingentibus illis navibus remisit, regiis autem militibus suisque adsumtis in meridianas partes proficisci perseveravit. In Kilestromum devectus incidit in duas celoces speculatorias Baglorum, præfectis Morteno Soddio et Kolbeno Smoro. Kolben incitata remis in scopulum navi captus est, plurimaque suorum pars interfecta; ceteri nuncium eadem vespera in oppidum pertulerunt. Dynasta appulsas in Jærnfiordo naves subduxit, paucisque relictis custodibus, omnibusque armamentis ceteroque apparatu in terram comportato absconditoque, cum suis trajecto monte altera nocte ad arcem pervenit, sexcentos milites habens. Rex Erlingus et Philippus Comes suos ad tria millia numero idoneis locis adversus eum disposuerant. Postridie inito inter se colloquio, Bagli Birkibeinis, arcem tenentibus: jamne, inquiunt, acer vester canis ad vos pervenit? Illi contra: immo, dynasta noster adest, cavete vobis, Bagli. Bagli porro: si forte vobis desunt in arce cibaria, huc exite ad nos, Birkibeini, nam in oppido copia cibariorum suppetit. Ad hæc

Birkibeini: sic faciemus, certum enim est nobis, vobiscum hodie in oppido prandere. Peracta concione matutina, Hagenus dynasta eruptionem cum omnibus suis ex arce facit, simulque Petrus Steiper, Birkibeinis tam strenuo animo rem gerentibus, ut Bagli cedere cogerentur. Bagli per transversum oppidum descendentes, ut ad naves pervenire possent, magno numero cæsi sunt. Rex Erlingus, cum fugiens ædem Mariæ præteriret, tubicinem compellans inflare tubam jussit.

In prælio Nidrosiensi Bagli tubam regis Sverreris, Andvakam dictam, abstulerant, eamque inflabant; quo audito tubicen Thorfinnus Svidbrandus, qui eandem tubam custodire et inflare solebat, in ædem Christi confugit, posteaque pace a Baglis donatus eorumque castra secutus est, tubicenque Erlingi factus. Qui cum jam tubam inflaturus ita se gereret, ac si nullum ex ea sonum elicere posset, omnes Baglorum copiæ fugerunt. Cumque e regione aditus ædis Mariæ venissent, Thorfinnus ceterique Birkibeini, qui cum Baglis erant, ædem cursu ingressi sunt; Hageno vero dynasta cum suis prætereunte, ad eum egressi transierunt, tumque Thorfinnus tubam ad libitum moreque solito inflavit. Itaque complures Baglorum cæsi: Thorger Dokka, Benedictus Gumanesensis, Gunnius Lavius, in cœmeterio ædis Laurentii ceciderunt. Fugientes Bagli cum Moglegordum prætereuntes ad portam areæ devenissent, et angustiore transitu impediti non omnes simul penetrare possent, alii super alios prolapsi sunt, ut eo loco ingens prostratorum cumulus jaceret. Comes Philippus curriculo adveniens, saltu in cumulum dato, in tectum evasit, et ab altera parte desiliit, sicque in pontem pervenit, undecim gravibus vulneribus saucius. Birkibeinis prostratos gladiis cædere

ad necem incipientibus, aliquis prostratorum locutus est: cædere nolite, in hoc enim numero etiam Birkibeini sunt; quo factum est, ut a cædendo desisterent. Hinc pars Baglorum in naves evasit, pars in aquas desilire coacti nando effugerunt et a ceteris excepti sunt. Birkibeini in ponte constituti, oris correptis naves Baglorum ad se traxerunt, utrisque interea omne telorum genus in usum convertentibus. Bagli præcisis oris, qua potuerunt, se exsolverunt, ingressique Jærnfiordum, celoces ab Hageno dynasta ibidem subductas ceperunt, armamenta abscondita investigarunt, et in boreales partes navigarunt. Cumque Kindsoam appulissent, eo loco invenerunt naves illas ingentes ab Hageno dynasta relictas, quæ ventum secundum exspectantes ibidem morabantur; remis enim revehi noluerant, etsi jussi ab Hageno dynasta noctu interdiuque cursum perseverare, donec Throndheimum revenissent. Bagli naves ceperunt, præfectum interemerunt; ceteri in terram aufugerunt; pars necati. Quibus rebus gestis Bagli meridiem versus cursum converterunt, et Erlingum in Vikingavogo convenerunt.

Hagenus dynasta statim post discessum Baglorum Bergis solvit, veritus, ne regem imprudentem opprimerent, eique periculum facesserent. Quam ob rem trajecto orientem versus Borgarskardo in Ostrofiordum descendit, inde superato Trollafjeldo in Leradalum Sognensem devenit, inde per Valdresiam, Gudbrandsdalum, montemque Dovricum profectus in Throndheimum ad regem pervenit.

Erikus archiepiscopus in Norvegiam reversus erat, cæcitate oculorum, ut ante dictum, laborans. Qui cum sedi archiepiscopali tertium annum præesset, muneri sponte renuncians in

suum locum Thorium, Gudmundi Fladii filium, canonicum Osloensem ædis Halvardi, substituit, qui Romam profectus, inauguratus est, et æstate proxime insequenti rediit. Erat prudentia insignis, valens gratia, magnæque in Norvegia momenti et auctoritatis.

Rex Ingius, Hagenus dynasta, Petrus Steiper in Throndheimo hiemarunt. Rex navem triginta sex interscalmiorum, Petrus Steiper alteram triginta duorum, fabricandas curarunt: præter has complures aliæ constructæ. Bagli, captis regiis navibus in Mollefjordo, Bergas profecti copias diviserunt: Philippus dynasta omnes naves majores orientem versus in Vikam duxit; Erlingus cum minoribus navibus et celocibus Bergis remanens, in Nordmoriam usque penetravit, belli commeatus, mercedes prædiorum, omnesque regios reditus redegit oram maritimam visitando, donec in Sunnhordiam devenisset. Hic aliquot suorum relictis, orientem versus Tonsbergam contendit, quo paulo ante festum jolense pervenit. Erlingus Tonsbergi consedit, Philippus vero dynasta extemplo cum aliquot navibus minoribus et celocibus boream versus profectus, Bergas venit, ubi aliquantum temporis commoratus est. Rescierant Bagli, ingentes naves a Birkibeinis fabricari. Quam ob rem ipsi quoque tres ingentes naves ad Tonsbergum construendas curarunt, Erlingus Steinveggus unam, Reidar legatus unam, Philippus Veginensis unam; quæ naves unquam antea in Norvegia factas magnitudine superarunt: duplo enim altiores erant, remi inter interscalmia sentinæ exhauriendæ viginti quatuor, supra quadraginta octo, viginti cubitos longi; tentoria triginta quinque cubitos longa; octoni viri in singulis dimidiis interscalmiis essent, debuitque vir maximæ staturæ esse, qui

strui oneris navalis insistens securi sua bellica ad perticam veli pertinere posset.

Post festum jolense haud ita multo Erlingus Steinveggus in morbum incidit, atque eadem bebdomade mortuus est. Cujus mortem (mortui corpus) septem dies celarunt in cubiculo ejus, deinde funus in ædem S. Olavi servandum deportarunt. Olavum Thoræ filium una cum nave, Comiti rem nunciatum, miserunt; qui, regem Danorum velle cum Comite colloqui, coram vulgo significarunt. Ille confestim orientem versus profectus, Tonsbergum tempore jejunii pervenit; tum palam fecerunt de obitu regis, funusque honorifice sepeliendum curarunt in choro ædis Olavi a boreali parte altaris. Philippus Comes suscepto militari imperio tempus jejunii Tonsbergi transegit.

Erlingus Steinveggus duos reliquerat filios, Magnum et Sigurdum, qui etsi ab eo pro filiis non essent agniti, tamen ejus filii habiti et appellati sunt; Magnus fuit octo annorum, cujus paterni generis probandi causa Erlingus gestari ferrum voluerat. Philippo dynasta bonam adesse successorum facultatem ostendente, militibus probatum est, reges creari Erlingi filios.

Interea noctu interdiuque internuncii cum literis inter episcopum Nicolaum et Philippum commeabant, episcopusque conventus et concilia clandestina cum optimatibus colonorum habuit.

Dimidio mense post festum paschatis elapso Bagli cum Erlingi filiis Sarpsborgam trajecerunt, populumque ad comitia Borgensia convocarunt, quo et adfuit episcopus Nicolaus. Comitia in cœmeterio ædis Mariæ habita. Episcopus in æde se continebat, secum primores colonorum habens, qui prudentia ceteros præstarent, quorumque in tali re summa esset auctoritas, effe-

rum suorum sauciarunt. Sed Arnbjorne Jonis et Nicolao Botolvi cum duabus celocibus ab oriente advenientibus, boreale latus Hordyri circumflectendo refugerunt, Bagli vero universam classem suam in Soknadalo constituerunt. Mox per speculatores edocti, Birkibeinos cum tredecim celocibus in Ekonsundo stare, eo tres celoces proripuerunt, fretum vero adpropinquantibus Birkibeini cum tredecim celocibus obviam iverunt, fugientesque ad ipsum Soknadalum persecuti sunt. Sed cum Arnbjorn ex amne erumpens vexillis volitantibus adveheretur, totam Baglorum classem eo loco stare rati, cursum reflexerunt, et a Baglis ad Svavikam repulsi, eo loco in terram escenderunt. Bagli vero, navibus eorum captis, orientem versus Tonsbergum, Birkibeini boream versus Hvitingsoam ad regem se receperunt.

Post non ita multo Bagli triginta quinque naves minores ac celoces Tonsbergi instruxerunt, cumque in Heljesundum venissent, resciverunt, Birkibeinos orientem versus Listium circumvectos. Nicolaus Listiensis cursum orientem versus reflectere voluit, sed Ormus Skuttelsvend et Erlingus Pikker hoc facere noluerunt, atque eo loco ad vesperam morati sunt. Dein insequenti nocte orientem versus navigarunt, et proximo mane ad Portoam appulerunt. Cœlum erat caliginosum; animadvertentes autem Birkibeinos orientem versus portum prænavigantes, extra Jomfrulandum flectentes orientem versus in sinum remis se abripuerunt, Birkibeinosque tum sinum permensos velis propere insecuti, ad Stavernum appulerunt. Birkibeinos versus interiora per freta vectos Bergulvus Bodus, Erikus, Bergus et Skeringus cum tribus celocibus prænavigando elapsi, Tunsbergum pertenderunt, et

regem Philippum de adventu Birkibeinorum certiorem fecerunt. Ille confestim universo populo ad comitia Hogensia convocato, consultavit, quid faciendum esset, utrum classe cum Birkibeinis confligere, an in oppido excipere hostium impetum vellent; sic enim, si multitudine superarentur, elabi posse. Arnbjorn Jonis locutus est: conscendamus naves nostras ingentes, eosque fortiter excipiamus, nam quamvis numero superiores sint, tamen sero futurum erit, ut nos devincant. Cujus oratione collaudata et ab omnibus comprobata, ingentem illam navem, quam Philippus Veginensis faciendam curarat, ceteras omnes magnitudine superantem, conscenderunt, Arnbjorne Jonis proram cum suis defendente, rege puppim cum suis propugnante.

Rex Ingius, navibus ad Rossanesum appulsis, suos arma induere jussit. Admotis deinde navibus, cum tam prope abessent, ut tela utrinque accidere possent, Bagli nave relicta in pontem excurrerunt, et primo quidem regii. Hic Arnbjorn Jonis: posthac nunquam successum fortuna dabit, si nunc fugiam; tamen quod ad manum est capiendum consilium est. Atque in pontem exiliit. Birkibeini objectu longarum navium ubique interjacentium diu ab exscensione prohibebantur. Bagli ex oppido aufugientes Frodosum superarunt, nemine in oppido remanente, præter colonum (Thorbjorni Skevo nomen fuit), qui interfectus est. Birkibeini omnes naves, quæ eo loco erant, ceperunt, tam eas, quas rex Ingius et Hagenus dynasta Nidrosiæ amiserant, quam ingentes illas a Baglis fabricatas, cum omnibus rebus quas continebant; Bagli enim tumultuarie oppidum reliquerant. Rex aliquantum temporis Tonsbergi moratus est.

Svertingus et Ivar arcem Bergensem tenebant. Bagli classem celocium ducentes, in boreales regni partes profecti, ubicunque in Birkibeinos inciderent, eos magnis damnis et cladibus affecerunt. Bergas delati, arcem obsidione cinxerunt, omnia propugnacula exteriora igne absumserunt. Birkibeini interiorem arcis partem tenentes satis cibariorum habebant, aquæ inopia laborabant. Bagli, ne quis ex oppido commeatus subveheretur, observarunt; resque sic aliquamdiu tenuit.

Archiepiscopus Thorer in oppidum advenerat. Hunc Birkibeini misso nuncio consuluerunt, utrum arcem, quamdiu possent, tenerent, an dederent iis conditionibus, quas concedere Bagli vellent. His ille respondit: mea sententia est, ut arcem teneatis, si facere possitis. Quod si tenere diutius ob aliquam causam non possitis, satius est, pacem in tempore petere, dum aliquamdiu teneri a vobis arcem posse Bagli persvasum habebunt. Petierunt ab eo, ut in arcem venire dignaretur, et inspicere, quantum copiæ suppeteret. Ille sic fecit, intellexitque, eis brevi defutura cibaria; quare decretum est, ut, si fieri posset, pacem eis a Baglis impetraret. Itaque in oppidum ad præfectum Baglorum descendit, negotiumque eis sic proponit, si quod peteret fecissent, se omni studio elaboraturum, ut Birkibeini eis arcem traderent. Quid petere vellet, quærentibus, ille: hæc arx, multorum hominum incommodo magnoque oppidi damno, hic longo tempore stetit. Quam ob causam multi eam dirui optant; nam etsi eam expugnare tandem potestis, brevi tempore eam retinere poteritis, neque, puto, nunc vobis magis quam antea libitum erit cum Birkibeinis in oppido manum conserere. Quod si Birkibeinis liberum exitum, vitæ bono-

rumque usu concesso, nullo damno noxaque illata, permittere velitis, promitto me effecturum, ut arcem vobis dedant. Variabant sententiæ Baglorum, aliis rem probantibus, aliis dicentibus, magnam copiam pecuniarum oppidanorum arce contineri, quas prædæ loco sibi cessuras sperarent, præterea in spe esse, etsi non dederetur, propediem expugnatum iri, quod castellanos aquæ inopia laborare audissent. Quibus episcopus: haud ita est, inquit; satis habent potus, dum pluviam aquam nacti fuerint, satisque in duos annos cibariorum habent. Si Hagenus dynasta ante expugnatam arcem ab oriente advenerit, nihil obtinetis. Rem eo perduxit, ut hæc pacificatio inter utrosque conveniret, addita conditione, si rex Philippus, qui quotidie exspectabatur, non improbasset. Itaque in hanc rem obsides mutuo dati.

Rex Philippus ac sui, Tonsbergo expulsi, itinere per Oplandum facto in Sognum descenderunt. Hic cum suos Bergis esse cognovisset, comparatis navibus in oppidum profectus est. Cui archiepiscopus de pacificatione, quam inter Birkibeinos Baglosque fecisset, exposuit. Qua ab rege probata, tertio inde die Bagli ad arcem accesserunt, castellanique eis portas arcis aperuerunt, et suas quisque res ac pecunias efferentes exierunt. Bagli suis ab utraque plateæ parte dispositis angustias fecerant, per quas Birkibeinis transeundum erat. Rex Philippus, proxime ad portam arcis consistens, dextram virginis (principis) Kristinæ Sverreris filiæ complexus ex porta eduxit, sequente domina Kristina, Hageni dynastæ uxore, Sigrida, sorore regis Ingii, Gyrida Jonis filia, uxore Evindi sacerdotis affinis, aliisque nobilibus feminis, quarum in arce ad quadraginta fuere; quæ in cœmeterium ædis

Christi concesserunt. Ibidem quoque fuit filius regis Hageni Sverreris filii, et Skulius, frater regis Ingii, quem archiepiscopus ad se recepit; idemque omnes feminas, quamdiu Bagli in oppido versabantur, domo sua texit. Bagli apud regem Philippum conquesti sunt, quod se præda et manubiis privasset, si enim non advenisset, facile se arcem expugnare potuisse; Birkibeinos grandes auri argentique sarcinas, aliasque res pretiosas, quæ regis Ingii et Hageni dynastæ aliorumve Birkibeinorum essent, ex arce extulisse. Hinc factum, ut rex Philippus, in cœmeterium ædis Christi transgressus, omnes qui in arce fuerant jurare adegerit, neminem plus auri aliarumve rerum, quam quod ipsius esset, exportasse. Cujus jurisjurandi feminis nobilibus gratia facta est. Svertingus ad Baglos transiit, et suam eis fidem obstrinxit; quam ob rem in magnam suspicionem et crimen venit, quod arcem dedidisset, cum cognito Baglorum adventu satis spatii habuisset ad res necessarias comparandas, quo facilius tolerari obsidio potuisset; et fuere, qui cerevisiam clam exhaustam profusamque autumarent.

Proximo die Mercurii Bagli arcem ingressi, cum singula scrutati essent, satis cibariorum et alimentorum, parum pecuniarum rerumve mobilium invenerunt. Abstulerunt inde res quasdam pretiosas, quæ regis Ingii erant, sellamque, quam rex Sverrer faciendam curarat; hanc rex Philippus archiepiscopo donavit, et postea diu in æde Christi in Thrandheimo servata est. Arce deinde inflammata animadverterunt, se non satis diligenter perscrutatos esse; nam butyrum liquefactum per parietes torrentis modo perfluebat; mox omnia, quæ concipere ignem poterant, incendio absumta, et die Saturni murus (vi ignis)

diruptus. Deinde murum solo æquarunt. Eadem vespera cognoverunt, adventum Hageni dynastæ exspectari, quare iter ex oppido quam celerrime appararunt. Tertio post die, quam murum arcis solo æquarant, meridiem versus in Sundsvogum classem moverunt.

Rex Ingius et Hagenus dynasta ingentes illas Tonsbergi naves, et præterea Gestakelvam ac Lyrtundam aliamque navem prægrandem, igne absumendas curarunt, Gulbringam ceterasque naves retinuerunt. Cognito, Baglos in partes boreales concessisse, copias diviserunt, rege cum maximis navibus Tonsbergi remanente, Comite boream versus cum navibus longis et celocibus contendente. Qui cum in (sinum) Hordseum devenisset, Baglos ex transverso sinum enavigantes persecutus est. Quos cum assequi non posset, tolli vela jussit, et Bergas navigavit. Hic multæ ad eum criminationes delatæ sunt de his, qui arcem dediderant. Dagfinnus Bonde auctor fuit, ut murus reædificaretur; quod et in dies factum est. Hagenus dynasta, reminiscens, regem Ingium parum apud se copiarum habere, orientem versus ad eum proficisci statuit, et Petrum Steiperem ac Dagfinnum cum magno militum numero ad reficiendam defendendamque arcem constituit.

Rex Ingius Tonsbergo profectus, Gulbringam duasque alias ingentes naves Osloam duxit. Bagli a borealibus profecti, secundum ventum nacti sunt, delatique ad Tromlingas cognoscunt, regem Ingium Osloæ esse. Itaque Tonsbergum prætervecti, intrato sinu, ad Hovidsoam pervenerunt. Quorum adventu animadverso, Birkibeini in naves decurrerunt, provectasque in ancoris tenuerunt. Tum Bagli tam prope eos accesserunt, ut ancoralia navium præciderent. Vento

vehementius spirante, naves ingentes boream versus oppidum præterlatæ et Fresjam usque depulsæ in vadis hæserunt. Quas Bagli remis insecuti, strenuo animo aggressi sunt, utrisque fortiter rem gerentibus. Rex Philippus suam celocem tam prope admovit, ut eam Birkibeini injecta ancora manibusque ferreis attraherent. Ille cum suis in mare se ex navi ejecit, et a Baglis in aliam navem extractus est, aliquot suorum interfectis. A qua re depulsi Bagli, ad oppidum remigarunt, multas scaphas ingentis magnitudinis ceperunt, has lignis, corticibus et stipula compleverunt, subjectoque igni secundo vento ad naves Birkibeinorum deferendas permiserunt; verum hi eas longuriis et manibus ferreis averterunt, ut in arenosum litus deferrentur. Bagli oppidum repetierunt et sub vesperam ad Hovidsoam se receperunt. Tum sedato vento marisque accessu naves Birkibeinorum ex vadis levatæ sunt, quare iterum ad oppidum appulerunt et in ancoris, donec illuxerat, steterunt. Sequenti mane Bagli Tonsbergum profecti, omnes naves majores, quas comparare poterant, tam mercatorias quam alias, ceperunt, Birkibeinosque in sinu obvios habuerunt. Cum utrique ad ictum teli venissent, Birkibeini cursu in transversum Ofiordum converso aufugerunt; tum Bagli, mercatoriis navibus venti æstusque arbitrio relictis, navigia sua leviora et celoces conscenderunt, et Birkibeinos insecuti sunt, totumque diem alteri in alteros tela conjecerunt. Sub vesperam Birkibeini in portum Rendshavnam appulerunt ibique ad ancoras steterunt, Bagli proxime inde ad litus naves suas constituerunt. Birkibeini, aquæ penuria laborantes, sequenti mane classem navibus Baglorum admoverunt, et quæsiverunt, annon cognatus Smorkorii (regem Philippum in-

telligentes) regi suo portu excedere vellent. Bagli naves portu deduxerunt, atque Birkibeini iterum orientem versus converso cursu ad Stavernum appulerunt, Baglis sequentibus et, ut antea, naves juxta eos constituentibus. Sequenti mane Bagli appulsis ad promontorium navibus triginta naves ab occidente Granmaris ferri conspexerunt; quas cum Hageni dynastæ esse arbitrarentur, magnus inter Baglos fremitus ac strepitus extitit. Birkibeini eos inclamantes interrogarunt, ecqua vela advolantia animadverterent, rogantes, ut quieti juxta se manerent. Bagli id non curantes, sinu orientem versus transnavigato, ad Ostvigsholmum appulerunt, ibique aliquantum temporis manserunt. Naves vero illæ mercatoriæ celoces fuerunt, quæ Bergis delatæ ab occidente navigarunt, et Tonsbergum se sub hiemem recipere voluerunt.

Paucis post diebus Bagli, cursu boream versus circumflexo, cum in Trymlingas venissent, cognoverunt, Hagenum dynastam orientem versus navigasse, Petrumque Steiperem et Dagfinnum Bergis versari in restauranda arce occupatos. Dagfinnus, qui se, arce incolumi, in Hordia præfectura sua tueri posset, arci ædificandæ magnam curam adhibuit; Petrus vero Steiper et Hagenus dynasta ædificationem negligebant.

Bagli boream versus subito profecti, omnibus inscientibus facta Bergis escensione, bellicum cani jusserunt. Dagfinnus in arce se continebat; quo cum se Birkibeini, in oppido versantes, animadverso hostium adventu, conferre vellent, antequam arcem intrassent, undecim ex suis amiserunt. Petrus Steiper cum suis ex oppido aufugit. Bagli ad arcem succedentes Dagfinno pacem et abeundi veniam obtulerunt. Qui cum sibi tali venia opus non esse significasset,

Bagli arcem oppugnabant, Birkibeinis se fortiter defendentibus. Tum Bagli, igne lignisque sumtis, incendium juxta murum excitarunt. Quo facto Birkibeini fumo, æstu et lassitudine exanimari cœperunt; erant enim non amplius viginti quinque viri, Bagli vero per vices arcem oppugnabant. Tum Dagfinnus progressus pacem exeundique veniam oravit. Bagli responderunt, illi non tunc magis quam antea pacis ab se oblatæ opus esse. Dein Bagli scalas templorum usibus inservientes muro admoverunt, et in arcem adscendere pararunt. Dagfinnus filium regis fune ex muro demisit eique pacem petiit, addens gladium crustatum, quem Gyrdo Skelgo affini suo misit; qui accedens puerum gladiumque recepit. Ei Dagfinnus; adi ad regem et experire, an impetrare pacem nobis queas. Ille sic fecit, regique omnia sua prædia pignori dedit, si Dagfinnus unquam postea adversarius ei esset, deprecante simul cum eo Arnbjorne Jonis filio. Rex concione classico convocata militum arbitrio rem permisit, qui nullam Dagfinno pacem concedere voluerunt; Gyrdus interea non minus quam antea orare perseveravit. Cui rex: solum Dagfinnum huc descendere jube, ut pace donetur. Gyrdus accedens ei significavit. Cui Dagfinnus: solus pace donari noli, nisi omnes impetrare possimus, aut hic omnes una moriemur aut omnes una pace fruemur. Quæ dicta Gyrdus regi retulit. Hic rex milites oravit, ut pacem eis concederent, dicens parum inde commodi accessurum, si paucos homines idque male acceptos interfecissent. Sic pacem impetrarunt, cum eo tamen, ut inermes et vacui ex arce abscederent; postridieque in verba regis Philippi jurarunt. Quo facto arcem diruendam singulosque lapides dissolvendos curavit.

Post hæc rex Philippus boream versus in Throndheimum navigavit, ubi in comitiis Œrensibus rex consalutatus est. Id temporis tanta fuit in Throndorum communi caritas annonæ, ut suos ibi milites alere non posset; quare post initium hiemis inde recessit, austrumque versus Bergas profectus est. Dein aliquot celoces in partes meridionales demisit, quæ res adversariorum specularentur. His præfecti, Byrger Stangensis, Brynjolvus Nevus, Berulvus Botus et Skæringus Skuta, cum cognovissent, Petrum Steiperem, de adventu suo penitus ignarum, Stavangriæ per dies, non noctu, versari: illuc subito cursum direxerunt, omnibusque inscientibus in terram escenderunt, quo tempore Petrus Steiper sacris matutinis operam dans in sacra æde versabatur. Sed admonitus ex æde evasit, et in pedes se conjiciens ex oppido cum suis aufugit. Quos persecuti Bagli undecim ex iis interfecerunt. Petrus elapsus est, quod pedum pernicitate omnes homines superabat; tamen ei tam acriter institerunt, ut tunicam et zonam abjicere cogeretur. Tunicam invenerunt; qua conspecta, filia eum mortuum esse pro certo habuit, donec nuntium ab eo accepit. Bagli postridie boream versus Bergas repetierunt.

Rex Ingius et Hagenus dynasta cum suis ab oriente profecti, diu ad Sæloas steterunt: quam ob causam hic autumnus Sæloensis appellatus est. Deinde boream versus in Karmsundum navigarunt. Quo cognito Bagli Bergis profecti, terram non prius attigerunt, quam in Bardsundo, indeque Husvikam contenderunt. Tunc Birkibeini Oresundum delati cognoverunt, Baglos intra insulam Stordam dictam navigare statuisse. Quare Hagenus dynasta meridiem versus noctu ad Utolvsnesum cum omnibus navibus

levioribus concessit. Cumque Bagli eadem nocte ad Lovingnesum pervenissent, ad Utolvsnesum trajiciebant; hic in sinu Hagenus dynasta eis occurrit. Ubi cum alteri alteros ambiguis flexibus diu elusissent, Bagli, noctis beneficio, tam tenebrosæ, ut inter se nec conspicarentur nec agnoscerent, elapsi sunt; Birkibeini boream versus Bergas contenderunt, eoque statim post festum jolense pervenerunt. Bagli postridie in Hovesundo convenerunt, quo ad eos literæ episcopi Nicolai de pacificatione inter Birkibeinos Baglosque allatæ sunt. Quas cum rex Philippus recitari militibus jussisset, in Ekronsundum navigarunt, pars in oram Agdensem concesserunt, et in hospitia recepti festum jolense ibi transegerunt, posteaque Tonsbergum navigarunt.

Thoreri Voto nomen fuit, fabro ferrario, Fislis in Neso habitanti. Ad hunc vespere quodam vir advenit, qui hospitium nocturnum petebat, postulavitque, ut quatuor soleæ equo suo fabricarentur. Noctu surrexerunt et opus aggressi sunt. Ille advenam interrogavit, ubi nocte proxime præcedenti hospitatus esset. In Medaldalo, inquit, in parte Thilemarkæ, qua proxime boream spectat. Faber: nocte vero superiori, ubi tunc fuisti? advena: in Jardalo, Rygiæ provinciæ parte, quæ proxime boream sita est. Faber: tu vero impudentia mendacia dicis, qualia nemo unquam, qui hac iter fecit. Fabricantibus cum ferrum neque igne satis molliretur, neque quam vellet faber formam acciperet, advena: fac sponte procedat, inquit. Ita soleæ juste majores factæ sunt, sed cum ungulis equi adaptarentur, congruebant. Faber porro: quis es, unde ades, quo hinc cogitas? Ille: a borealibus regni partibus adveni, diuque in navibus sum versatus, nunc aliquantisper equo uti libet,

in Sveciam scilicet, nomen vero mihi Odin est. Quibus dictis si fidem non habeas, animum adverte, qua ratione hinc proficiscar. Atque equo concitato sepimentum septem cubitos altum transiliens, in sublime evectus est (in auras evanuit), ut eum postea nunquam conspiceret. Quarto post die rex Sverker et rex Erikus in Svecia conflixerunt.

Episcopus Nicolaus (præcedenti) æstate boream versus in Throndheimum ad archiepiscopum profectus fuerat, conveneratque inter eos, ut omnem curam ad id conferrent, ut gratiam inter Birkibeinos et Baglos reconciliarent. Dein episcopus orientem versus reversus, literas ad Birkibeinos et Baglos misit, ut in gratiam redirent. Et vere, cum mare glacie liberum esset, Tonsbergum profectus est ad regem Philippum, et cum eo consilia conferebat. Rex ex episcopo quæsivit, quas conditiones pacis inter se ac Birkibeinos proponere vellet. Episcopus contra: ut vos tres principes, duo reges unusque comes, regni sceptra teneatis, quorum singuli trientem habeat, atque tu quidem Vikam et Oplandum, quæ pars Throndheimicæ multum præstat, cum ea regio fame et annonæ caritate laboret, hæc vero rerum affluentia floreat. Præterea convenit inter me et archiepiscopum, ut virginem Kristinam Sverreris filiam, quæ hoc in regno nata est, uxorem ducas; ex qua si filios procreaveris, spero futurum, ut prosapia Bordi Guttormi filii aut Folkvidi prætoris parum honore et auctoritate valeat. Et ratio svadet, ut hæ conditiones animo ad pacem et concordiam propenso acceptentur; nam diutina cum Birkibeinis contentio magnum nobis negotium et difficultatem creavit. Hæc cum regi Philippo perbene placerent, literæ inter regem Ingium et episcopum

Nicolaum intercedere cœperunt, factumque est, ut episcopus, cum comitatu amplissimorum, qui Osloæ erant, virorum, ad regem et Hagenum dynastam adiret. Negotium coram rege et comite exponens, his verbis usus est: rex Philippus cognatus meus vobis has conditiones proponi jubet, ut ab omni adversus vos contentione desistere, vobisque affinitate jungi velit, si ei Kristinam regis filiam nuptum dare vultis; quo facto vobis et reipublicæ, ubicunque opus fuerit, auxilium præstabit. Rex et Hagenus dynasta pauca ad hæc respondebant, tantum monuerunt, episcopum frustra alias proponere pacis conditiones, quam ut rex Ingius regium titulum solus gereret. Episcopus vero suscepto negotio non defuit, sed tam sapienter et caute, etiam blandimentis adhibitis, procuravit, ut Birkibeini tandem Philippo regis filiam uxorem concederent, si ipsi placuisset, tantumque regni, quantum Erikus dynasta, regis Sverreris frater, aut Philippus dynasta, filius Byrgeris Brosæ, tenuissent, cum eo honoris titulo, quem ei rex concedere vellet, quanquam episcopus Birkibeinis visus est omnia amplius et latius accipere et interpretari, quam concessissent et probavissent.

Episcopus hac de re cum virgine Kristina regis filia, regis Philippi cognati sui nomine, egit. Quæ, levius affecta: quamvis, natalium habita ratione, inquit, non indigna forte existimer, quæ regi terras et regna ditione tenenti nubam, haud tamen arbitror Birkibeinos ei hoc magis regnum, honorem ac potestatem concessuros, quod me uxorem ducat. Episcopus respondit: probe intelligere potes, cognatis tuis parum curæ esse, ut te amplis nuptiis ornent, neque enim te regi Daniæ neque Sveciæ matrimonio jungunt; quin te aut in terras tam remotas nuptum mit-

tent, ut tua proles hoc regnum nunquam adire possit, aut alicui ex hujus terræ colonis nato in matrimonium dabunt. Et si tibi Philippus ex regia familia non ortus videatur, ut jure possit regiam gerere dignitatem, tamen, ex quo rex factus est, Birkibeinos satis occupatos tenuit; et persvasum habeo, eum nunquam potestate sua cessurum aut in gratiam cum Birkibeinis rediturum, nisi tua fiat gratia. Cui illa: nolo viro nubere, qui patre aut avunculo inferior sit; audio enim, Philippum, si Birkibeinos secum reconciliatos velit, oportere regium titulum deponere. Episcopus: ne cures, quæso, quæ jactent; nos facili negotio rem sic moderabimur, ut Philippus nomen regium minime sit depositurus; namque eum hoc magis regem appellabimus, quod tale connubium adeptus sit. Hic eorum colloquio finis fuit. Episcopus, cum ad regem Ingium et Hagenum dynastam revenisset, non celavit, quid responsi regis filia dedisset. Archiepiscopus quoque, quantum in se fuit, ad pacem faciendam hortatus est; et factum tandem est, ut de ea re in comitiis ageretur. Hic episcopum Nicolaum verba facientem Birkibeini odiose interpellarunt, sceleratum istum tacere jubentes, cui quamvis blandiloquo non major quam antea habenda fides esset. Quibus episcopus: ne ita frematis; suam sic orationem Nicolaus semper temperare et accommodare potest, ut omnibus cordatis placitura sit. Ego ille, qui factionem Baglorum huc usque meo consensu et auxilio sublevavi, nunc eo majori studio pacem et concordiam promovebo, ut redire tranquillitas reipublicæ possit. Quæ cum diu ac sapienter disseruisset, tandem consensum decretumque est, ut reges in Hvitingsoa congrederentur. His actis episcopus Nicolaus orientem versus reversus, regi Philippo rem ge-

stam significavit. Ille se ad hunc congressum sive conventum pacificatorium comparavit, tot tantasque ducens naves, ut consensum constitutumqne fuerat, navibus minoribus et celocibus, quas supra eum nnmerum adduxisset, diversis locis in ora Agdensi relictis.

Birkibeini frequentiores, quam ex pacto, in conventnm adfuerunt, pluribus in dies adfluentibns. Rex Ingius et Hagenus dynasta ad Hvitingsoam steterunt, rex Philippus exterius ad Notoam, bonis viris inter utrosque intercedentibns. Postremo ipsi reges inter se collocuti sunt, præsentibus multo pluribus Birkibeinorum, quam Baglorum. Cum rex Ingius consedisset, archiepiscopo et episcopo Nicolao e regione ejus sedentibus, rex Philippus ad scamnum accessit et jnxta regem Ingium considere voluit, sed Hagenns dynasta eum repulit seque inter eos medium collocavit. Dein archiepiscopus, regis Ingii, episcopus Nicolaus, regis Philippi nomine, de conditionibns pacis, de quibus inter eos convenerat, disputare cœperunt, ntrisque, ut plerumque fit, suo commodo servientibus. Longo habito colloquio, decreverunt Birkibeini, ut Philippus Oplandum ditione teneret, præterea Vikam, ab Svinasnndo et occidentem versus ad amnem Siram vel Ryarbitum, pro dote virginis Kristinæ Sverreris filiæ; reginm nomen deponeret; sigillnm, cui regis nomen impressum erat, redderet; eum titulum et nomen gereret, quod ei rex Ingins concedere voluisset; ad hæc obsequium regi Ingio juraret, se eum tam extra quam intra regni fines cum omnibus copiis ad terram defendendam, si opus esset, secnturum. Rex Philippus, animadvertens, Birkibeinos magnum copiarum numerum habere, et quo loco res suæ tunc essent, frustra esse iis obloqui, sic locutus est:

bello ac turbis, quæ jam diu tenuerunt, supersedebo, conditionesque, de quibus antea consensi, accipiam unacum ea regni parte, quæ mihi concedetur; quicquid deinde nominis adeptus ero, talis sum, qualis ero, eaque res penes regem Ingium sit. Sigillum autem meum hic loci non est, sed Osloæ apud cancellarium meum; inde vobis repetendum est. Tum rex Ingius: hoc primum tibi nomen ac titulus esto, quod Philippus appellabere. Hoc quoque iisdem conditionibus conclusum est, ut quæ damna hominum rerumve utriusvis subditi accepissent, ea nemo expianda, restituenda, reparandave postularet. Hæc pacificatio jurejurando confirmata est; primo rex Ingius et Hagenus dynasta jurarunt: deinde progressi duodecim utrinque principes ac præfecti jurarunt, se pacta fideliter servaturos. Gunnar Grynbakus prætor jusjurandum eis præivit. Sic finito conventu, Bagli ad naves se contulerunt. Arnbjorn Jonis filius, qui Philippum manu ducere solebat, cum ab altero ejus latere incederet, porrigenti manum: tu tibi ipse dux sis, inquit. Postridie Philippus virginem Kristinam regis filiam despondit.

Tam inter Birkibeinos quam Baglos ingens fremitus extitit, quod multi ex amplissimis viris, durante bello, omnium bonorum et pecuniarum jacturam fecerant. Quam ob causam id excogitatum consilium est, ut æstate proxime insequenti occidentem versus in Hebudas profecti, prædas agerent, bonaque et pecunias repararent; quem in finem utrique naves compararunt. Petrus Steiper et Reidar legatus, qui Margaretam, filiam regis Magni Erlingidæ, in matrimonio habuit, societatem inter se fecerunt, ut proxima æstate Hierosolymas navigarent; quo facto digressi sunt.

Rex Ingius Dagfinnum Bonde cum quinque celocibus bene instructis orientem versus Tonsbergum misit, literas et mandata ferentem, ut regium Philippi sigillum repeteret. Qui cum mandata sua exposuisset, Philippus respondit, se non prius sigillum suum traditurum, quam consiliarii sui et viri primarii convenissent, Dagfinnumque interea ibi commorari jussit. Paucis post diebus comitia Hogensia convocari jussit; hic suis, oppidanis et colonis significavit, quam pacificationem cum rege Ingio fecisset: pollicitum esse, se regium nomen depositurum, regiumque sigillum traditurum: adesse regis legatum, qui id traditum acciperet: se vero hac de re nunquam fuisse consensurum, si Birkibeini fidem præstitissent, neque frequentiores, quam fuisset constitutum, ad conventum advenissent. Tum Bagli responderunt, Birkibeinos promissa non servasse: mala imprecabantur quicunque regis sigillum abalienari paterentur, denuntiantes se ei, qui accepisset, manum præcisuros.

Dagfinnus, intelligens se regium sigillum non accepturum, adiit ad regem, veniamque redeundi petiit, ut regi suo rem gestam nunciaret. Cui Philippus: incolumis domum redi, tuoque domino renuncia, consiliarios ac ministros meos non permisisse meum sigillum alienari; me contentum esse, quo voluerint tam hujus quam borealis regni partis incolæ, nomine vocari; neque plus regni, quam quod inter me ac Birkibeinos convenit, postulare; quare tibi veniam concedo boream versus redeundi, ut hoc responsum regi et Hageno dynastæ perferas. Cum Dagfinnus redisset regique et comiti hæc renunciasset, rex paucis respondit, Hagenus vero dynasta ira incensus diras voces mittebat et fremebat; et indignabantur Birkibeini, quod se Philippus regem,

ut antea, salutari jubebat: Bagli enim et Vikenses eum regem appellabant, borealis regni partis incolæ non item.

Aliquanto post hanc pacificationem complures utrarumque partium dimissionem petierunt; alii domos suas repetierunt, alii ad mercaturam faciendam se converterunt; et vere proxime insequenti Birkibeini et Bagli cum duodecim navibus in terras occidentales piraticæ faciendæ causa navigarunt, in Hebudibus et circumjacentibus insulis prædas egerunt; nam reguli harum insularum bella inter se gerebant. Insulam sanctam, quam Norvegi ad id tempus sacrosanctam habuerant, populati sunt. Deinde, dissensione inter eos orta, societate dissoluta diversis locis interfecti sunt; quique in Norvegiam redierunt, ob exercitam ab eis piraticam graviter ab episcopis castigati sunt.

Eadem æstate rex Philippus virginem Kristinam regis filiam adducendam curavit, nuptiasque Osloæ celebravit. Regina Margareta, mater ejus, ex Svecia advenerat, ut nuptiis interesset, morbumque nacta paucis post nuptias hebdomadibus obiit. Ea magnos fundos et prædia, pecunias resque pretiosas in Vermalando et Gothia occidentali possedit, ad quas possessiones curandas et servandas Philippus magnum suorum numerum in superiores regiones misit. Qui cum in silvam Eidensem ab oriente sitam pervenissent, socium se eis adjunxit vir quidam, qui se Halvardum Album vocavit; qui corporis dignitate eos omnes superavit. Cum in Vermalandum delati essent, ille se modeste et dissimulanter gessit; si quid vero de possessionibus reginæ ageretur aut dissereretur, plurimum ejus auctoritas valuit, omniaque ex ejus arbitrio acta sunt. Cum

in Norvegiam redissent, ablatus e conspectu Halvardus erat, rex vero Philippus vestibus ejus indutus domum venit Osloamque intravit; qui a suis magna lætitia exceptus est.

Rex Ingius Bergis se continebat, regiasque ædes, quas arci adjacentes Bagli inflammarant, ædificandas curavit, œcumque eodem loco, quo ingens ille œcus regis Osteni fuerat, ponendum; arcem vero restaurari non jussit.

Hac eadem æstate Petrus Steiper et Reidar legatus cum duabus ingentibus navibus, magnoque hominum numero, peregre abierunt, concomitantibus uxoribus, Ingeborga et Margareta regis Magni filia. De quorum peregrinatione multa relata sunt. Petrus Steiper ejusque uxor in itinere obierunt; Reidar vero Hierosolymas pervenit et Constantinopolim ad imperatorem reversus est, cujus ministeriis diu operam dedit, ibique diem obiit supremum.

Regnante rege Sverrere, dynasta Toraldus[1] Madodi filius Orcadensis cum compluribus insulanorum rebellionem adversus eum fecerant, seque Oskeggos appellarant. Cum comes in gratiam cum rege Sverrere redierat, constitutum erat, ut omnes prædiorum mercedes multæque pecuniariæ ex Orcadibus et Hetlandia ad fiscum regis Norvegici redirent; rexque præfectum suum, nomine Arnium Loriam, comiti Orcadensi addiderat, cui dynasta Haraldus vivo Sverrere obloqui non ausus est. Sed mortuo statim rege dynasta Arnium Loriam dolo interficiendum curavit, Orcades et Hetlandiam cum omnibus vectigalibus et mercedibus, uti antea usus fuerat, in potestatem suam redegit; ille duobus post annis, quam Ingius rex Norvegiæ creatus fuerat, mortuus est. Post eum filii sui Jon et David co-

[1]) *rectius* Haraldus, *quod mox sequitur.*

mites Orcadum facti, Norvegia civilibus bellis flagrante, provincias more patris obtinuerunt. Ut vero cognoverunt, pacem inter reges factam esse, episcopum Bjornem in Norvegiam miserunt. Hic, rege Ingio et Hageno dynasta Bergis conventis, mandata comitum exposuit, in gratiam cum eis redire orantium. Eo tandem exitu, ut eorum nomine veniam ab rege et comite impetraret comitibus, æstate proxime insequenti eos conveniendi et in gratiam redeundi.

Eadem æstate, qua Vikingi (i. e. prædones Norvegici) per mare occidentale trajecerunt, postquam reges pacem inter se fecerant, regii præfecti unacum iis in Orcades et Hetlandiam profecti sunt; proximeque insequenti æstate comites cum episcopo in Norvegiam venerunt, ut in gratiam cum rege et comite redirent, omnemque rem eorundem arbitrio permiserunt. Ab his decretum est, ut grandem pecuniæ summam exsolverent, obsides pignori darent, fidemque et obsequium interposito jurejurando illis obstringerent. Factum tandem est, ut ab rege Ingio comites Orcadum et Hetlandiæ constituerentur, iis conditionibus, quæ ad extremos vitæ eorum dies servatæ sunt.

Ragnvaldus, rex Monæ in Hebudibus, et Gudrodus, Manoæ rex, tributum regibus Norvegicis longo tempore non pependerant. Cum vero piratæ Norvegici, insulam populabundi circumeuntes, omnia incendiis et rapinis vastavissent, regesque pacem in Norvegia factam cognovissent, metu perculsi in Norvegiam trajecerunt, et gratia cum regi Ingio et Hageno dynasta reconciliata, tributorum residua persolverunt, fidem et obsequium interposito jurejurando polliciti sunt, provincias suas ab rege Norvegico fiduciarias acceperunt, hisque gestis domum reversi sunt.

Erlingus nomen erat viro Færoensi, qui se regis Sverreris filium jactavit, matre natus Astrida Roii filia. Is aliquanta manu collecta insulas circumiens magnas turbas excitavit. Idem septem liberos habuit. Deinde præfecti Einaris nave vectus in Norvegiam trajecit, et se in tutelam Philippi et dominæ Kristinæ dedidit. Hæc eum liberaliter exceptum pro fratre suo agnovit; paucis vero post annis, cum secari sibi venam fecerat, fluxu sangvinis interiit.

Regi Ingio filius notus erat, nomine Guttormus, matre Gyrida, natus anno secundo postquam rex Ingius imperium capessiverat. Hagenus dynasta et domina Kristina filium habuerunt, nomine juvenem Knutum, Guttormo aliquanto natu minorem.

Hagenus dynasta, ægre ferens, quod regio nomine non uteretur, cum cetera omnia sibi cum fratre communia essent, clam ac secreto cum amplissimis regni viris pactus est, ut regium sibi nomen darent, simulans fratrem ea re contentum fore atque id concessurum. Quod cum omnes libenter probassent, eumque ad eam dignitatem satis idoneum esse testarentur, rem non omnino celavit. Quod cum rex Ingius animadverteret, certisque nunciis accepisset, quibus adjutoribus comes hoc in negotio maxime uteretur, omnibus suis ad concionem convocatis, coram præsentibus ita verba fecit: haud parvi momenti res est, quæ me, qui in comitiis aut frequentia hominum verba facere non sum solitus, prodire in concionem impulit; quam rem sic exponere velim, ut vos omnes, quid loquar quidque sentiam, intelligere et percipere possitis. Certis auctoribus comperi, fratrem Hagenum dynastam cum multis principibus aulicisque pactum esse, ut sibi regium nomen darent, multosque id libenter pollicitos, di-

centes, id quod verum est, eum ad id non minus idoneum esse, quam me. Se quoque opinari dicit, me non ægre laturum, cum Philippum appellari regem patiar, fratrem quoque sui imperii regem, æque ut me, appellari. Sed notum omnibus est, me fratremque meum Philippo regium nomen in Hvitingsoa abrogasse, eumque in verba nostra jurasse, quam ob rem hujus quidem tituli usurpatio ei dedecori potius quam honori est. Ego vero regium nomen in comitiis Œrensibus accepi, mihi omnis populus, tam Hagenus dynasta et Philippus, quam ceteri, obsequium jurejurando dicto pollicitus est, cum ipse nemini meam fidem obstrinxerim, nisi ut civibus jus inviolatum servarem. Quam ob rem notum sit omnibus vobis, me quamdiu vivam non passurum, ullum alium, præter me, regem Norvegiæ appellari, si modo jusjurandum mihi datum servare, mihique adhærere velitis. Universi dicta ejus approbarunt orationemque collaudarunt, uno ore dicentes, se eum sequi eumque solum pro rege habere velle; gratiasque ei pro verbis suis egerunt, disertiorem quam opinati essent prædicantes. Qua re palam facta, cum Hagenus dynasta clandestino consilio de regio nomine sumendo desistere cogeretur, aliam palam cum amicis rationem iniit, archiepiscopo universisque episcopis in suam sententiam perductis, petiitque, ut certum aliquod pactum de regno cum fratre fieret, qui id post decessum alterutrius eorum adipisceretur. Objecerunt regi Ingio, quod legitime natus non esset, cum mater Cecilia, vivo adhuc priori marito, Bordo Guttormi filio nupsisset; reponente Ingio, matrem, venia archiepiscopi impetrata, novum connubium iniisse. Episcopi contenderunt, eum demum legitimum regem esse, qui legitimo connubio natus nobilique

genere ortus esset, remque tanto studio urgebant, ut rex Ingius pactum cum Hageno dynasta inire cogeretur, his conditionibus, ut, alterutro mortuo, qui superviveret, mortuo in regno succederet; utroque mortuo, qui ex filiis utrorumque legitime esset natus, totum regnum adipisceretur. Quod pactum literis confirmatum, sigillisque regis, comitis, archiepiscopi Thoreris, archiepiscopi Eriki, episcopi Nicolai, episcopi Martini munitum est.

Hagenus dynasta ægerrime tulit, Philippum regem appellari, de eaque re sæpe cum rege Ingio collocutus est. Rex quidem parum ea re movebatur, postulante vero comite literas de hac re ad Philippum miserunt, eum hujus nominis usurpatione pacta Hvitingsoæ conventa migrare. Philippus suos intimos amicos in concilium hac de re adhibuit, qui hortati sunt, ut regio nomine uteretur. Domina Kristina ira commota fremebat, quod rex appellari non auderet, dum alii eum salutare regem vellent. Rex Philippus eis amice rescripsit, se nulla pacta rescindere velle, neque tamen impedire posse, quominus se quo quisque vellet nomine appellaret, neque improbare, si quis se regem non salutaret. Et aliquot literis ultro citroque missis consensum est, ut iterum Hvitingsoæ convenirent cum quinis denis navibus, quarum nulla major esset quam quindecim transtrorum sive interscalmiorum.

Skulius, regis frater, præfecturam Sognensem tenebat; is naves quindecim interscalmiorum faciendas curavit, quæ naves viginti interscalmiorum magnitudine æquarunt. Quo cognito, Bagli in conventu adesse noluerunt. Quo factum est, ut hæ naves Pacis turbatrices appellarentur.

Regina Kristina puerperio mortua est, infantem enixa, qui aliquamdiu post mortem ejus superstes fuit. Dein hic quoque mortuus est.

Quem mortuum Philippus compluribus viris fide dignis conspiciendum dedit, et in comitiis palam fecit, infantem matri fuisse superstitem, sperans, se hoc modo omnes facultates ejus retenturum.

In communi Throndorum tanta erat caritas annonæ, ut rex vectigalia ab colonis accipere nequiret. De hac re præfecti regii crebro coram rege questi sunt, in primis Erikus Foss, præfectus Strindensis. Hunc postremo rex conventum colonorum in Strinda habere jussit. Qui cum colonos ex omnibus præfecturis convocasset, ad regem profectus, eum hac de re certiorem fecit. Itaque rex cum terrestribus navalibusque copiis interiorem Throndheimum profectus est. Advenerant coloni, plena armatura quasi ad prælium instructi, et snb rupe consederant. Rex misso fratre Skulio, eos descendere et præsente rege in conventu adesse jussit. Quod cum facere nollent, Erikus Foss equo advectus hortatus est, ut descenderent et coram rege se sisterent, cumque cunctarentur tardiusque se moverent, colonorum aliquem hastili inter scapulas percussit; qui conversus grandi securi femen Eriki succidit, ut semianimis humi collaberetur. Dein ceteri, arreptis securibus, hastis et gladiis, ab rupe adversus regem subito ruebant. Rex, quod cum ipsius colonis pugnare noluit, signa referri jussit, ipseque cum suis pedem retulit. Cum vero coloni recedentes insequerentur, et aliquot ex regiis interfecissent, Skulius regis frater, regem inclamans hortatus est, ut adversus colonos, insequentes jam suosque interficientes, sese verteret; quare rex conversus inferri signum jussit. Tum colonos fusos fugatosque Birkibeini terra marique persequebantur.

Hanc adversus regem seditionem, auctoribus

Hageno dynasta et archiepiscopo Thorere a colonis concitatam fuisse, magna suspicio erat.

Postquam rex, capto a Baglis Throndheimo[1], ægerrime clapsus est, semper animo erat dejecto minusque firma valetudine; in navibus vitam agere, jucundissimum existimabat; cum in emporio versaretur, quiesque a bello esset, plurimum in cubiculo suo se continebat, paucos apud se habens, quos maxime diligebat, quibusque fidem maxime habebat, quos omnibus rebus liberaliter habuit. Fuit quietus et placidus, non insolens aut superbus, sed humanus et comis, perquam bonus et facilis. Cum nullum strepitum ferre posset, raro in compotationes et sodalitia veniebat, quod minus gratum fuit nonnullis suorum, qui sodalitiis, ebrietatis et vaniloquentiæ stabulis, interesse satius ducebant. Tres ex suis, quos intimos habuit, semper apud se in cubiculo habebat, quales erant Povelus Droste, Arnfinnus Tiodii, Henrikus Skot; ex quibus Povelum maximi fecit, erat enim ejus Droste sive aulæ magister, et eodem quo rex lecto cubuit. Vespera quadam cum Povelus cubitum iret, rex animadvertens, eum nudum cultrum manu tenere, manu prehensa, ceteros inclamavit; qui cum Povelum comprehensum interficere vellent, rege vetante, ne quam vim ei inferrent, ex cubiculo ejecerunt. Post hæc Povelus se in oppido continebat. Rex Henrikum Skot servare cultrum jussit, omnesque, qui intus erant, rem gestam cuiquam enarrare, priusquam ipse indicasset, vetuit.

Post aliquanto, Skulio fratre regis et Jone Ostrota, qui Sigridam regis sororem in matrimonio habebat, regem convenientibus, rex fratri rem aperuit, antea fidem adstringere jusso, se ea de re non succensurum, neque Povelo vim

[1]) i. e. capta Nidrosia.

ullam illaturum, dicens se eum peregre ablegaturum.

Ita aliquot anni præterierunt, ut Povelus, ut antea, apud regem versaretur, rexque, quærente fratre, cur in exilium non mitteretur, semper aliquid causaretur. Tandem Skulius, regis frater, et Jon Ostrota Povelum in Throndheimo occiderunt. Quod factum regi magnopere displicuit; Povelus enim ei indicaverat, quo hortante tantum in se facinus admisisset. Verum tamen pacis concordiæque servandæ gratia rem intactam esse sivit. Jon Ostrota statim post hæc Bergis mortuus est.

Eadem, quam supra diximus, hieme Hagenus dynasta Bergis in morbum implicitus, statim post festum jolense mortuus et in æde Christi sepultus est. Universi cives ejus mortem graviter doluerunt, magnum in tali tantoque principe damnum fecisse arbitrati. Nam inter omnes constabat, ejus ætate neminem Norvegorum strenuiorem aut manu fortiorem eo fuisse; accedebat, quod et civitatis regendæ peritus erat, et omnium ordinum, tam militum quam populi, gratia florebat.

Uxor ejus, domina Kristina, cum filio Juvene Knuto statim orientem versus in Gothiam profecta est, ubi prætori Askillo nupsit. Archiepiscopus Thorer æstate proxime insequenti obiit, in cujus locum Guttormus archiepiscopus creatus est. Rex Ingius, mortuo fratre Hageno dynasta, totum imperium cum aulicis præfectisque ejus sibi subjecit. Æstate proxime sequenti rex Bergas profectus, advocatis omnibus præfectis, magnoque exercitu per partes regni orientales et occidentales contracto, in Throndheimicas provincias movit, colonosque ad pendenda stipendia et vectigalia, quæ aliquot per annos retinuerant,

coegit, præfectos provinciis præfecit, colonisque de nulla alia re compellatis Throndheimum rediit, militesque dimisit.

Interea rex Philippus imperio pacato quietoque usus est. Venit ad eum frater Andreas Simonis filius ex Dania, quem rex honorifice exceptum magnis præfecturis ornavit. Hic Andreas, reminiscens, patrem a Tonsbergensibus occisum, culpam cædis in Thorlakum Ulvkelis filium, Ulvum Nigrum, omnesque qui prælio Brimstadensi interfuerant, conjecit. Quo animadverso, illi regem Philippum auxilii ergo adierunt. Rex, defensione eorum in se recepta, declaravit, quo tempore se regem sumsissent, se eis totam hanc rem condonasse, impunitatem pollicitum. Andreas contendit, cum a patre et matre germani fratres essent, non posse se impediri aut prohiberi, quo minus legis civilis beneficio uteretur, et satisfactionem pro cæde patris æquo jure ad se, atque Philippum regem, pertinere. Sed rex causam colonorum tanto fervore defendebat, ut fratrem omnibus beneficiis privaret, eique non nisi duos qui eum comitarentur famulos concederet; quo facto Andreas regis voluntati parere coactus est. Hac vero magna causa et contentione sedata et composita, quæ integra multorum hominum vita ac salute statura fuisset, rex Philippus præcipuum apud populum favorem consecutus est.

Tertia post mortem Hageni dynastæ hieme rex Ingius Throndheimi in morbum incidit, diuque æger lecto affixus est. Ægrotanti Skulius frater ejus sæpe adsedit, cumque vires ejus magis magisque decrescerent, intimi ejus consiliarii et aulici rogarunt, ut aliquem principem eis præficeret, in quo ipsis satis præsidii esset. Quorum voluntate et rogatione cognita, rex Skulium

fratrem suum in sedem deduci jussit, eique comitis titulum dedit; illeque imperium in milites moderamenque aulicorum statim suscepit. Post aliquando rex Ingius mortuus est; quem Skulius dynasta honorifice sepeliendum curavit in æde Christi ab meridiano chori latere, et pro inferiis ei faciendis vas aureum, quod regi Ingio Jon Angliæ rex muneri miserat, obtulit; itidem alia pretiosa munera ædi cathedrali in animæ ejus commodum dedit. Idem sepulcrum ejus monumento sculpto, picto et inaurato ornavit, cui insigne ejus insculpendum pingendumque curavit, ibidemque ejus gladium, galeam et clypeum suspendit.

Rex Ingius forma erat venustissima, membrorum commoda, justa concinnaque statura, colore comæ ex leucophæo candicanti. Diligenter aliquid inspecturus, alterum oculum claudere (altero oculo nictare) amabat. Constat inter amicos inimicosque ejus, nullum regem Norvegiæ magis fuisse fortunatum aut in vulgus benigniorem, ex quo rex Sigurdus Hierosolymipeta in vivis esse desiisset. Ingius tredecim annos imperavit, mortuus est nono calendas Maji, anno post mortem regis Sverreris decimo quinto.

VETUSTA FRAGMENTA

TRIUM CODICUM MEMBRANEORUM, NUPER REPERTA, AD PROLIXIOREM DE PROXIMIS SVERRERIS REGIS SUCCESSORIBUS NARRATIONEM PERTINENTIA.

FRAGMENTUM PRIMUM.

. . . . tempore, quo missæ matutinæ canebantur; nave pro ædibus regiis appulsa, cum escenderent, obviam eis milites devenerunt, salutatosque quid novi interrogarunt, imprimisque quo in statu valetudo regis esset; quem ægrotare cognoverant. Hakoniani referunt, regi multo melius esse, seque nihil novi afferre. Interrogarunt, ubi Hakon regis filius esset; audiunt, domi in ædibus esse. Inde ad templum Christi adscendunt, indeque in ædes, ubi regis filius versabatur. Misso intro ad eum homine, petierunt, ut in colloquium exiret; nam soli rem narrare voluerunt. Dein regis filius in cubicula progressus, Petrum et Hakonem ad se arcessi jussit. Accesserunt eo cum aliquot viris, benigneque alteri alteros exceperunt. Mox Hakoni regis filio rem narrant, singulaque de morte regis ordine exponunt; reddunt epistolas, quas rex Sverrer conscribendas curaverat; quo facto aliquamdiu inter se collocuti sunt. Deinde rex omnibus aulicis ad concionem convocatis rem palam fieri jussit; eoque ipso conventu Hakon regis filius princeps factionis creatus est.

Rex Hakon aulicos legit.

Vere proxime insequenti Hakon regis filius

comitia Œrensia edixit, nunciosque in provincias ad colonos misit; comitiisque constitutis Hakon Sverreris filius rex totius Norvegiæ creatus est; regium ei nomen dedit colonus, cui Skervardo nomen. Deinde rex Hakon aulicos legit; ejusque partibus se adjunxerunt veteres aulici, qui regem Sverrerem fuerant secuti. Tum quoque suos provinciis præfecit; militesque ad eum ex meridianis regni partibus venerunt. Naves quoque tum instruendas rex curavit, stipendiaque in usum belli coegit; cumque paratus esset, profectus est, circa tempus vigiliarum; nam adversis ventis diu detinebatur. Meridiem versus Bergas contendit. Bagli in continenti erant, variique rumores de consilio eorum ferebantur: alii dicebant, eos boream versus in Thrandheimum cursum conversuros, alii, ad meridiem in Rogalandum descendisse. Tum rex Hakon copias adversum eos misit, præfectis Petro Steipo, Thorgrimo ab Lianeso, Einare regis affini, et pluribus; hi magnum habuerunt copiarum numerum. Steterunt ad Rottum, huc sera vespera delati; tum audiverunt, Baglos Stavangri esse. Postero mane Birkibeini Baglos conspicantur a borea remigantes cursumque ad insulam dirigentes: Bagli enim nullum acceperant nuncium de itinere Birkibeinorum. Cum vero . . . . admodum . . . . remigarunt Birkibeini . . . illis; quo viso Bagli cursum averterunt, Birkibeinis insequentibus, qui unam navem ceperunt; Bagli vero se fortiter defendebant, plurimaque pars ejus navis vectorum cecidit. Deinde Birkibeini eos fugientes pepulerunt. Bagli cursum in Fjordos direxerunt, ibi diversis locis e navibus egressi, in mediterranea contenderunt. Birkibeini Bergas reversi sunt. Rex Hakon boream versus profectus est, et multum æstatis in Fjordis consumsit.

De Margareta regina.

Regina Margareta, Eriki filia, quam rex Sverrer in matrimonio habuerat, proximo statim post mortem ejus vere orientem versus in Vikam profecta est, ducens secum virginem Kristinam, suam et regis Sverreris filiam, alteramque Kristinam, filiam Nicolai, ex sorore sua neptim; hæ in Gothiam proficisci statuerant. Birkibeinis non visum est . . . . . .

FRAGMENTUM SECUNDUM.

quæ alicujus magnitudinis erant, ibi ad lacum. Cum vero coloni in insulam trajecissent, extemplo ad villam successerunt; neque prius sunt animadversi, quam ad villam pervenerunt. Sedebat in triclinio rex cum cohorte sua, et potabat. Tum unus excubitorum ingressus; incaute sedes, domine, inquit, hostis ad villam. Rex subito exsurrexit, arma arripuit, et locutus est: raptim surgite et arma induite, eruptionem in eos faciamus, neque capi nos intus patiamur. Pauci regi priores exierunt. Fortiter se tuebantur, sed diu hostium impetum excipere non potuerunt: cecidit eo loco Ingius, Baglorum rex, plurimaque cohortis pars. Quo cognito Bagli, qui aliis locis collecti se tenuerant, aufugerunt, alii in Sveciam, alii in Daniam, pars ad cognatos suos, pars pacis impetrandæ gratia regem Hakonem adierunt. Sic tota hac factione dilapsa, bona pax rediit.

Tabellarii in Sveciam.

Sequenti autumno rex Hakon boream versus in Thrandheimum profectus est, et hiemem Nidarosi egit. Hac hieme post festum jolense legatos in Uplanda et in Vikam usque cum literis misit, in quibus rationem præscripsit, quam servari voluit de præbitis ac præfecturis, quas

quique haberent, itemque, regem æstate proxime insequenti in Vika adfuturum. Tabellarii in Sveciam usque profecti sunt ad reginam Margaretam et dominam Kristinam: in literis scriptum erat, Hakonem regem eas ad se invitare, pollicerique, summo apud se honore habitum iri; iisdem literis multa benigne dicta inerant. Illæ vicissim literas miserunt, in quibus eorum, quæ perscripta ab rege erant, amicissime facta mentio est. Ii, qui literas pertulerunt, ad regem Hakonem revenerunt.

Rex Hakon in Vikam profectus est.

Rex Hakon proximo vere post festum paschatis ad iter se comparavit, magnumque habuit militum numerum. Ut paratus erat, meridiem versus profectus est, litora legens, et tempore vigiliarum Bergas pervenit, ubi aliquantisper moratus est. Inde meridiem versus cursum continuavit in Vikam usque ad orientem, ubi in emporiis commorabatur. Ad Albim usque contendit, universo populo ei se subjiciente. Dein cursu boream versus in Vikam converso, Osloam ingressus est, ibique aliquantum temporis egit. Interea regina Margareta et domina Kristina ad eum venerunt, quas benigne accepit; illæque eum comitatæ sunt, et aliquot famuli earum. Rex proximo autumno boream versus Bergas profectus est, ibique hiemationem comparavit.

Erlingus in vincula conjectus.

Regnante rege Sverrere fuit in Dania vir, nomine Erlingus, qui se filium Magni regis appellavit. Quo cognito rex Sverrer in Daniam misit, qui eum quærerent. Ut vero id rescivit Erlingus, in Gothiam aufugit. Quod cum rex Sverrer animadvertisset, literis ad Knutum Sveciæ regem, affinem suum, missis, indicat, esse

in regno ejus hominem, qui se regis Magni filium nominet, quem turbas in Norvegia moturum opinetur. Quo audito rex Knutus misit ad eum quærendum, prehensumque muro (castello) lapideo in Visinseya includi jussit. Hic aliquamdiu inclusus tenebatur. Cum vero mulieris, quæ ei cibum afferre solebat, amorem sibi conciliasset, ea salvum evadere magnopere cupiebat. Et jam eam rationem inierunt: ea multa velamina ad eum attulit, atque his in lacinias dissectis, extremitates colligavit; cumque ille hoc satis longum esse vinculum existimaret, ut a summo muri ad solum pertinere posset, eo se circumdedit; quo facto illa eum ex muro arcis demisit. At vinculnm non omnino in solum pertinebat; itaque se ille ex vinculo exsolvit, et in terram dejecit; qui casus adeo gravis extitit, ut os femoris oblideretur, illeque semper exinde claudicaret. Hac ille ratione elapsus in Jarnberiam ad orientem sitam effugit. Quod cum rex Sverrer rescivisset, protinus homines in eas regiones misit, qui eum in Jarnberia comprehensum eo loco interfecerunt, librumque collarem, qui ejus erat, cuique nomen ejus erat inscriptum, ad regem retulerunt; quem eundem librum, collo gestari solitum, complures postea agnoverunt.

Erlingus Steinveggus factionem comparavit.

Eadem æstate, cujus mentio supra facta est, Skaneyram, quo tempore ibi mercatus habebatnr, advenit vir quidam, qui se Erlingum nominavit, regeque Magno Erlingi filio natum ferebat; is se aliquamdiu in Vindlandia fuisse simulavit, idemque Erlingus se muro inclusum lapideo in Visinseya sedisse testatus est. Erat Skaneyræ magnus Norvegorum numerus; ad quos cum fama pervenisset, adesse ibi filium Magni regis, illi, qui Baglos secuti antea fuerant, eum

quæsiverunt, congressique se factionem instauraturos eumque ducem sumturos polliciti sunt: nam non deerunt nobis copiæ, inquiunt, ubi fama vulgaverit, nos ducem habere regis Magni filium. Quibus Erlingus: audio, inquit, plerosque principes, qui Baglos secuti fuerint, nunc ad Birkibeinos transiisse, universumque Norvegiæ populum in amicitia regis Hakonis esse; quam ob rem non majoribus, quam in spe sunt, opibus adjutus, rem tantam adgredi non audeo. Ita colloquium diremtum. Erlingus Havniam se contulit.

Rex Hakon Bergis.

Rex Hakon Bergis, ut supra memoratum, se continebat. Ibidem et regina Margareta fuit. Huic rex comitibusque victum præbuit seorsum, raroqne regina apud regem epulabatur. Virgo Kristina apud reginam, matrem suam, versabatur. Regina animo ab rege alieniori minusque hilari erat, cum rex ei se benignum præberet. Domina Kristina sæpe verba ad reconciliandam inter eos gratiam proficientia interponebat. Rex Hakon jolense convivium omni apparatus genere exquisito instruendum curavit. Regina Margareta Petrum Steyperem ceterosque omnes, qui ad reducendam virginem profecti orientem versus fuerant, summo odio prosequebatur; contra ea se in familiaritatem Hakonis dynastæ insinuabat, ejusque patrocinio res omnes suas, quas quidem alicujus esse momenti judicaret, commendabat. Adpetente autem festo jolensi magna hominum multitudo ad regem venit, præfectorum dignitate ornati et provinciarum præfecti, ceterique qui ei fidem suam addixerant. Vespera prima festi jolensis, convivis, qui in aula convenerant, pro more dispositis, rex misit, qui reginam et virginem Kristinam arcesseret, et præcepit, ut apud

se in solio sederent. Regina respondit: diu in memoria habebo primam illam festi jolensis vesperam, qua in solio consedi juxta dominum meum regem Sverrerem; dic age regi Hakoni, me hac vespera in ejus solio non resessuram. Quæ verba summa cum indignatione locuta est. Quibus renunciatis, rex ægre ferens, quod honorificam ab se oblatam conditionem accipere regina noluisset: etsi regina Margareta, inquit, non vult esse tam . . . . .

FRAGMENTUM TERTIUM.

Folii prioris pagina prior.

episcopus præfectos navium ad concionem tuba convocari (jussit) et perquisivit, quid potissimum consilii capiendum censerent. Erlingus Steinveggus se auctorem esse dixit, ut ibi manerent et prælium cum Birkibeinis facerent. Cujus auctoritatem cum plerique Baglorum sequerentur, episcopus locutus est: quod si velis adversus arces pelagicas Birkibeinorum pugnare, haud futurum credo, ut in posterum opus tibi sit prospicere copiis et . . . . potius capiamus . . . . . atque sublatis velis orientem versus in Vikam navigemus; eo loco cum Birkibeinis pugnandum nobis est. Quo cum ceterorum sententia inclinaret, hoc captum consilium est, antequam concio dimitteretur . . . . confestimque episcopus removeri ex nave sua tentoria jussit, et ex sinu solvit, atque deinceps alius ex alio; tum noctu interdiuque contenderunt usque eo, donec Tunsbergum pervenerunt; episcopus Osloam penetravit. Birkibeini Bergas pervenerunt paulo post quam Bagli abscesserant, magnasque copias et ingentes naves habuerunt. Cum vero hiemali tempore eos persequi posse desperarent, aliquantum temporis Bergis morati, septemtrionem ver-

sus reversi sunt, et in Thrandheimo hiemarunt. Bagli in Vika hiemarunt; utrique Uplanda tenuerunt: ex Birkibeinis, Ul . . ., . . . raldus Kesia, Gudleikus Flotbytta, pluresque alii centuriones: ex Baglis, Thoraldius Augæ filius, Gudlei . . . . dungus; in Ringarikia, Benedictus ab Gumaneso; in Valdreso, Jon Gridmannus. Hi hac hieme Narvium St . . . . interfecerunt . . . . . . cohortis, pars in Sognum devenit. Ibidem sæpius factæ sunt invas . . . . ., alterique alterorum milites interceperunt. Erlingus Steinveggus hiemabat . . . . Eadem hieme episcopus Nicolaus manum in Uplanda in Valdresum misit, qui Gudormum et Skulium, filios Bardi Gudormidæ, caperent. Quod cum Erlingus colonus cognovisset, pueros in tractum aliquem silvestrem misit; quo loco, dum Bagli in Valdreso versabantur, commorati sunt. Cum autem Bagli abscesserant, Erlingus pueros septemtrionem versus in emporium misit ad regem Ingium, apud quem ex eo tempore versati sunt. Eadem hieme Erikus, postea Sveciæ rex, cum rege Ingio versabatur; atque eadem hieme post festum jolense Hakon dynasta nuptias suas celebravit, tum uxorem ducens dominam Kristinam; vere autem appetente, rex Ingius universo Thrandorum communi omnibusque provinciis ab septemtrione Stadi sitis copias et milites imperavit. Proximo vere rex Ingius et Hakon dynasta ab septemtrione profecti sunt, permagnum copiarum numerum et ingentes naves habentes. Multi principum in provinciis erant in meridianis regni partibus: Einar, regis affinis, Stavangriæ erat, et tum habuit . . . . Bagli statim post festum paschatis classem celocium miserunt . . . . . . viginti septem celoces; iis præfuere Arnbjorn Jonis filius, Nic . . .

Folii prioris pagina posterior.

. . . arius, Gyrdus Benteinis filius, Atlius Gridkona, qui Bergas subito proficisci cogitantes, cum Fjolbyrdam venissent, cognoverunt, Einarem cum cohorte sua Stavangriæ esse, neque certiorem factum de eorum . . . . . in eos; illi mane cucurrerunt . . . de itinere eorum; ille in conventu aliquo pacificatorio versabatur, neque Baglos tam subito adfore cogitavit. Tum se cursu in ædem Svituni proripuerunt, et in turrim adscenderunt; Bagli vero fores ædis effregerunt, pacemque Einari obtulerunt. Et factum tandem est, ut ex turri descenderent et in chorum ingrederentur; tumque Einar jusjurandum dixit, se nunquam adversus Erlingum Steinveggum arma laturum. Quo facto, cum eum ex æde eduxissent, principes pacem servare voluerunt, sed militum auctoritas valuit. Cumque Einar intelligeret, quorsum evasura res esset, locutus est: jam insincera apparebit Baglorum pax. Tum confestim occisus est. Antea occisi fuerant . . . . . ex cohorte, qui extracti prius ex æde fuerant; vita ad quadraginta hominibus data. Hic magna copia commeatuum, quos Einar per totam Rogalandiam antea collegerat, multaque alia pecunia, quæ Birkibeinis oppidanisque fuerat, potiti sunt. Bagli Tunsbergum reverterunt.

Hakon dynasta cum copiis Bergas venit, ubi paulisper morati, orientem versus in Vikam contenderunt. Bagli Tunsbergi erant, navesque suas comparaverant, in septemtrionales regni partes navigaturi. Ut vero de adventu Birkibeinorum certiores facti erant, inter se colloquium habuerunt, quid capiendum consilii esset. Episcopus Nicolaus nullam aliam adesse rationem ostendit, quam ut meridiem versus in Daniam concederent, neque cum adversariis numero su-

perioribus contenderent. Quare id captum consilii est, ut in Hallandiam navigaretur, eoque loco aliquantum temporis consumserunt. Birkibeini Tunsbergum delati comitia Haugensia habuerunt, ubi Ingius rex consalutatus est. Etiam Borgensia comitia habuerunt, et ibi quoque Ingius rex, Hakon dynasta renuntiati. Inde Tunsbergum redierunt.

Quibus rebus cognitis Bagli nova consilia inierunt. Philippus dynasta septemtrionem versus in Vikam profectus est, comitantibus Arnbjorne Jonis, Philippo Veginensi, Reidare legato, Nicolao Botolvi, Atlio Gridkona, Helgio Birgeris; hi viginti naves habuerunt. Steinveggus cum parte copiarum remansit; episcopus vero Nicolaus antea meridiem versus Havniam profectus erat. Bagli septemtrionem versus celerrimo cursu contenderunt, incursiones facturi et ex improviso superventuri. Ut vero venerunt in Havsteinsundum, appulsis ad terram navibus cognoverunt, Birkibeinos ab orientali sinus parte non esse. Itaque eo loco manere decreverunt, ut proxime insequenti nocte sinum trajicerent. Interea mercatoria aliqua a meridie advecta eos appropinquabat et in fretum provecta est, Bagli vero excitati, hortati sunt ut eos adorirentur, sed mercatoria fretum enavigavit . . . . . .

Folii posterioris pagina prior.

Thorfinnus tubicen omnesque Birkibeini, qui antea fuerant . . . . ., in templum; cum vero signum . . . ., omnes excurrerunt, qui antea eo se receperant; Thorfinnus tubam, prouti libuit, inflavit; . . . . . principes; in cœmeterio ædis Laurentii cecidit Thordus Dokka, ... ab Gumaneso, Gunnius longus. Inde fugientes Bagli decurrentes Miklagardum præterierunt, cum ad portam areæ devenere, magna eo loco extitit turba,

omnes enim una transire non potuere; itaque eo loco alii super alios transversi ceciderunt, ut magnus acervus esset. Hoc momento accurrens forte dynasta in acervum ascendit, indeque per tecta evadens, prorsum in . . . . . indeque in pontes, gravibus tum acceptis vulneribus; . . . . tum Birkibeini coacervatos gladiis cædere aggressi sunt. Quorum uno, „ne cædatis . . . ." clamante, cunctantius ictus inferebant. Tum Bagli quam potuerunt celerrime exsurrexerunt, multique ita evaserunt, multique ceciderunt. Bagli in naves, Birkibeini in pontes decurrere: quidam in mare se dejecere, quorum pars naves assecuti sunt; alii oras corripuerunt navesque attraxerunt. Interea utrique omnia telorum genera invicem ingerebant. Bagli oras præciderunt, navesque longuriis a litore extruserunt, et hoc modo evaserunt, cum multos suorum natantes excipere coacti essent. Pars classis Baglianæ in sinum provecta est, pars ad pontes Monachorum appulsa, suorum qui ex oppido cursu evaserant, recepit.

Bagli eremigato sinu septemtrionem versus contenderunt, et Arnarfjordum ingressi sunt. Birkibeini vero, ibi ab dynasta custodiæ ergo relicti, accurrentes, conspectis in cursu Baglis, naves conciderunt, in silvam se proripuerunt et sese abdiderunt. Advecti Bagli naves ceperunt, subductasque refecerunt; quidam in silvam excurrerunt, quæsitum armamenta, quorum plurima pars inventa. His confectis protinus eadem vespera remis avecti sunt . . . . ., qua nave vectus est Philippus Veginensis; tum septemtrionem versus remigarunt; . . . . navium vectoribus, in Vikingavogum remigarunt. Qui vero in Ulvasundis, uti supra scriptum, speculabundi excubabant, classem a meridie advehi conspicati, septemtrionem versus remigarunt, suisque nunci-

ant, quatuordecim celoces a meridie adventare, quas ab dynasta meridiem versus ductas agnoscant. Illi raptim tentoria navalia detendunt, et introrsum in sinum remigant. Moxque vident, adversarios cursum ad se insequendos convertere, itemque clypeos proris non præfixos animadvertunt; unde intelligentes, hostes esse, introrsum in Moldafjordum remigant, celocibus celeri cursu advolantibus. Ut autem attigerunt terram Birkibeini, excurrunt in littus, alii in mare se dejiciunt...

Folii posterioris pagina posterior.

... Andreas Dritljodus multique ex Birkibeinis. Bagli naves et quæ in illis erant ceperunt, magnaque præda eo loco potiti sunt. Quibus confectis rebus meridiem versus reversi sunt, et Steinveggum in Vikingavogo convenerunt.

Hakon dynasta, simul atque cognoverat, Baglos septemtrionem versus profectos, veritus, ne (rex[1]) ipsis ex insperato superveniret, relicta arce, Borgarskardum superat, inde in Ostrarfjordum descendit, inde in Vorsiam, tum superato Raudafjallo in Læradalum, qui in Sognia est, descendit, tum in Valdresiam, inde in Gudbrandsdalos, septemtrionemque versus per montem (Dovricum) in Thrandheimum pervenit, ibique regem Ingium convenit. Archiepiscopus Eirikus in Norvegiam pervenit, ut ante scriptum est; is captus oculis erat; sedem archiepiscopalem Nidarosensem per duos annos integros tenuit, tertio autem anno coram canonicis proposuit, se muneri archiepiscopali renuntiaturum, aliumque eligi archiepiscopum placere. Tum multa consilia legendo archiepiscopo habita sunt. Archiepiscopus nuncios orientem versus in Vikam

[1]) i. e. Erlingus Steinveggus, quem tamen in hoc fragmento regem nominari non puto, sed aut Erlingum, aut Erlingum Steinveggum, aut tantum Steinveggum.

Osloam misit. Erat eo tempore Thorer, filius Gudmundi Flati, canonicus ædis Halvardi. Huic archiepiscopus nuncium misit, ut ad se veniret. Quod iter Thorer non negligendum ratus, appetente vere, septemtrionem versus in Thrandheimum profectus est. Qui cum archiepiscopum convenisset, significavit archiepiscopus, placere incolis eum archiepiscopum eligi. Ille quidem recusavit, dicens, si eam rem antea novisset, non fuisse ab oriente profecturum; sed precibus archiepiscopi ceterorumque sacerdotum factum tandem est, ut Thorer cooptationem non aspernaretur. Æstate proxime insequenti Romam iter fecit, et unam hiemem peregre abfuit inauguratusque est, rediitque altera æstate; eademque ipsa æstate, qua archiepiscopus in Norvegiam rediit, Hakon . . . . . Bergis, de quo modo memoratum est. Archiepiscopus prudentiæ laude et gratia floruit.

Rex Ingius et Hakon dynasta eo tempore naves fabricare instituerunt. Rex navem construendam curauit triginta et sex interscalmiorum; Hakon dynasta aliam navem, triginta duorum interscalmiorum fabricandam curavit, magnitudine prægrandem; Petrus Steyper tertiam faciendam curavit . . . . Bagli post pugnam in Moldafjordo meridiem versus Bergas profecti, ibi aliquantum temporis commorati sunt. Tunc copias diviserunt: Philippus dynasta cum omnibus navibus majoribus orientem versus profectus est, Steinveggus vero, qui naves vigintitranstras minoresque habuit, septemtrionem versus Stimum usque penetravit, et in Frekeyarsundo classem constituit, celoces boream versus in Mæriam dimisit, milites commeatumque imperavit, sumtoque quod ei visum est militum, meridiem versus profectus est . . . . .

HISTORIA REGIS HAKONIS HAKONIDÆ[1].

Innocentio pontifice Romano, [ejus nominis tertio sedem apostolicam tenente[2], in regnis borealibus acciderunt res, quæ de origine regis Hakonis, filii Hakonis Sverreridæ, conscriptæ sunt. Tum mille ducentæ et tres hiemes elapsæ erant ab incarnatione domini nostri Jesu Christi. Eo tempore imperatores Romani imperii erant, Philippus Svabicus[3] in Apulia, et Otto, filius ducis Henrici Brunsvikensis trans Montem (in Germania). Hi inter se bellum gesserunt, donec dux Philippus a [ministris suis[4] interfectus est. Eodem tempore Daniæ rex fuit Valdemar Valdemaris filius; Sveciæ Sorkver Karli filius, Angliæ Jon Henrici filius, dictus „Sine terra", Norvegiæ Hakon Sverreris filius. Hæc prima erat hiems post obitum regis Sverreris, quam hiemem cum rex Hakon in Thrandheimo, regni parte septemtrionali, egisset, vere proxime insequenti [meridiem versus Bergas profectus est, ubi brevi spatio moratus, inde oram maritimam legens in partes meridianas[5] ad fines usque regni penetravit, ibique paulisper est commoratus[6]. Tum complures cum eo versabantur excellentes principes, [Hakon Galinus, filius sororis regis Sver-

[1]) Hic incipit historia regis coronati Hakonis Hakonidæ, *G*; senioris, nepotis regis Sverreris, *H.* [2]) *omitt. H.* [3]) Svavaborgensis, *B.* [4]) duce Philippo, cliente (ministro, *B*) suo, *G.* [5]) *omitt. G.* [6]) *omitt. G.*

reris, Petrus Steyper, alter sororis ejusdem filius, Sigurdus regis cognatus, Roar regis cognatus, Eyvindus sacerdotis affinis, Dagfinnus colonus, Einar regis affinis, compluresque alii viri præfecti[1] et centuriones[2]. Albi ab oriente iter faciens rex Hakon diu per autumnum Borgæ moratus est. Hic apud eum versabatur mulier nomine Inga, proba et integra, honesto loco nata, cognata Œdunis Borgensis, complures honestos cognatos habens in provincia Borgensi, Varteigenses dictos. Cum hac rex Hakon, in cubiculis suis versante, concubuit, sciente Hakone Galino pluribusque interioris admissionis. Rex Hakon Borga Osloam se contulit, indeque in boreales regni partes profectus est. Ab Osloa profectum regina Margareta, quam rex Sverrer in matrimonio habuerat, horumque gnata domina Kristina, comitatæ sunt. Rex Hakon ante jejunium Adventus Bergas venit, ibique magnificum apparavit jolense convivium. [Eadem hieme, festo jolensi, Rex Hakon morbum sibi fatalem nactus, octava festi feria obiit.

Guttormus Sigurdi filius rex creatur.

2. Decima[3] festi jolensis feria Birkibeini regem crearunt Guttormum, Sigurdi Lavardi filium; tum quoque rex Hakoni Galino, cognato suo, nomen dynastæ dedit, qui aulicorum[4] regimen in se suscepit. Vere proxime insequenti Birkibeini septemtrionem versus in Thrandheimum profecti sunt, ubi Guttormus, in comitiis Eyrensibus, ex legum præscripto totius Norvegiæ rex renunciatus est[5]. Eadem æstate rex Guttor-

---

1) dignitate conspicui, *B.* 2) *ab signo* [, ut supra dictum est, *G* 3) Nona, *B.* 4) militum, *cet.* 5) *ab signo* [*cap.* 1: hac hieme obiit rex Hakon, tum Guttormus rex totius Norvegiæ creatus est, Hakon Galinus dynasta factus, uti commemorat historia de rebus Baglorum, *H.*

mus Nidarosi mortuus est. Post mortem regis Guttormi Birkibeini comitia Eyrensia habuerunt; in eisque cum de sumendo rege disputaretur, milites[1] Hakonem dynastam creari regem voluerunt, contra dicentibus Thrandis, qui regem sumere voluerunt Ingium, filium Bardi Guttormidæ ac Ceciliæ regis filiæ, dynastæ fratrem uterinum: hunc materno genere non longius ab regia esse dignitate, [quam dynastam, fratrem ejus[2]; dynastam paterno genere extraneum, non Norvegum esse, Ingium vero[3] indigenam Thrandheimensem esse, amplissimisque familiis Norvegicis oriundum. Archiepiscopus hac in causa Thrandos adjuvit; neque effici aliud potuit, quam ut arbitrium, quem habere regem vellent, penes eos esset. His comitiis is exitus fuit, ut Ingius rex crearetur; ipsi vero fratres ita inter se compararunt, ut rex Ingius Hakoni titulum dynastæ daret, imperium utrisque commune esset, Hakon vero dynasta factionis curandæ partes susciperet, quod in regendis aulicis magis versatus, expertæque strenuitatis erat.

Natus Hakon Hakonides.

3. Proxima æstate Ingius rex creatus fuit, ut supra commemoratum est. Eo tempore rex Danorum et episcopus Nicolaus factionem Baglicam in Vika instaurarunt. Tum[4] Inga, cujus antea facta mentio est, in provincia Borgensi ad orientem versabatur in tractu habitato[5] Heggino dicto, prædio quod Folkbergum[6] dicitur, ubi sacerdos, cui Thrando nomen, rem divinam administravit. Hic Inga, morbo correpta, puerum peperit, quem puerum cum sacerdos Thrandus procreatum patre Hakone[7] sciret, baptizatum tam

[1]) multi, *G.* [2]) *omitt. G.* [3]) Norvegum et, *add. F.* [4]) post eadem æstate, *G.* [5]) territorio, *H.* [6]) Folkisbergum, *F, G, H;* Folkasbergum, *B.* [7]) rege Sverreris filio, *add. F, G.*

diligenter celavit, ut nullius eum amplexui, nisi duorum filiorum et uxoris[1], committeret, clamque nutriret. Erlendus nomen erat viro Husabæum incolenti; is cognatus regis Sverreris erat, familia Guttormi Grabardi oriundus. Sacerdos Thrandus Erlendum convenit, illique inter se consilia de rebus pueri conferebant, utque rem quam maximo silentio tractarent. Cum puer hos duodecim menses apud Thrandum versatus esset, proxima hieme ante festum jolense iter inchoabant ab oriente ex provincia Borgensi, Erlendus ac sacerdos Thrandus, ducentes secum regis filium hujusque matrem, et clam in Uplanda profecti sunt. Vespera primæ feriæ festi jolensis Hamarem, emporium in Heidmarka, pervenerunt. Ibi duo aderant præfecti[2], quorum alteri nomen Fridrekus Slavsius, alteri Gjavaldus Gautius; hi magno in timore versabantur, eo enim tempore Uplanda Baglorum plena erant. Id temporis episcopus Ivar Hamare erat, tum, uti semper, familiæ regis Sverreris omnibusque Birkibeinis inimicissimus. Etsi sacerdos et Erlendus occulte iter faciebant, tamen episcopus filium regis eo advenisse sensit, eoque cognito puerum ad se, itemque matrem, ad convivium jolense invitavit, cognationis, qua eum revera attingebat, necessitudinem afferens. Birkibeini, quod verbis ejus fidem non habebant, puerum post festum jolense ad eum concessurum ostendebant, causantes, regis filium, itemque matrem ejus, adeo de via lassos esse, ut in cœtus venire non possent. [Ut vero primum exiit prima festi feria, præfecti, tribus equis adduci jussis, puerum matremque septemtrionem versus in Emporium parvum deportarunt; itaque puer et mater in parva aliqua villa per festum jolense admodum occulte

[1]) suo, *G.* [2]) Birkibeinorum, *add F, G.*

agebant. Durante autem festo jolensi, Birkibeini, missis in Thotnum vicinosque tractus nunciis, omnibus Birkibeinis, ut præterlapso festo ad se venirent, edixerunt. Elapso jolensi festo Hamare emporio profecti, Hamarem parvum, ubi puer erat, pervenerunt, indeque abductis matre filioque in valles orientales concesserunt, inde septemtrionem versus in Thrandheimum trajecturi[1]. In eo itinere turbida tempestate, gelicidiis ac nivibus, vehementer afflictati sunt, et nonnunquam in silvis ac desertis sub dio pernoctabant. Aliqua vespera [tam fœda tempestas[2] incessit, ut qua irent nescirent; itaque duos viros, qui asseribus cursoriis labendi peritissimi erant, quorum alteri nomen Thorstein Sleva[3], alteri Skervaldus Skrukka, delegerunt, ut puerum deducerent, eisque duos colonos, [locorum optime gnaros[4], viæ duces dederunt. Hi, [contentissime iter facientes, non[5] pertenderunt ad tractum habitatum, sed[6] delati in locum[7], ubi erant[8] solitaria quædam tuguria, ignem silice excusserunt, pueroque cubile straverunt. Inde duces ad ceteros reversi sunt, mediaque nocte ad tugurium[9] revenerunt. Hæc aspera fuit uvidaque statio, nam tugurium, [nivibus igne liquefactis[10], totum perfluebat, [ut plerique sub dio, quam intra tecta esse mallent[11]. Puero nullus alius cibus, quam nix liquefacta, ori indita. Loco

---

1) ab signo [: secundo festi jolensis feria puerum clam abduxeruot, septemtrionemque versus profecti non prius quieverunt, quam Hamarem parvum pervenissent, ubi mater ac filius in parva villa occulte se continebant, *F*, *G*, *B*. Circa jejunium septuagesimæ Birkibeini matrem filiumque in valles orieotales deduxerunt, *G*. 2) densa nivium procella, *H*. 3) Skevla *G*, *B*; Slevsa, *H*. 4) *om.* *B*. 5) *omitt.* *B*. 6) et, *B*. 7) ad villam, *B*. 8) ab signo [: inciderunt in, *G*. 9) ista hospitia, *G*. 10) æstu ignis tactum, *H*. 11) *omitt.* *H*.

Navardalo nomen, in quo tunc manebant. In loca inciderunt tam impedita, ut nivem nisi hastilibus tundendo perfringere nequirent. Sed vallium orientalium quocunque venissent, coloni maximam eis hospitalitatem exhibuerunt, jumenta quibus veherentur dederunt, viamque monstrarunt. Ita homines prudentes affirmarunt, ærumnas illas ac labores, quos Birkibeini, antequam regis filium septemtrionem versus in Thrandheimum perduxissent, perpessi sunt, adjecto hostium metu, simillimos fuisse ærumnis illis, quas pertulit Olavus Tryggvii filius, quando[1] cum matre in Sveciam ex Norvegia perfugit; id quod [melos Hakonianum a Sturla Thordi filio compositum[2] testatur:

Tum familiæ
Tryggvio nati
princeps illustre
inseruit caput,
quum proles regis
animo promti
hostium insidias
declinare coacta est[3].

Erlingus Steinveggus[4] principesque Baglorum, qui Tunsbergi se continebant, ab episcopo Nicolao edocti cognoverunt, Erlendum Husabæensem et Thrandum sacerdotem ex provincia Borgensi in Uplanda iter fecisse. Audiverunt quoque filium regis Hakonis cum his una profectum. Quibus cognitis rebus, octo centuriones magnis cum copiis ad quærendum puerum in Uplanda

---

[1]) ab Gunnhilda regum genitrice ejusque filiis exagitatus, *add. cet.* [2]) Sturla Thordi filius, *G.*

[3]) Constructio: *þá hefir öðlingr drepit tírar höfði í ætt Tryggva niðs, er barn framráðs ynglings þurfti flýja fyrir ófriði.*

[4]) et Philippus dynasta, *add. cet.*

miserunt, omnemque dare operam, ut assequerentur, jusserunt. Qui cum in Heidmarkam venerunt, Birkibeini puerum ducentes inde in valles orientales abscesserant, et jam septemtrionem versus per montana contendebant. Ad quos cum magnum hominum numerum confluere Bagli accepissent, [cumque tempestas esset turbida viæque nivibus impeditæ, persequi eos longius non ausi sunt[1], quare retro in Heidmarkam descenderunt. Sic Sturla:

Ad principem vero
conquirendum
in Uplanda octo
centuriæ ex Baglorum
copiis profectæ sunt,
paratæ ad pugnam,
si forte principem
invenire possent.
Galeam occulentem
Christus tenuit
super imperii hærede,
cum monarchæ
inclytus filius
ex manibus hostium
omine fausto
elaberetur[2].

Birkibeini, puerum ducentes, septemtrionem versus per vallem contenderunt. [Etsi vero multæ

---

[1]) *ab* [: longius ire noluerunt, *G.*

[2]) Constructio: *en átta sveitir Bagla liðs, búnar rómu, fóru á Upplönd,* (at) *leita lofðungs, ef þær a) mætti finna fylki a). Kristr hafði huliðs hjálm b) of konungsefni c), þá er frægðar son allvalds kom, góðu heilli, fagnandi ur ófriði.*

a) *fólkvörð*, custodem populi, *cet.* *b*) i. e. effecit cum invisibilem hostibus; *huliðs hjálmr*, Orci galea, *κυνέη* "Αϊδος. *c*) *konungmenni*, rege, *H.*

difficultates in itinere occurrerent, tamen magna hominum multitudo ad eos ex compluribus regionibus venit, tam Birkibeini quam colonorum filii ex Gudbrandsdalis, qui comitari regis filium cupiebant; duo præfecti, quorum alteri Sæmingo, alteri Thorbrando Nigro nomen erat, ad eos in vallibus orientalibus venerunt [cum nonaginta viris[1], præter famulos. Superato monte devenerunt in Alam, quod tractui nomen in summo Gaulardalo; tumque[2] omnia sibi in præsens evasisse pericula videbantur. [Ex quibus rebus intelligi facile potest, hunc regium filium a Deo multis modis eximie promotum esse ad multa officia, quæ postea in sacris ædibus constituendis sanctaque ecclesia tuenda præstitit[3].

Hakon Nidarosum pervenit[4].

4. Rex Ingius Nidarosi multis cum copiis constitutus, per indicem cognovit, multitudinem hominum ab oriente montem transcendisse, sero autem certis auctoribus exploratum habuit, quinam homines essent; nam Birkibeini, quippe de itinere lassi, per pagos lento itinere descende-

---

[1]) amplius centum viros habentes, *H;* jamque omnino quatuordecim decades efficiebant, *B, F.* [2]) a priore signo [: magna hominum multitudo se regis filio comitem itineris adjunxit, cumque montem septemtrionalem transcendissent, *G.* [3]) Neque vero quenquam mirari oportet, Deum omnipotentem his regum filiis, Olavo Tryggvii et Hakoni, de quo hæc agit historia, benignitatem suam præ ceteris præstitisse, eosque ex hostium potestate liberatos ad id gloriæ fastigium, quod utrique destinaverat, perduxisse, alterum, ut ecclesiam christianam in regno Norvegico inchoaret, alterum, ut eam juxta eum rege Olavo Sancto plus quam ulli alii regum Norvegicorum confirmaret sacris ædibus faciendis, legibus ordinandis, divinaque ecclesia multis aliis rebus sustinenda, quæ his notæ erant, qui ejus ætate in Norvegia vixerunt, *F, G, H;* quique ejus mores et vitæ instituta exacte noverunt, *add. F, H.* [4]) *sic B, H;* mors Erlingi Steinveggi, *G.*

bant. Fama vicinos tractus pervasit, regis alicujus filium in hoc comitatu esse, nemo vero dicere potuit, cujus regis filius esset. Multi hostes esse opinabantur; eo enim tempore complures factiones seditiosorum hominum tam in Dania quam in Markis orientalibus extiterunt. Cum vero audiret rex Ingius, hanc multitudinem prope diem in oppidum perventuram, opinionemque esse, regis filium eo secum adducturos[1], omnes copias classico ad arcem minorem convocari jussit, duosque aulicos[2] in collem misit; qui[3] hoc loco viros, a præfectis[4] ad regem præmissos, obvios habuere. Hinc omnes una ad regem reversi, de omni itineris ratione exponunt, [seque filium regis Hakonis, cognatum ipsius, adducere. Rex omnesque audientes Deo gratias agere, ipseque cum omnibus aulicis eodem loco filium regis exspectare[5]. Rex puerum complexus osculatusque est[6], cognatumque suum sibi omnibusque aulicis exoptatum adesse jussit. Dein oppidum ingressus est. Regis filius ac mater apud regem magno habiti honore versabantur. Omnes veteres Birkibeini, adventu regis filii lætati, ob amorem in patrem ejus[7], crebro[8] in congressum ejus veniebant. [Vere proxime insequenti Bagli stragem in Thrandheimo ediderunt, proxima vero æstate Birkibeini et Bagli armis

---

1) eumque rex nihil certi de eorum itinere audisset, *add. B, F.* 2) Gunnarem Tindum et Eivindum Sami filium, *add. cet.* 3) equis in cursum quantum potuerunt concitatis, *add. cet.* 4) Birkibeinis, *G.* 5) ceteris omnibus in oppidum revertentibus, *add. H*; dein omnem populum redire in oppidum jussit, *add. B, F.* 6) ab signo [: rex Deo egit gratias, quod regis filius, cognatus suus, incolumis ad se redisset, eoque loco mansit, donec puerum adduxerunt; quem ille ex equo sustulit, *G.* 7) nec minus in avum paternum, *add. cet.* 8) quotidie, *B, F.*

inter se sæviebant; tum Hakon dynasta stragem Bergis edidit. Autumno proxime insequenti rex ac dynasta septemtrionem versus in Thrandheimum concesserunt, ibique hiemem transegerunt[1]; tum Hakon dynasta regis filium matremque ejus ad se recepit[2], crebroque declaravit, se ipsum atque regem paternam hæreditatem hujus pueri occupatam usurpare. Mortuo eadem hieme Erlingo Steinveggo, Bagli regem crearunt Philippum [dynastæ filium[3]. Hieme proxime insequenti, cum regis filius trimus esset, rex Ingius et Hakon dynasta magnis cum copiis ex Thrandheimo meridiem versus Bergas, et orientem versus in Vikam usque profecti sunt. Tum Hakon dynasta dominam Kristinam, uxorem suam, et Hakonem regis filium, hujusque matrem, Bergis[4] reliquit; fuit et ibidem domina Kristina, regis Sverreris filia. Hi per æstatem in arce versabantur, donec Bagli Bergas venerunt, Birkibeinique auctore archiepiscopo Thorere, qui tum Bergis erat, arcem Baglis dediderunt. Arce vero dedita, Philippus, princeps[5] Baglorum, regis filium recepit, isque tres menses[6] apud Baglos fuit. Aliquo die Bagli, cum regis filium in gradus[7] cœnaculi cujusdam pontibus imminentis, quibus naves longæ subjacebant[8], deportassent, allocuti puerum: en naves longas, regis fili, inquiunt. Video, inquit ille. Illi: cujus sunt? Domini mei, inquit puer. Illi: tuus dominus est Philippus rex. Non ille meus est dominus, inquit puer,

---

1) ab [: hanc hiemem rex ac dynasta se in Thraudheimo continuebant, *G.* 2) tum domina Kristina apud eum versabatur, *add. F, G;* dynasta puerum valde dilexit eoque amantissime usus est, *add. G;* eumque in omnibus rebus pro gnato suo habuit, *add. B, F.* 3) dynastam suum, *F* (*rectius*). 4) in arce, *B;* in rupe, *F.* 5) rex, *G.* 6) hiemes, *B, F.* 7) porticum, *cet.* 8) præjacebant, *cet.*

Hakon dynasta dominus meus est, ejusque naves sunt. Illi riserunt, atque dixerunt: hic puer nobis, Baglis, haudquaquam fidelis erit. Reidar legatus [summæ fuit inter Baglos auctoritatis, factionemque consiliis regebat[1]; is [coram consiliariis[2] Baglorum locutus est: si rem ingentem aggredi velimus, id nunc momenti, quale prius nunquam, rebus nostris accessit, quo Birkibeinos omnibus auxiliis subito privare, nostrisque partibus universum populum adjungere possemus. Quærentibus, qui id fieri posset, ille: habemus hic in potestate nostra filium regis Hakonis[3], principis universo populo amati, cujus patrem ab omnibus[4] Birkibeinis sic dilectum esse scio, ut omnes libenter cupiant ejus progeniei operam suam addicere, suæque vitæ in eo periculum facere. Hunc si regem factionis nostræ crearemus, ei vero, [qui antea rex a nobis salutatus fuit[5], titulum dynastæ daremus: ea nobis intelligentia est, qui hoc conventu versamur, ut leges sancti regis Olavi noverimus, eum demum legitimum esse regem Norvegiæ, qui regis filius sit, non qui filia aut sorore regum natus sit, ut is, cui [nos utrique, Birkibeini et Bagli, obedimus[6]. Id principi nostro maximo esse honori existimarem, si utrumque, regnum ac rex[7], in ejus tutela esset, tumque mihi et rex et dynasta Norvegiæ esse videretur. Quod consilium etsi consiliariis Baglorum, qui in consilio erant, optime probaretur, fuere tamen qui dicerent, inconveniens esse, regio nomine privari eum, qui antea ipsorum auxilio ac præsidio nomen regium adeptus sit. Præcipua vero causa erat, quod Bagli rem

[1]) etiam tum apud Baglos fuit, magnique æstimatus, *G.* [2]) accitis in colloquium aliquot centurionibus ex consiliariis, *B*, *F.* [3]) Sverreridæ, *add. B*, *F.* [4]) veteribus, *add. B.* [5]) cui antea paruimus, *G.* [6]) Norvegi nunc parent, *G.* [7]) regia dignitas, *F.*

palam proponere non ausi sunt, veriti, ne rex eorum graviter irasceretur. Circa id tempus Bagli per speculatores cognoverunt, Hakonem dynastam a meridie adventare, propediem in oppido adfuturum; cujus cum adventum minime opperiri vellent, discessum maxima festinatione properarunt. Tum Thorer archiepiscopus ab domino Philippo petiit, ut regis filium sibi[1] traderet, atque ille sic fecit. Itaque regis filius apud archiepiscopum versabatur, donec dynasta a meridie adveniret. Deinde hic regis filium recepit, Deoque gratias egit, quod incolumis ex potestate Baglorum evasisset[2]; atque semper exinde dynastam[3] secutus est. Hieme proxime insequenti regis filius [quatuor annorum erat[4]; quæ hiems mala appellata est, a Birkibeinis vero hiems Seleyensis[5], quod diu per autumnum ad Seleyas[6] morati sunt: tum regis filius cum dynasta erat, [Olavsudam ducente, navem unius et triginta interscalmiorum[7]. Eo tempore tanta erant gelicidia, ut omnis potus frigore coiret, butyrumque tam durum redderetur, ut illini, quo regis filius pane vesceretur, nequiret; ille vero semper apud aulicos versari cupiebat[8]. Dynasta regis filio tostam dedit placentam siligineam; adeo crassam et mollem, ut complicari posset. Qui[9] cum Birkibeinos colloqueretur, "jam butyrum, Birkibeini, colligamus", omnes arridere, hocque dictum per ora omnium militum ferri, dictitantium: collige-

[1]) custodiendum, *add. H.* [2]) edixitque, eum nunquam ab se sejunctum iri, *add. F, G.* [3]) sive in emporiis versantem sive in navibus excubantem, *add. B, F.* [4]) quartum annum agebat, *B, F, G.* [5]) Soleyensis, *G.* [6]) Soleyas, *G.* [7]) *omitt. G.* [8]) omnes enim ei favebant, *add. G*; maximeque veterani, *add. B, F.* [9]) aere perquam frigido coram aulicis stans, cum quosdam videret buccellam panis et butyri alternis ori inserere, sumtum butyrum placenta obvolvit, et, *add. B, F.*

mus butyrum, Birkibeini, ita jubet regis filius. Erat puer [corpore vivido et agili[1], quamvis statura parva; [lingva fuit perquam promtus, ut dynastæ ceterisque dicta ejus ridicula haud levem risum moverent[2]. Sæpe duo simul Birkibeini eum ceperunt, atque inter se joci ergo distenderunt, facturos se tendendo, ut nonnihil accederet staturæ, dictitantes; eis enim lentius excrescere in longitudinem visus est.

De pactis inter regem et dynastam[3].

5. Cum Hakon regis filius septem[4] annos complevisset, in literarum disciplinam ab dynasta traditus est. Cumque aliquamdiu literis operam dedisset, quæsivit dynasta: quid discis, Hakon? inquit. „Carmina lithurgica, domine". Dynasta: te vero carmina lithurgica discere nolo, neque enim sacerdos, neque episcopus eris. Regis filium dynasta magno amore complexus est, itemque domina Kristina; cujus ingenium, ut plurimarum[5] feminarum, tale erat, ut interdum [irata acerbius in eum inveheretur[6], [cujus filius[7] esset se scire dissimulans. Cui dynasta: ne sic loquare, inquit, norunt enim omnes, me et fratrem meum hujus pueri occupatam tenere paternam hæreditatem[8]. Bagli et Birkibeini, [æstate hiemem Seleyensem excipiente[9], pacem in Hvitingseyis fecerunt. Qui cum inter se reconciliati essent[10], Hakon dynasta adhibitis amicis proposuit, velle se regem [tertiæ regni partis[11] creari. Qua re ab rege Ingio pernegata, aliam

[1]) admodum placidus, *H.* [2]) et admodum jocosus, ex quo multi magnam capiebant oblectationem, *G, F.* [3]) Pacificatio Birkibeinorum et Baglorum, *B*; Hakon regis filius in disciplinam traditus, *H* [4]) octo, *B.* [5]) multarum, *G.* [6]) magna cum indignatione poerum alloqueretur, *G.* [7]) quis, *G.* [8]) hæc sæpe coram omnibus locutus est, *add. G, F, B.* [9]) ut supra dictum est, *G.* [10]) paxque toti regno reddita, *add F.* [11]) *omitt. G.*

dynasta rationem iniit: erat ei filius legitimo connubio procreatus, cui[1] Knuto nomen, regi vero filius erat ex concubina natus, nomine Guttormus. Hortatus est dynasta, ut ea inter se pacta facerent, ut, qui alteri supervixisset, is totum regnum altero mortuo acciperet, si ei[2] filius legitime esset, is vero legitimus utrorumvis filius, qui utrisque supervixisset, totam Norvegiam ceteramque omnem hæreditatem haberet. Hæc pacta conventa, præsentibus Thorere archiepiscopo[3], [Martino episcopo, [Nicolao episcopo[4], multisque aliis hominibus, in comitiis Eyrensibus promulgata, sigillisque regis, dynastæ et episcoporum confirmata fuerunt.

Colloquium regis filii et Helgii.

6. Die quodam, cum[5] comitia [in oppido[6] haberentur, Hakon regis filius veniam impetravit Bakkum trajiciendi ad Astridam, affinem suam, ejusdemque diei vespera post cœnam domum rediit. Erat inter aulicos dynastæ vir, nomine Helgius Acer, vetus aulicus[7] et Birkibeinus; is puerum magnopere diligebat[8]. Jam vero accedentem ad se regis filium ab se repulit et abire jussit. Puer: quam ob rem iratus es, mi Helgi?[9] Ille: apage te[10], hodie tibi abjudicata fuit paterna hæreditas, quapropter minime te curo. Puero, ubi factum, quive fecissent, interroganti, Helgius: factum in comitiis Eyrensibus, inquit, fecerunt autem fratres, rex Ingius et Hakon dynasta. Hic

---

1) juveni domino, *add. G, F, B.* 2) regi, *G.* 3) Eriko episcopo, *add. G*; et Eriko archiepiscopo, *add. B, F, H.* 4) *omitt. G*; a priori [: Nicolao, Martino, episcopis suffraganeis, *B.* 5) hæc *add. G.* 6) *omitt. G.* 7) regis Sverreris, *add. B, F.* 8) sæpeque (puer) in amplexus ejus ruere solitus est, *add. G.* 9) ille eum iterum removit (repulit), quippe qui asperioris esset ingenii; puero vero eadem verba repetente, *add. cet.* 10) inquit, nam, *add. G.*

puer[1]: ne mihi irascare, mi Helgi, neque huic rei animum advertas, haud enim facile dispicias, an hoc ratum mansurum judicium sit, cui nullus meus procurator[2] interfuerit. Helgius: quis tuus est procurator? Puer: Deus [et sancta Maria[3] sanctusque rex Olavus; his ego causam permisi meam, hi meis commodis consulent de regni partitione ceteraque fortuna[4]. Ille puerum[5] amplecti et deosculari, dicens: macte virtute, regis fili, hæc tua dicta quadamtenus placent. Dynasta rem ad se delatam tacite tulit, domina vero Kristina ira[6] incensa vehementer in puerum invecta est. Statim peractis comitiis dynasta meridiem versus Bergas profectus est, comitante regis filio. Omnes veteres Birkibeini eo magis puerum dilexerunt, quo magis adolescebat[7].

Doli in regis filium ab Hidio structi[8].

7. Hidio nomen fuit viro, fratri Sigurdi Skjalgi, qui utrique regem Sverrerem diu secuti fuerant. Cum vero Philippus rex Baglorum uxorem duxisset dominam Kristinam, sororem Sverreris regis, Hidius eam comitatus est; ea autem mortua ad Hakonem dynastam rediit, apud quem hoc tempore versabatur. Sensit Hidius, dominam Kristinam alieniori in regis filium animo esse, dynastamque eodem modo animatum esse autumavit. Aliquo die sic dynastam allocutus est: hic puer tecum versatur, qui filius regis Hakonis appellatur, qui ubi adoleverit, fieri potest, ut

---

1) prudentis adulti viri instar, *add. G, B, H, F.* 2) qui pro me verba faciat, *add. cet.* 3) *omitt. G.* 4) hæc omnes præsentes audiebant, magnaque admiratione capti sunt, *add cet.* 5) comiter, *add. B, H.* 6) gravi, *add. G, F.* 7) ejus intelligentiam et vires augeri animadvertebant, *G, F*; eamque ob causam dom. Kristina animo aliquanto, quam antea, asperiori se erga puerum præbuit, *add. B, F*; dynasta vero eundem vitæ tenorem servavit, *add. B.* 8) De Hidio, qui Hakonem regis filium nefarie pervertere voluit, *G.*

tam patris quam avi paterni gratia a multis ametur; quem si filius tuus habebit adversarium, haud ei facile erit te mortuo regnum adire. At vero, si res ita se haberet apud populos exteros, ea haud dubie ratio inita foret, quæ imperanti metum propriæ sobolis eximeret, tali puero in alienas terras misso ad principes, nullo amicitiæ fœdere cum eo ejusve comitibus devinctos, a quibus aut mutilatus aut in carcerem conjectus foret, [ne quis ab eo postea timor existeret[1]. Quæ si ita fieri vis, me ad tale suscipiendum iter offero[2]. [Cui dynasta[3]: prohibeat Deus, ne meo filio regni honorem conciliem viri optime de me meriti filium[4] perdendo. Hunc sermonem dynasta paucis aperuit, nunquam vero se æque benevolum, atque antea, in Hidium præbuit.

Obitus Hakonis dynastæ.

8. Hakon regis filius decem annos compleverat, cum Hakon dynasta in morbum sibi fatalem incidit. Hic regis filium interea sibi assiduum esse jussit, et quotiescunque relinquere lectum valuit, puerum convivam adhibuit, fuereque pauci, quos dynasta vi morbi invalescente serius[5] quam filium regis agnovit. Mortuus est dynasta, atque honorifice elatus. Vere proxime insequenti rex Ingius Bergas venit, ad quem regis filius se contulit, et ab eo tempore perpetuo cum eo est versatus, magno habitus honore. Hakon regis filius et Guttormus, filius Ingii regis, utrique simul ludum literarium frequentabant; [multaque inter eos certamina in pueritia

[1]) *omitt. G, F, B,* [2]) remque sic, ut tibi placeat, efficere potero, *add B, H.* [3]) Dynasta primo rem tacite excepit, dom. Kristina paucis respondente, ut vero aliquantisper tacuerat, ita sermonem orsus est, *F, H, B.* [4]) aut nepotem, *add. G*; et nepotem, *add. B, F.* [5]) diutius, *G.*

intercesserunt, etsi hoc loco non relata sint[1]; Guttormo ingenium ad iram pronius ac vehementius, Hakon [verborum parcior ingenioque tranquilliore[2], et gratiosior. Rex utrumque pari numero et loco habuit, cum ceteris in rebus omnibus, tum utrumque pari vestitu ornavit.

Rex Ingius ægrotans.

9. Accidit aliquando, ut rex Ingius ægrotaret, cui tum frater Skulius præsens aderat [. Homines de valetudine regis perquam solliciti erant; cum vero omnis auctoritas[3] penes Skulium esset, hic amplissimis præsentium accitis, Gregorio Jonis, Eyvindo sacerdotis affini, Ivare Boddio, Dagfinno colono[4], verba fecit: videtis quam vehementi morbo rex, frater meus, laboret, ut vires ejus plus, quam optaremus, decrescant; quem dilectissimum nobis amicum si Deus eripuerit nobis, salutaribus nobis opus erit consiliis, quem eo sublato creare regem debeamus. Tum respondit Dagfinnus colonus: quænam præsto est (candidatorum) facultas? Skulius: ipsi nostis, hoc nomine præcipuum esse[5] filium Ingii regis, idoneum, qui in patris locum succedat. Deinde nos fratres germani sumus, uterque legitimo connubio procreatus, quam in rem legum præscripta nostis. Tum Hakon, filius regis Hakonis Sverreridæ, ad orientem vero in Gothia Knutus, Hakonis dynastæ filius, -[ad quem regnum postulandum mortuo patre jure pertinet[6]. Neque tamen dubito, quin plerique, qui regi Ingio parue-

[1]) multæ variæ res, ad eorum vitæ rationem et ludiera puerilia pertinentes, acciderunt, quæ si literis mandatæ essent, dignæ memoria existimarentur, *G. F, H.* [2]) ingenii svavitate et humanitate commendabatur, *G.* [3]) totum regimen aulicorum juxta regem, *add. B.* [4]) ab [: compluresque alii illustres viri; universi aulici convenerant, ad quos Skulius, *G.* [5]) Guttormum, *add. G, H.* [6]) qui quod jus habeat regni postulandi, nosse debetis, *G.*

runt, filio ejus potissimum parere velint. Hac de re cum aliquamdiu disputassent, et quæ cuique viderentur in medium protulissent, Eyvindum, qui se colloquio non intermiscuerat, interrogarunt, qui tam pauca loqueretur. Ille respondit: ideo hac de re pauca loquor, quod non sum interrogatus; hoc vero mihi mirum videtur, vos, qua prudentia estis, [tantopere de hac re dubitare[1], quæ aperta et oculis subjecta est omnium, qui recta [sciunt et verum videre cupiunt[2]: nam si Hakonis regis filius ad maturam ætatem pervenisset, ad eum, non ad te, Skuli, non ad fratris tui filium, non ad filium Hakonis dynastæ, universæ regnum Norvegiæ patre mortuo jure pertineret[3]. Quæ cum Eyvindus pronunciasset, nemo erat[4], qui contra diceret. [Neque ita multo post rex ex morbo revaluit[5].

Rex Ingius adversus Thrandos pugnavit.

10. Rex Ingius infenso erat in Thrandos animo, quod stipendia aliaque vectigalia[6] postulati retinuerant. Rex cum eis in comitiis Raumensibus[7] conflixit, quemadmodum in historia ejus demonstratum est. Proxima vero æstate post obitum Hakonis dynastæ rex Ingius Bergas profectus, cunctam regni partem, cui præfuerat dynasta, in potestatem suam redegit. Rex omnes præfectos ex meridianis regni partibus[8] ad se arcessivit, ut septemtrionem versus in Thrandheimum proficiscerentur; multique[9] tum cum eo

---

1) hanc rem tam impeditam reddere, *G.* 2) dicunt, *B, F;* recte de ea disserere volunt, *G.* 3) quin si vel uterque frater, Hakon et Ingius, viveret, Hakon (regis filius), ubi ad maturam pervenisset ætatem, quo tempore libuerit postulare, ut uterque paterna hæreditate cederet, ipseque eandem adire posset, *add B, F, G.* 4) ex præsentibus, *add. G.* 5) Hac disputatione ita suppressa, rex revaluit, *G.* 6) pensiones in rem classicam, *F.* 7) Runensibus, *B.* 8) magnis cum copiis, *add. G, B, F.* 9) omnesque, *F.*

versabantur centuriones Birkibeinorum. Cumque rex in Thrandheimum pervenisset, omnes has copias adversus Thrandos interiores duxit. Congressi ad Vogsbruam, pacem inter se fecerunt; hæc æstas appellata est Vogsbruensis. Regem Ingium Nidarosum reversum adierunt cognati Hakonis regis filii, petentes, ut regis filio aliquid[1] tribueret, quo se cognatosque sustentaret. Regi, quid peterent, interroganti, significarunt, eum[2] Jamtiam petere, quam rex Sverrer, avus suus paternus, regno Norvegiæ [gladio suo[3] subjecisset. Rex eos irato vultu adspiciens: itane ingentia in frusta Norvegia dissecetur? minime ego tam grandes ei præfecturas tribuam; jam orientalem regni partem tenent Bagli; quare haud adduci possum, ut plures regni partes distribuam. Petentibus a rege, ut ei unam aut duas maritimas præfecturas daret: „Nullam ei præfecturam tradam, inquit, nam hic apud me ei tam liberaliter provisum est, ut nihil ei desit". Jam cognati regis filii, pejus quam antea contenti, paucis post diebus regis filium, ad meridianum latus ædis Crucis[4] in colloquium seductum, ita alloquuntur: videtur nobis rex Ingius, regis fili, qui totum jam regnum a patre tuo subactum tenet, parvam Norvegiæ partem tecum communicare velle; compluresque, qui nulla juris prærogativa paternam tuam hæreditatem invaserunt, omnium rerum abundantia jam affluunt, cum cognati tui ab omnibus fortunis, quæ jure ad te[5] pertinerent, dejiciantur. Quam ob rem ea nobis sententia stat, ut te abducentes aufugiamus copiasque contrahamus; audimus enim complures jam Birkibeinos querentes, qui minora quam pro navata opera consecuti beneficia sibi videntur. Idem

[1]) aliquam præfecturam, *cet.* [2]) se, *F.* [3]) *omitt. G.* [4]) quæ in Emporio est, *add. B, F.* [5]) nos, *G.*

ab orientalibus regionibus de Baglis affertur, extemplo novas res molituros, si quem ducem nacti fuerint. Regis filius interea aures præbuit dicenti, nullo responso dato. Andreas Skjaldarband locutus est: jam te, regis fili, ab rege abducere volumus cognati tui, brevique futurum speramus, ut [alii abs te honorem petant, non minus quam tibi petere est necesse[1]. Cum ex cognatis ejus alius post alium in eandem sententiam locutus esset, regis filius respondit: et me pueritia prohibet, quo minus tam ingentes res aggrediar, neque æquum existimo contra Birkibeinos dimicare; nam certo scio, magnam Birkibeinorum multitudinem regem Ingium deserturam; qui cum omnes sub iisdem signis militare deberent, eos inter se in certamen committere, imprudentis est. Deum potius orare in animo est, ut mihi paternæ hereditatis quantum ipsius clementiæ placuerit, quandocunque eveniat, concedat; neque cuiquam in mentem veniat, me, quo nunc sunt res loco, ullam in Norvegia factionem instauraturum.

Obitus regis Ingii.

11. Cum duæ hiemes ab obitu Hakonis dynastæ elapsæ essent, tertiaque adesset, rex Ingius in morbum incidit, initio non vehementer grassantem; itaque regis filium apud se assiduum esse jussit; multum enim dictis ejus delectari solebat, quod jocosus erat[2]. Nicolaus nomen erat aulæ magistro regis, homo hilaris et jocosus. Hos rex interdiu apud se habuit et inter se colloqui jussit, et voluptatem ex dictis eorum capiebat, qua re levari morbus videbatur. Rex diu jacuit, et procedente morbo viribus admodum desertus est. Adsedit ei Skulius, frater ejus.

[1]) iidem ipsi abs te honorem petant, qui nunc eo te prohibent, *G.* [2]) et facetus, *add. F, H, B.*

Amici et aulici regis inter se collocuti sunt, ut rex præfectum aulicorum constitueret, in quo illis præsidium esset, cui rei Skulium, fratrem regis, maxime idoneum esse, inter eos convenit. Cumque rex vires suas adeo decrescere sentiret, ut reipublicæ administrandæ non sufficerent, motus cognatorum amicorumque precibus, fratrem Skulium in sedem deduxit, eique nomen dynastæ dedit; tumque Skulius dynasta totius aulæ regimen suscepit. Rex Ingius paulo post obiit, nono calendas Maji.

De rege creando deliberatio.

12. Cum rex Ingius obiit, Guttormus filius ejus novem[1], Hakon regis filius tredecim annorum erat. Tum aulici convocati in concionem, ut de rege creando deliberaretur; congregabanturque, qui regi Sverreri paruerant, maximaque aulicorum pars; quos inter convenit, ut regem creari vellent Hakonem, regis Hakonis filium; Skulius vero dynasta ejusque cognati[2] regem creari voluerunt Guttormum, filium Ingii regis; fuere quoque ex amicis dynastæ, qui ad Skulium[3], quod [frater legitimus[4] regis esset, proximo jure honorem regni pertinere contenderent. Quæ res etsi initio non palam proposita est, tamen[5] gravissimarum contentionum causa extitit; dynasta vero, qui voluntatem Birkibeinorum nosset, concionibus interesse haud temere voluit. Mox multi ex Thrandheimo coloni advenere, quorum quotquot majores natu erant[6], regem jubebant,

[1]) undecim, *cet.* [2]) amici, *G.* [3]) *sic correctum in F*; filius Hakonis dynastæ, *A.* [4]) hæres Ingii, *G.* [5]) magis magisque rumore increbuit, tandemque in sermonem hominum venit, et indictis aulicorum speculatorumque conventibus diseeptata, *B, F, H.* [6]) ex provinciis, *add. G;* et Thrandi interiores et exteriores et plerique majorum natu suo filiorumque domi remanentium nomine, *B, F.*

qui paterno genere ex regia familia inde ab ethnicismo, ordine successionis nullo sexu muliebri interrupto, natus esset[1]. Guttormus autem archiepiscopus septemtrionem versus in Halogiam profectus erat; quare Skulius dynasta exspectare voluit, donec archiepiscopus a borea revenisset; et persvasum Birkibeinis erat id agere dynastam, ut eis, quæ ipse perfici vellet, archiepiscopi auctoritatem prætenderet; fuere quoque ex canonicis et præfectis quidam, qui familiam regis Sverreris pervertere, si possent, eoque facto aliis regibus nomina dare cupiebant. Ubi vero dynasta concionibus interfuit, simulavit quidem se cum aulicis rem libenter velle expedire; sed dilata res est. Cumque animadverterent aulici[2], rem tantopere extrahi, die quodam aulicorum concionem classico[3] convocari jusserunt, eoque ut dynasta se conferret, orarunt. Quo cum dynasta venisset, Vegardus Veradalus[4] surrexit, orationemque, qualem universi aulici præceperant, habuit: [5]dynasta, inquit, creandi regis curam differri diutius nolumus; hoc ipso mane conventum in ædibus regiis habere constituimus, atque invitamus te, dynasta, ut adducto Hakone regis filio eo venias, eumque juxta te in solio colloces, ut hic rex designatus, donec comitia Eyrensia fiant, ab omnibus consalutetur. Quam si conditionem accipere non vis, deductis hoc mane navibus, meridiem versus Bergas[6] proficiscemur, indictisque per totum conventum Gulensem comitiis regem creabimus Hakonem, ejus nostramque causam in fidem Dei sanctique regis Olavi permittentes. Quæ cum aulici firmiter decrevis-

[1]) multi quoque colonorum Skulio dynastæ ac Guttormo regis Ingii filio adsentiebant, *add.* *G*, *B*, *F*. [2]) Birkibeini, *G*. [3]) in aulam, *add.* *F*, *G*. *H*. [4]) ex Veradalo, *B*, *H*, *F*. [5]) domine, *add.* *G*, *F*. [6]) ad aulicos, qui ibi sunt, *add.* *B*, *G*, *F*.

sent, dynasta sic esse, uti ipsis placuisset, jussit; quo facto suos sectatores clerici civilisque ordinis in colloquium secum convocat, qui soli per totum diem noctemque insequentem in colloquio erant, neque quicquam ex consiliis eorum cognitum est. Postero mane [universi ad ædes regias classico evocati sunt[1], dynastaque a meridiana parte ædis Nicolai solium exstrui jussit. Hic surgens Vegardus in eandem atque antea sententiam verba fecit. Dein Gregorius Jonis, vir præfecti dignitate, locutus est: haud cogitaveramus fore, ut ista adeo præcipiti festinatione agerentur; magis e ratione fuerit, exspectari adventum archiepiscopi [, omnesque episcopos ac principes advocari[2], horumque auctoritate uti in tam gravi re. Tum Onundus signifer respondit: nobis Birkibeinis haud profuerit, prolixam[3] in hanc rem episcoporum orationem exspectare; nam hi hoc in negotio parvam rationem habebunt aut legum ab sancto rege Olavo latarum aut publicæ utilitatis, quando dignitas alicujus ex familia regis Sverreris agatur. Alterum momentum, in quo hæc res vertitur, omnibus notum, hoc est, quod Bagli, qui Vikam ad orientem magnis cum copiis tenent, præfectum sibi regem simulant; qui si nos mutuis dissensionibus infirmos cum exercitu ducis experte hærere senserint, haud diu adventuri exspectabuntur, et a multis in perniciem nostram adjuvabuntur, cum viri clerici ordinis nostris rebus parum studeant. Itaque nobis omnibus, qui regiam familiam tueri constituimus, nihil relinquitur, nisi ut nobis ipsi adsimus, dum Deus adesse voluerit.

---

[1]) præfecti aulicorum omnem populum ad comitia ad æd. reg. habenda classico convocarunt, *F, G.* [2]) ceterorumque episcoporum omniumque prudentissimorum regni civium, *G, B. F.* [3]) diffusam, *F.*

Hakon regis filius in comitia deductus[1].

13. Nuncupati dein ex concione duodecim viri in [ludum literarium, qui*) supra ædem Christi erat, ad regis filium se contulerunt, [atque sic locuti sunt[2]: omnes veteres Birkibeini, oppidani, coloni, tibi, regis fili, Dei suamque salutem mittunt; hi nunc ad ædes regias consident et te exspectant. Deductum in comitia regis filium ad solium, cui dynasta[3] præsidebat, prosequuntur. Dynasta eum tam propere in solio collocari vetuit: multi enim sunt, inquit, qui, [an regis Hakonis Sverreridæ filius sit[4], haud satis perspectum habere sibi videntur. Responsum est nomine regis filii: puer prima hieme, qua venit ad regem Ingium, ab eo perinde, ac si verus suus cognatus esset, exceptus est, nunquam dubitante, quin regis Hakonis filius esset. Idem Hakon dynasta fecit; et uterque, rex ac dynasta, quoad vixerunt, officiis suis ostenderunt, eum verum esse cognatum suum. Ista vero haud dubie eorum instinctu et auctoritate[5] proficiscuntur, qui regum Norvegicorum familiam pervertere, eosque, quibus nullum regni jus est, provehere studuerunt. Exinde cognati regis, quique rem optime cognitam habuerunt, polliciti sunt, se pro regis filio tentamen probationis lubenter subituros, potius quam paterna hæreditate excideret. His actis comitia dimiserunt.

Inga regis mater jejunio se ad gestandum ferrum præparavit.

14. Tum Inga regis mater ad ædem Petri

[1]) hic regius filius in solio collocatur, *H.* [2]) principsque legationis locutus est, *G, B, F.* [3]) in sella, *add. F, G.* [4]) de paterno ejus genere, *G.* [5]) jam per aliquantum temporis spatium invalescente, *add. G, F*; veteribusque odiis, *add. F, B.*

*) vel, in collegium canonicorum, quod etc., confer cap. 19, var. l. 2.

accessit, ibique se ad gestandum ferrum jejunio, ut mos est, præparavit. Interea dynasta nocturnos conventus cum canonicis et præfectis[1], regi designato adversariis, habere non destitit. Cum vero gestari ferrum oportuit, clam subductum est, dicentibus nonnullis canonicorum, se non audere, ut gestaretur ferrum, permittere, priusquam archiepiscopus advenisset. Præfecti aulicorum ac Birkibeini, eventum rei animadvertentes, nihilo secius in incepto perstiterunt, missisque per omnes Thrandheimenses provincias nunciis comitia Eyrensia in proximum mensem[2] indixerunt; hominemque[3] constituerunt, qui [regem designatum[4] quovis die[5] comitaretur, et præceperunt ut in solio juxta dynastam sederet, quomodocunque huic placeret.

Literæ præfectorum conventus Gulensis et Havardi, episcopi designati.

15. Eo tempore a meridianis regni partibus advenit Dagfiunus[6] prætor[7], afferens literas ab Havardo, eo tempore episcopo Bergarum designato, aliisque clericis[8], quarum hoc erat argumentum; audivimus mortem domini nostri, regis Ingii, quæ multo ante, quam voluissemus, [si nostro arbitratu liceret[9], accidit. Sermonem quoque circumferri audimus, ambigi, quis in locum regis succedere debeat. Atque id quidem mirum est, vos, qua prudentia estis, diversas habere sententias de re, quam omnibus perspicuam esse credideramus. Profitemur igitur, nos neminem

[1]) pluribusque clerici ordinis, *G, F.* [2]) post dimidium mensem habenda, *B.* [3]) hominesque, *F, G.* [4]) regis filium, quem semper regem designatum appellarunt, *F, G.* [5]) noctu interdiuque, *F, G.* [6]) colonus et, *add G.* [7]) et orator (regius), *add. G, F.* [8]) præfectis ex conventu Gulensi; tum aulici classico ad concionem convocati, literæque recitatæ, *G, H, F.* [9]) *omitt. G.*

præter Hakonem, regis Hakonis[1] filium, cujus majores, unus post alterum, Norvegiæ imperarunt, dignum scire, qui nomen regium gerat. Quam ob rem nostram ea de re sententiam certo sciatis, volumus, nos nulli regi, præter illum, parituros, animas fortunasque omnes nostras illius causa profusuros, ipsum paternamque ipsius hereditatem defensuros, quemcunque vero alium regem creaveritis, adversus hunc milites ceterosque omnes, qui legibus Gulensibus parent, arma laturos. Quod si velitis, Thrandi, aliquos cognatos aut coalumnos vestros, quamvis aliqua cognatione regibus junctos aut per stemmata ab eis oriundos, ad regni honorem producere, adeo ut suorum quique cognatorum[2] partibus favere necesse sit: tum propediem multi existent reguli. At vero, etsi essent, qui de creando rege ambigerent, tamen credideramus, Thrandos uno sententiæ tenore duci oportere, atque sic rem se habere speramus, quicquid demum alii loquantur. Dagfinnus colonus et Roar regis cognatus, cetérique, quibus cura literarum perferendarum demandata est, omnem nostram hac de re voluntatem exponere vobis possunt.

Oratio Dagfinni.

16. Et recitatis literis, surgens Dagfinnus colonus, multis verbis eadem de re disserit, atque orationem his conclusit: nisi Hakon statim[3] rex creatus fuerit, inquit, nos Birkibeini eum meridiem versus Bergas deducemus, quod negotium ab universo conventu Gulensi demandatum nobis est. Hic a Birkibeinis, ut antea, magno studio acclamatum est, dicentibus, nihil aliud nisi hoc confectum iri, quicquid quisque loqueretur[4]. Is conventui finis fuit[5].

[1]) Sverreridæ, *add. G, H.* [2]) et coalumnorum, *add. F.* [3]) hoc loco, *G.* [4]) in medium proferret, *F.* [5]) Quibus actis, tessera co-

Initium regni Hakonis regis.

17. Quo die comitia [constituta sunt[1], magna[2] multitudo ex provinciis[4] advenit, ut moris est, quando creari regem oportet. Ex prisca consvetudine omnis multitudo in Eyras classico evocata est. Dein missi ad canonicos, qui scrinium sancti Olavi regis efferri juberent. Ubi ad ædem ventum est, occlusa fuit, dicentibus æditnis, canonicos excommunicationem minatos, quicunque ædem effregisset scriniumve extulisset. Quo in comitia perlato, Hakoni[4] regium nomen justis ritibus[5] datum est a viro quodam, cui nomen Skervaldo, Gaulardalensi; tumque ei totum regnum cum civibus adjudicatum est. Universi Thrandi ei[6] obedientiam, quæque cives imperanti præstare debent, tam plene polliciti sunt, ut si ille eis, ipsi illi jusjurandum dixissent. Sic ea comitia dimissa. Postero die aulici in concionem classico convocati[7], in verba utriusque, regis Hakonis et Skulii dynastæ, jurarunt[8], suo quisque cum titulo honoris, quo antea ab rege Ingio fuerat ornatus.

Contentio Asolvi et Eilivi.

18. His actis rex Hakon et Skulius dynasta confestim iter meridiem versus Bergas compararunt[9], una vecti nave vigintitranstra[10]; [Eilivus Capellanus Sudæ[11] præfectus erat; Asolvus, cognatus dynastæ, tertiæ navi præfuit[12]. Ubi

---

mitialis per provincias dimissa est, *add. G, B, F;* præceptumque, ut quam plurimi comitia frequentarent, *add. B. F.*

[1]) Eyrensia indicta sunt, *G.* [2]) colonorum, *F.* [3]) in oppidum, *add. G.* [4]) nihilo minus, *add. G.* [5]) priscisque formulis, *add. G.* [6]) omnem rectam, *add. G, F.* [7]) cum præfecti aulicique omnes convenissent, *add. B, F.* [8]) eisque gladios eorum attingendo se addixerunt, *add. B, F, H.* [9]) utrique, *add.* G. *H.* [10]) *omitt. G, H.* [11]) Gestaskutæ (*celoci speculatorum*), *B, F, H; ab signo*[*omitt. G.* [12]) quæ duodeviginti transtris instructa erat, *add. F, H.*

ex oppido solverunt, dynasta remanente, rex navem[1] ducebat. Vento leniter spirante ad Hattarhamarem appulerunt. Tum Eilivus et Asolvus de statione certarunt; hunc enim multis viris stipatum speculatores e statione detrudere conabantur, quod ille (Eilivus) prior advenisset; atque hic primo remis longuriisque res gesta, dein utrique arma sumserunt, et aliquantisper acer pugnæ impetus fuit; naves enim æquis proris stabant. Ut vero regia navis allapsa est, viderunt (regii) gladios in ceteris navibus destrictos esse; itaque rex gubernatorem navis inclamans, recta inter naves cursum dirigi, navemque contentissimo remigio impelli jussit, hac ratione pugnantes celerrime dirimi posse arbitratus. Ut vero navis regia viam sibi inter naves fecerat, neutri alteris damnum afferre potuerunt; multi autem ex utriusque navis propugnatoribus vulnerati erant. Dein rex eos in terram accitos in gratiam reduxit. Mox dynasta ab oppido advenit, quo facto ex sinu navigarunt, commodisque ventis usi meridiem versus Bergas contenderunt, et sub vesperam ad Hegranesum appulerunt. Proximi diei primo diluculo Dagfinnus colonus ex oppido ad eos venit, exponitque, allatas esse literas ab canonicis Thrandheimensibus ad episcopum designatum et canonicos Bergenses, quæ prohibeant, ne quam regi Hakoni reverentiam præstarent; significans, hos se ancipiti discrimine versari existimare, iram archiepiscopi et canonicorum verentes, altera parte regi obtemperationem, quemque possent honorem libenter præstare cupientes. Dynasta paucis respondit, quales se gererent parvi interesse ostendens. Huic Dagfinnus: si, quæ in Thrandheimo inceptarunt[2], hoc loco facere pergent, omnis honor, quæ regi præ-

[1]) naves, *F*, *H*. [2]) fecerunt, *F*.

stari debet, propediem eluetur. Tum rex: redi in oppidum, Dagfinne colone, canonicisque nuncia, me ab illis, ut ab optimis regni incolis, optima exspectare; sin secus faciant, haud diu fore, cum experturi sint, placuerit nobis nec ne. Dagfinnus in oppidum remigavit, canonicisque dicta regis, quæque dynasta locutus esset, retulit.

De rege et canonicis[1].

19. Canonici ita responderunt, se lubenter regi[2] honorem præstare cupere; non eo amicitiam archiepiscopi aut canonicorum Thrandheimensium conciliaturos, ut vicissim gratia regis exciderent. Post hæc rex in oppidum remigavit; tum campanæ totum per oppidum pulsatæ, clericique[3] quam honorificentissime[4] ei obviam iverunt. Eo omnes præfecti tribunique aulicorum, qui in conventu Gulensi erant, convocati[5], ut vigilia festi martyrum Seloensium[6] frequentes in oppido[7] adessent. Qui dum exspectabantur, rex et dynasta in oppido versabantur. Rex parvo natu erat, ætatis puerilis causa magis ludicris quam reipublicæ curandæ intentus, dynasta vero hoc omni tempore cum suis sectatoribus[8] consilia conferebat, literasque tam[9] in meridianas quam in septemtrionales regni partes dimittebat; ignaris plerisque hominibus, quæ his literis continerentur, cum paucæ ex eis regi monstratæ essent: tum homines orientem versus in Vikam missi ad Philippum Baglorum regem, cujus amicitiam et societatem affectabat dynasta. Cum vero amici regis coram eo quererentur, hanc miram esse ambitionem, inde petere amicitiam,

[1]) consilia capituli (canonicorum collegii), *B.* [2]) omnem quem possent, *add. G.* [3]) *sic G;* præfecti (*vix recte*), *A.* [4]) facta processione, *add H* [5]) hominesque ex provinciis frequentes acciti, *add. F.* [6]) 8. id. Jul., vide Scr. hist. Isl. Vol. 1, p. 258. [7]) Bergis, *F.* [8]) amicis, *F.* [9]) in Sveciam, quam, *add. B.*

ubi perpetuum odium fuisset, respondit rex, dynastam tam esse prudentem, ut amicos sibi deligere sciret: neque vero mihi fraudi fore existimo, si multos habeat amicos, neque enim eo minus omnia inter nos pacta, quod ad ipsum attinet, conservare poterit, quæ ego haudquaquam prior violare statui.

Litteræ ab Skulio dynasta in terras occidentales missæ.

20. Skulius dynasta literas conscribendas curavit ad Jonem dynastam Orcadensem, occidentem versus per mare mittendas, regio sigillo munitas, insciente quidem rege, ignaroque quid literis contineretur. Vir, dictus Jostein Thamba speculatorum unus, perferendas literas habuit, quæ cum ad mare perlatæ essent, qui in navi erant animadvertentes, miserunt ad Ivarem Boddium et Dagfinnum colonum, regis consiliarios, qui monerent, literas Josteini datas regio sigillo consignatas esse[1]. Ivar regem admonuit; melius esse ipsum literas videre, quæ regio signo consignatæ in exteras terras mitterentur; quo factum est, ut rex Hakon in Herdloverum mitteret, qui literas referrent. Quo cognito dynasta legatos alia nave misit, qui majori celeritate usi literas assecuti sunt, antequam regii advenissent; atque ut primum in oppidum redierant, dynasta, indicta aulicorum concione, Ivarem Boddium[2] aliosque regis consiliarios[3] accusavit, quod dissidia inter se ac regem serere studerent, suaque consilia male interpretarentur. Tum [locutus est[4] Gregorius Jonis filius, dynastæ cognatus[5], his verbis Ivarem Boddium[6] compellans:

[1]) Tum Ivar regem adiens interrogavit, ecquam harum literarum notitiam haberet; quod cum negasset rex, *add. B, F, G.* [2]) et Dagfinnum, *add. B.* [3]) vehementer, *add. F.* [4]) surrexit, *F.* [5]) qui etiam tum regi parum favebat, *add. F.* [6]) magno fervore, *add. F*

præsens adfui colloquio virorum, qui primi regi Hakoni ac dynastæ fidem suam jurejurando adstrinxerunt, tumque omnia consentientia fore arbitrabamur; jam vero unus sacerdos omnium Birkibeinorum concordiam pervertere studet, quod ei male vertat. Prehendamus eum, atque hunc[1] primum puniamus, ut ceteri postea deterreantur. His dictis magnus numerus dynastæ cognatorum et amicorum[2] exiliit, seque sacerdotem vivum discerpturos minabantur. Tum Ivar surrexit, silentiumque postulavit, neque obtinuit; quare amici regis[3] ante eum procucurrerunt, eumque defenderunt, ne qua vis ei fieret, magno tum inter aulicos fremitu. Dein rex surgens locutus est: etsi dicendi sum imperitus, tamen oratos vos volo, ut Ivari nutricio[4] meo aures præbeatis, deindeque quæ placuerint respondeatis; [atque sic factum est[5].

Oratio Ivaris Boddii

21. Dein Ivar sacerdos sic locutus est: notum est veteribus Birkibeinis, inquit, me eo vere, quo postea in mari Strindensi pugnatum fuit, venisse ad regem Sverrerem; quo vivo magno[6] honore habitus sum; cui sic servivi, ut[7] multorum[8] me arcanorum participem fecerit; et quanquam intimos suos consiliarios apud se haberet, tamen non exclusus sum, quod neutiquam fecisset, si me proditorem aut infidelem expertus fuisset. Idem rex Hakon, filius ejus, fecit, eundem rex Guttormus morem tenuit; et ex quo rex Ingius et Hakon dynasta regnum capessiverunt, hi eadem consvetudine usi sunt, hocque amplius, a quo magnopere alienus fui, quod mihi

[1]) h. l. incipit Fragm. 1. [2]) qui intus erant, *add. B* [3]) ejus, *Fr.* 1. [4]) coalumno, *G*, *Fr.* 1. [5]) Roar regis cognatus sic fieri jussit, *F*, *G*, *B*, *Fr.* 1. [6]) ab eo, *add. Fr.* 1. [7]) tandem, *add. F.* [8]) plerorumque, *B*, *F*, *Fr.* 1.

officium literarum conscribendarum sæpe demandarunt; nam semper veritus sum, ne inimici mei aliquid reperirent, quod mihi periculo esse posset: neque enim tunc, non minus quam nunc, invidis hominibus carui, qui me pervertere studuerunt; et omnes præsentes contestor, me ad hoc tempus perfidiæ[1] in principem[2] meum nunquam convictum esse. At ipse crimen meum novi; scilicet hic juvenis noster rex, ut ætate, sic ingenio puerili est, atque salubrium consiliorum[3] fideliumque virorum conversatione[4] indiget: prope enim adsident, qui, ut regi pro arbitrio imperent[5], eos avertere studeant, qui ei fideles sunt. Quod si hoc meum crimen tantum est, ut ea de causa, quod regem admonui, ut literas[6], quæ ipsius sigillo consignatæ in alias terras mittebantur, videret, dignus judicer, qui vivus discerpar, uti tu ais, Gregori Jonis, atque tu, Paule Flida: [7]ego me a consortio aulico separabo, neque concordiam regis ac dynastæ pervertam. Faxit Deus, ut ii soli remaneant, qui utrique fideles sint[8], consiliisque suis, qui utrique natalium jure debetur, honorem concilient. Hic conventus ita finitus est, ut regii [minus contenti essent[9].

Rex Hakon et Skulius dynasta regnum Norvegiæ inter se partiuntur.

22. Rex Hakon ita ad regnum adiit, ut ex rebus mobilibus a patre suo relictis non plus acciperet, quam unam fibulam et annulum aureum; Skulius vero dynasta omnes ceperat[10] res mobiles, quæ regi Ingio fuerant quasque mortuo

[1]) aut fraudis, *add. Fr.* 1. [2]) dominum, *G.* [3]) consiliariorum, *Fr.* 1. [4]) cum primis, *add. Fr.* 1. [5]) dynasta imperet, *F.* [6]) suas, *add. Fr.* 1. [7]) hujus rei posthac non veniet usus, nam, *add. Fr.* 1. [8]) salubria consilia dent, *add. G.* [9]) tristes, invidi hilares essent, *cet.* [10]) occupaverat, *Fr.* 1.

rege Hakone[1] acceperat[2]. Pridie comitia[3] rex et dynasta horumque consiliarii congressi sunt. Regis consiliarii postularunt, ut dynasta prisco more in verba regis juraret; dynasta vero hoc se prius facturum negavit, quam, quid vicissim consecuturus esset, cognovisset, statimque dimidium [Norvegiæ et omnium provinciarum tributariarum[4] postulavit. Regis consiliariis tertiam Norvegiæ partem, exclusis provinciis tributariis, offerentibus, [dynastæ consiliarii[5] postularunt, ut minima ex parte dimidium [Norvegiæ et provinciarum tributariarum[6] haberet, alias eum cum omnibus copiis suis eo se recepturum, quo conversus ea quæ concupivisset adipisceretur. [Hic intellexerunt regis consiliarii, minime virium regiarum esse, resistere Skulio dynastæ et Philippo, Baglorum regi, qui eo tempore Vikam et Uplanda magno præsidio tenuit[7]. Quam ob rem[8] eo descensum est, ut Skulio dynastæ tertia pars Norvegiæ et provinciarum tributariarum concederetur[9].

Oratio Dagfinni.

23. Postero die concio ad comitia, in cœmeterio ædis Christi habenda, classico convocata est[10]; eo scrinium sanctæ Sunnevæ multæque sacræ reliquiæ comportatæ. [Tum surrexit Sigurdus Onarheimensis, nomine totius conventus

[1]) regeque Sverrere, *add. F, B, Fr.* 1. [2]) Appetente die comitiorum, a conventu Gulensi edictorum, primo Bergas venere præfecti aulicorumque tribuni, amplissimique conventus Gulensis cives, *add. B, F, H. Fr.* 1. [3]) Gulensia, *add. G, Fr.* 1. [4]) totius regni, *G.* [5]) Gregorius Jonis et Paulus Flida, *G, F, B, Fr.* 1. [6]) totius, *G.* [7]) Birkibeini intellexerunt, periculosum regi fore, si dynasta ac Philippus se consociassent, *G.* [8]) ab rege ejusque consiliariis, *add. Fr.* 1. [9]) is exitus fuit hujus conventus, *add. G, F, Fr* 1. [10]) Quæ comitia a septemtrionali ædis parte constituta sunt, *add. B, F, Fr.* 1.

Gulensis, regique et dynastæ gratulatus est, quam gratulationem longa ac diserta oratione persecutus est. Deinde Dagfinnus colonus verba fecit, suæque orationi interseruit, etsi Thrandheimenses scrinium Sancti Olavi regis ædi inclusissent, hoc non auctoritate aut voluntate colonorum factum: jam omnes conventus Gulensis cives, tam clerici quam seculares, regi Hakoni omnem quem possunt honorem læti præstabunt[1].

De juramento regis.

24. Post hæc surrexit vir, cui nomen Steingrimo Stryllo, facundia et prudentia insignis; is Hakoni regium titulum dedit[2]. Exin rex jusjurandum dixit, se jus[3] civium custoditurum; dynasta vero antea jurisjurandi formulam constituerat, juramentoque inseruerat, regem omnia cum dynasta pacta conventa conservaturum; ipse autem dynasta juravit, se leges erga cives servaturum, fidemque inviolatam regi Hakoni præstiturum, quamdiu pactiones inter eos initas servare vellet[4]. Dein præfecti surrexere, Gregorius Jonis, Paulus Flida, Brynjolvus Knuti, Gautus Jonis, Arnius Storka[5], aliique aulicorum tribuni, et in regis verba jurarunt; [denique coloni jurarunt, atque sic ea comitia finita sunt[6].

De statu annonæ in Norvegia.

25. Cum Hakon rex creatus est, optimus annonæ status in Norvegia fuit: ea æstas tam bona fuit, ut arbores frugiferæ multis terræ locis bis fructum ferrent, volucresque agrestes ova bis parerent. Sic Olavus Albus poeta.

---

[1]) ab signo [: primo regi dynastæque more prisco gratulatio facta, *H.* [2]) cui plurimi pro suo officio gratias egerunt, *add. B, F, Fr.* 1. [3]) leges, *Fr.* 1. [4]) dynasta vero juravit, se benevolum erga regem præstiturum, *add. Fr.* 1. [5]) Sturla, *B, F, Fr.* 1. [6]) dein satellites, tum speculatores, denique coloni, *G.*

Inclyti homines optimo annonæ statu
gavisi sunt: tunc enim arbores avesque
eadem æstate bis fructum tulerunt.
Regiæ progeniei gloria sic exsplenduit[1].

Sic Sturla [in melo Hakoniano[2]:

Constat, arbores
frugiferas bis
eadem æstate
fructum tulisse,
volucresque agrestes
anno novo
egelido bis
ova peperisse[3]:

quum imperator
gloriæ cupidus
regium nomen
accepisset,

---

[1]) Constructio: *mærir menn glöddust miklu ári: viðr ok fuglar báru þá tvennan ávöxt á einu sumri.* [*Grein vísa a*) *sýndist veglig.*

a) *vísis rein*, H, terra regis i. e. Norvegia, quam hoc anno cum regio nomine administrandam suscepit Hakon, *sýndist veglig*, eximia (proventu frugum) apparuit; *rein* enim, nutante G. Magnæo Eiglæ p. 763 nut. *ō*, est tenue spatiolum in longum porrectum, alias in genere pro loco, area, campo. Ceterum *grein vísa* melior lectio censenda; *grein*, propr. ramus arboris, h. l. de prole, ut arborum species sæpius, v. c. *ættar askr*, *kynviðr*, fraxinus familiæ, arbor generis, de stirpe, prole, filio, *Sonartorrek*, 20; itaque *grein vísa*, regius filius, rex, cujus futurum splendorem et gloriam hujus anni fertilitate portendi poeta ait. Nam quod ad sensum et nexum attinet, hæc semistropha quodammodo parallela est cum hujus capitis stropha quarta.

[2]) *omitt. G.*

[3]) Constructio: *aldinviðr bar tállaust a*) *tvinnan b*) *blóma c*) *einu sumri, ok útifuglar urpu tysvar úkallt öndvert ár d*).

a) sine fraude, i. e. certo, indubie. *b*) *tvennan*, id., *cet.* *c*) id. q. supra in prosa, *ávöxt.* *d*) novo anno i. e. verno tempore.

ejusque fortuna,
auspicatissimæ
gloriæ destinata,
gliscere cœpisset[1].

Unusquisque homo
vidit, elementa,
in atmosphæræ
lato fundo, mari
strepente circumdato,
generosi regis
majestati
velle gratulari[2].

De literis Baglorum regis.

26. Post comitia haud ita multo legati Philippi Baglorum regis ex Vika advenerunt, literas

---

[1]) Constructio: *þá er tírar gjarn allvaldr hafði of tekit við jöfurs nafni, ok hans gipt, [valit a) vegi b) hæstrar tíðar c), knáði d) vaxa.*

a) h. l. idem quod *valið*, *valin* a *velja* eligere. *b*) a *vegr*, honor, quod alias nunquam *i* in dativo, quod sciam, adsumit; a signo [: *vegilát*, *Fr.* 1, quod forte verissima lectio, si accipiatur pro *veglát*, inserto *i*, sicut variant *størildtr* et *stórldtr*, hoc ordine: *ok hans vegilát gipt knáði vaxa hæstrar tíðar* i. e. ejusque fortuna, honori adspirans, optimo omine gliscere cœpisset. *c*) conjeci; *tírar*, omnes. sed *tír* a veteribus in gen. fem. usurpari, nullum exemplum reperi, contra ea *hæstrar tíðar*, optimo omine, non uno loco occurrit, v. c. Ed. Sn. (ed. Raskii, p. 166). *d*) *næði*, *Fr.* 1, eodem sensu; Fr. 1 in ultima hujus strophæ voce desinit.

[2]) Constructio: *hverr maðr sá, at höfuðskepnur á víðum vindkers a) botni, kringdum b) gjálfri, vildu fagna c) tign göfuglâts d) fylkis.*

a) *vinkers* (i. e. *vinnkers*), id., *cet.*; de hac appellatione vide Scr. hist. Isl. Vol. 5. p. 18. *b*) conjeci; *kringdu*, A. *c*) sic cett.; *falla*, procumbere (adorare, venerari), A. *d*) sic *B*, *H*; *göfuglast*, F; *ok göfugla*, A.

Skulio dynastæ afferentes, in hanc sententiam scriptas: petere Philippum, ut Skulius dynasta ac Birkibeini dimidiam Norvegiæ partem sibi concederent, alias se adversariam factionem contra eos excitaturum. Verum in his literis[1] nulla regis mentio fit. Legatis, qui literas attulerant, dynasta, consultis aulicorum principibus, hoc responsi dedit, ut[2] Philippus [eam regni partem[3], quam antea tenuisset, [instantes duodecim menses[4] haberet, ipsi æstate proxime insequenti convenirent, tumque conventus omnium episcoporum prudentissimorumque[5] regni virorum haberetur. Legati his cum literis orientem versus reversi sunt.

Obitus Philippi Baglorum regis.

27. Sigurdus regis cognatus, qui Vikæ custodiendæ præfectus a Birkibeinis erat, hac æstate Hierosolymam profectus est; [his Birkibeinorum centurionibus in Vika remanentibus, Lodine Pauli filio, Halvardo Bratto, Bardo Brimsteine[6], Karlo Svango, qui magno in periculo constituti erant, quod Bagli eis quotidie[7] ultima quævis minabantur[8]. Sed antequam legati, literas dynastes ferentes, orientem versus pervenissent, rex Baglorum Philippus Tunsbergi morbum nactus est, in Laufeyasque deportatus, cum per breve tempus æger jacuisset, mortuus est. Cujus mortem quamvis Bagli[9] celarent, Lodin Pauli filius de ea certior factus, celocem viris instructam, præfecto Gunnare Banamanno, septemtrionem versus misit. Is, non amplius tribus noctibus in itinere

[1]) sic *G*; hac epistola, *A*; plures vero literas et mandata orientem versus missa fuisse, tradunt, *add. B, F.* [2]) dominus, *add. F.* [3]) Vikam, *H.* [4]) totam insequentem hiemem, *H.* [5]) optimorum, *G.* [6]) Bristeine, *F.* [7]) mortem et, *add. B, F.* [8]) *ab signo* [*omitt. G.* [9]) quam studiosissime, *add. F, H.*

consumtis, Bergas venit, litteras ad regem et dynastam ferens, nunciantes mortem Philippi: Birkibeinos, qui in Vika versarentur, petere, ut rex ac dynasta eo meridiem versus properarent: Baglos enim omnibus locis quærere novum regem, et homines quoque in Daniam misisse: se quoque cognovisse, esse ibi virum, cui Sigurdo nomen, Erlingi Steinveggi filium: quam ob rem si huc orientem versus celeriter veneritis, dissolvere factionem Baglianam poteritis[1].

De itineribus regis et dynastæ.

28. Rex ac dynasta, literis cognitis, statim iter maxima celeritate compararunt, et naves amplius quadraginta, quarum pleræque grandes erant, habuerunt. Rex ac dynasta eadem nave vehebantur, Ognarbrando, viginti quinque interscalmiorum. Post festum assumtionis Mariæ[2] orientem versus profecti sunt, commodis ventis usi. Cum classis regia Vikam intraret, [3]Bagli ab orientali sinus parte versabantur, quorum præfecti erant, [4]Andreas, frater Philippi regis, Rognvaldus Halkelis filius regis Magni ex sorore nepos, Arnbjorn Jonis filius; multique alii illustres viri inter Baglos erant. Episcopus Nicolaus cursum boream versus in Svinasundum[5] usque cum aliquot centurionibus direxerat. Cum vero rex Hakon et Skulius dynasta Vikam velis intrarent, episcopus Nicolaus nave remis impulsa obviam eis venit. Qui cum in sinu interiori ad Rossanesum convenissent, induciæ inter Birkibeinos et Baglos pactæ sunt. Quo facto Bagli, sinu ab oriente trajecto, advenerunt, dominus Andreas et Rognvaldus[6], compluresque

[1]) alioquin, si serius advenceritis, majores difficultates occurrent, *add. B, F.* [2]) die 15. Augusti. [3]) universi, *add. G, B, F.* [4]) dominus, *add. H.* [5]) Luasundum, *F*; Ivasundum, *B*; *omitt. G.* [6]) Arnbjorn, *add. F.*

alii, qui appulsis ad Gunnarsbæum navibus, in oppidum successerunt, ubi in æde Mariæ, quæ Tunsbergi est, congressi sunt. Hic rex Hakon et dynasta multis de rebus inter se collocuti sunt. [Bagli quoque polliciti sunt, ministeriis dynastæ se addicturos, si honores, quos antea habuissent, retinerent; quasque tenuerant regni partes etiam petierunt, dicentes se Birkibeinis ob veteres inimicitias haud satis credere. Cujus negotii is finis fuit, ut Baglis dimidium omnium provinciarum, quas Philippus antea tenuerat, in proximam hiemem decerneretur[1]; utrique legatos septemtrionem versus ad episcopum mitterent, qui æstate proxime insequenti [gratiam inter eos conciliaret[2]. Missi a Birkibeinis Gregorius Jonis et Dagfinnus colonus, a Baglis Endridius Bekil et Grundius quæstor. Rex Hakon et Skulius dynasta provincias, quæ eis[3] obvenerant, præfectis ornarunt. Dein comitia Haugensia indicta, ubi [Hakon rex renunciatus est[4]. Post hæc rex ac dynasta, plurima copiarum parte in partes boreales remissa, sinu Foldensi trajecto comitia Borgensia habuerunt; inde in territorium Vættense Stofnos profecti ibi comitia habuere, inde ad comitia Hornborensia, inde orientem versus in ripam Albis. In omnibus his comitiis Hakoni regium nomen datum, omnes sumtus in usus bellicos libenti animo erogati, muneraque insuper totam per Vikam missa. Hoc autumno diu Kongelæ commorati sunt.

[1]) ab [: rex et dynasta Baglis potestatem fecerunt, si se submisissent, eosdem quos antea honoris titulos obtinendi; Bagli quidem regni quantum antea tenuerant postularunt, sed is exitus fuit, ut dimidium ejus, quod Philippus tenuerat, haberent, *F*, *G*. [2]) hæc confirmaret et pacem inter eos faceret, *F*. [3]) in Vika, *add. G*. [4]) Hakoni nomen regium datum est, *B*, *F*.

De nuptiis dominæ Kristinæ.

29. Eadem æstate, qua in Vika commorabantur, domina Kristina, quam Hakon Galinus in matrimonio habuerat, in Gothia nuptum collocata est; hanc Askel prætor duxit, filius Magni Minniskjaldi, nepos ex fratre dynastæ Birgeris[1]; apud eum educabatur juvenis princeps Knutus, filius Hakonis dynastæ et dominæ Kristinæ. Eo autumno, quo rex Hakon et dynasta se Kongelæ continebant, literas in Gothiam ad prætorem miserunt, ut juvenem principem Knutum ad se mitteret, eumque liberaliter habituros polliciti sunt; in hoc conventus condictus est, in quo[2] adfuit dynasta, non prætor, ut qui Birkibeinis haud satis crederet. His confectis rebus rex Hakon et dynasta Tunsbergum, indeque in boreales regni partes profecti sunt.

De Roare regis cognato.

30. Hac æstate, qua rex et dynasta in Vika versabantur, Roar regis cognatus in terram Hierosolymitanam profectus est, magnam et pulcram navem ducens. Vir, nomine Erlendus Thorbergi filius, una profectus est, aliam ducens navem, quam oppidani suo sumtu faciendam curaverant. Navis, quæ Roaris fuit, Acram pervenit, navis oppidanorum Garmaram[3] usque; in qua peregrinatione utrique negotiis ex voto defuncti sunt.

De præfectis.

31. Rex Hakon et Skulius dynasta, antequam Tunsbergo proficiscerentur, omnes per Vikam præfectos ad se acciverunt; hi diligenter admoniti, caverent, ne quid turbarum Bagli concirent[4]. Dein rex ac dynasta septemtrionem versus navigarunt, et septem noctibus ante festum

---

[1]) Brosæ, *add. B, F.* [2]) præstituta die, *add. F.* [3]) Damarram, *H;* Darmatam, *G, F, B; forte* Damiatam. [4]) sibique ipsi bene caverent, ne quibus dolis circumvenirentur, *add. B, F.*

jolense Bergas pervenerunt, ibique hiemem transegerunt. Festo jolensi duos præfectos crearunt, Jonem Stalum et Ivarem Nevum, [plerisque tum quidem vero simile existimantibus, bene inter regem dynastamque conventurum[1].

Cædes Rognvaldi in provincia Foldensi.

32. Bagli provincias, quas præcedenti autumno in Uplandis et Vika nacti fuerant, inter se diviserunt. Rognvaldo obvenit provincia Foldensis et Osloensis*), qui antea provinciam in Raumariko obtinuerat. Clamarant Raumi, eum in provincia administranda acerbum (exactorem) fuisse; et sane multis rebus opus fuit, qui magnam manum circa se haberet. Quo cognito Foldenses male fremere, ac dicere, haud sibi lenem futurum, qui in illos severus fuisset. Rognvaldus Haugsvikam profectus, Foldensibus comitia, more præfectorum, indixit. Tesseram comitialem, per tractum provinciæ transeuntem, coloni in sagittam bellicam verterunt, et [unumquemque hominem[2], armis ferendis parem contraxerunt, plenaque instructi armatura conventum frequentarunt. Rognvaldus paucis comitatus in conventum venit[3]; simul vero ut loqui aliquid voluit, coloni reclamarunt, eumque tacere jusserunt; alii gladios destrinxerunt, et impetum in eum fecerunt. Effugere conantem insecuti coloni occiderunt, aliquot vulnerarunt; sui vero omnes naves petierunt et discesserunt. Foldenses domum reversi sunt; funus Rognvaldi[4] Osloam deportatum[5].

[1]) tumque bene inter r. d. convenit, *H.* [2]) ingentem multitudinem, *G.* [3]) colonosque comitia constituere jussit, *add. B, F.* [4]) ab colonis, *add. F.* [5]) ibique humatum, *add. F.*

*) tractus Osloam circumjacentes, *B, H* (rectius, vide cap. 35, initium).

Origo Slittungorum.

33. Æstate, qua rex Hakon et dynasta in Vika se continebant, sacerdos aliquis, nomine Benedictus, vulgo Benius[1] dictus, apud Rognvaldum versabatur: is in vulgus edidit, se filium esse regis Magni Erlingidæ. Benius Markis orientalibus oriundus erat, ludicra exercere amabat, animoque erat hilari et ad jocandum promto, quem Rognvaldus domo receptum magis pro scurra quam cognato habuit. Dejecto autem Rognvaldo Benius orientem versus in Markas se contulit, ibi manum comparavit, mutato inde nomine patrisque adsumto Magnum se vocari professus est. Mox magna ad eum hominum multitudo confluxit; initio maxime adjutus est a viro, nomine Haraldo[2], Bakkastados incolente, cujus sacerdos mercenarius Benius fuerat. Manus, quæ Benium sequebatur, valde pauper erat, male vestiti et armati; hi Slittungi appellati, per silvestria et deserta vagabantur, raro pagos intrabant, rapinis et clandestinis furtis infesti. Insequenti hieme ad eum transiere Thorbjorn ab Limalandis[3] et Helgius, frater ejus, generis amplitudine et divitiis[4] insignes; quo facto multi coloni colonorumque filii huic factioni se adjunxerunt, qui omnes eum verum filium regis Magni esse, ut ipse præ se ferebat, opinati sunt. Dein multa loca tractuum habitatorum[5] obierunt, rapinis, furtis multisque aliis turbamentis grassantes. Hac hieme Bagli in Vika se continebant, oppidumque custodiebant, præfectis domino Andrea et Arnbjorne Jonis[6].

[1]) Skinnknivus, *add. G.* [2]) *p.* (pastore), *add. F.* [3]) Lumalandis, *G, it. A cap. sequ.*; Linnalandis, *B.* [4]) auctoritate, *H*; corporisque et animi dotibus, *add. B, F.* [5]) *sic F*; incultorum, *A.* [6]) et adhuc pluribus, *add. F.*

Pugna inter Baglos et Slittungos ad Gunnarsbæum.

34. Tempore jejunii Bagli, per speculatores cognito, Slittungos naves conscendisse oppidumque adoriri statuisse, defensionem parabant. Et paulo post Slittungi, sinu Foldensi classe trajecto, Tunsbergum contenderunt, et navibus ad Skeljagrunnum[1] appulsis, escensione facta supra Gunnarsbæum concesserunt. Quorum adventu cognito Bagli omnes milites in Haugos classico evocarunt, ut ibi in armis adessent; tenebris vero oborientibus multi militum supra ædem Thomæ concesserunt ibique per noctem quieverunt. Benius legatos ad Asbjornem Jonis filium misit, dicens se ab eo non exspectare fore, ut contra fratrem Erlingi Steinveggi, cujus antea secutus castra fuerit, dimicet. Quibus Arnbjorn: recte dicit Benius, me non decere contra fratrem Erlingi dimicare; neque hoc faciam, si certis argumentis cognoro, eum hujus fratrem esse; verum opinor Benium alii genti originem debere. Ita Slittungis nunciate, si huc ad oppidum moverint, nos Baglos occursuros præliumque commissuros. His acceptis responsis legati ad Benium redierunt. Aliquanto ante lucem animadvertere Bagli, Slittungos ad Gunnarsbæum esse, et ad quingentos homines habere. Tum Bagli, tuba signo dato, in Haugos successerunt, [2]trecentos[3] milites habentes. Congressi sunt [in agro[4] juxta Gunnarsbæum; hic acris pugna fuit, utrisque cadentibus, multo tamen pluribus Slittungorum. Benius equo insidebat, neque prælio interfuit. Arnbjorn vulnus accepit, collum compunctus intra aurem. Dominus Andreas, genam vulneratus, simul ut plagam accepit, clypeo ab-

[1]) Skeljasteinsgrunnum, *B, F.* [2]) ferme, *add. B, F.* [3]) quadringentos, *B.* [4]) *omitt. F.*

jecto, (erat enim maximarum virium), correptos sinistra clypeos e manibus adversariorum extorsit, dextra vero unumquemque gladio, Skardio appellato, optimo[1] telo, ad necem percussit. Arnbjorne tanta vi in acie progresso, ipsum signum Slittungorum invaserunt. Hic cecidit Thorbjorn ab Lumalandis[2] et Helgius frater ejus, et amplius[3] quadraginta[4] homines; reliqui omnes Slittungorum, qui superstites erant, aufugerunt. Benius parva cum gloria effugit. Funus Thorbjornis et Helgii fratris ejus ad ædem deportatum; cetera Slittungorum corpora, quo loco occubuerant, [ingesta humo saxisque cooperta[5]. Hac accepta clade Benius orientem versus in silvestria se recepit, iterumque manum[6] contrahere cœpit. Dominus Andreas et Arnbjorn literis ad regem Hakonem et Skulium dynastam missis rogarunt, ut in Vikam properarent, [Benium magnam manum comparare[7] significantes.

Cædes magistri Stevneris.

35. Vere insequenti post festum paschatis Slittungi ex mediterraneis Osloam devenerunt. Eo tempore Ivar Vikensis[8] præfecturam Osloensem nomine regis Hakonis et dynastæ tenuit. Ivar et Birkibeini et oppidani et episcopi asseclæ Slittungis obviam iverunt, et ad Frysjam[9] concurrerunt, telaque in vicem trans amnem miserunt. Hic ex episcopi asseclis magister Stevner cecidit, pauci alii, multi vulnerati, oppidani[10] fugerunt; Slittungi in oppidum incurrerunt, multas res rapuerunt, navemque, quæ episcopi erat, et aliquot alias ceperunt; quo facto sinu enavigato in meridianas Vikæ partes concesserunt,

[1]) acutissimo, *F.* [2]) vide præcedentis cap. var. lect. 3. [3]) ad, *H.* [4]) quinquaginta, *G.* [5]) sepulta, *F.* [6]) multitudinem scelestorum, *G.* [7]) copias quotidie ad Benium confluere, *B, F.* [8]) *om.* *G.* [9]) cataractam, *H.* [10]) in oppidum, *add.* *B, F.*

prædasque qua licuit egerunt. Cum meridiem versus profecti [ripas Gothalbenses[1] prætervecti essent, orientale fluminis ostium intrarunt. Askel prætor, qui tum Ljodhusis agebat, iter Slittungorum speculatus, cum multis locis prædas agere cognovisset, celocibus[2] milite completis ex flumine remigavit, illos a populatione facienda prohibiturus, persvasum habens, copias ex pagis, si opus esset, non defuturas. Erat cum eo juvenis princeps Knutus; naves ad terram in exteriori flumine appulerant; nunciatum est, [3]naves longas [adverso flumine adremigare[4], quo audito prætor juvenem principem Knutum in terram exposuit, atque ille in silvam excurrit. Mox allabentibus Slittungorum navibus[5], prætor cum suis in terram aufugerunt, Slittungi navem ejus et[6] tabernaculum et vestes lithurgicas, multasque alias res pretiosas diripuerunt, dein[7] amne enavigato meridiem versus in Hallandiam contenderunt, et turbulentius grassati sunt.

Naves Slittungorum a Birkibeinis captæ.

36. Birkibeini, qui in Vika erant, cognitis quæ agerent Slittungi, raptim conscensis navibus meridiem versus profecti sunt, eos investigaturi. In his præfecti fuere; Guttormus Gunnii[8], Lodin Pauli, Lodin Gunnii[9], Halvardus Brattius, Ivar Utvika[10], Karlus Svangius; ex Baglis, Andreas et Arnbjorn. Qui cum in meridianas Vikæ partes pervenissent, cognoscentes, Slittungos in Hallandiam concessisse, eos insecuti deprehen-

---

[1]) ostia Albis Gothorum, *B, F* [2]) aliquot, *add. G;* una celoce, *F.* [3]) aliquas, *add. B, F.* [4]) secundo fl. eremigare, *B, F.* [5]) celocibus, *F, G.* [6]) eximium, *add. F.* [7]) milites prætoris cum puerum Knutum diu quæsissent, tandem invenerunt, Slittungi vero, *add. F;* Askeliani juvenem principem Knutum abduxerunt, *G.* [8]) Gunnaris, *F.* [9]) Gunnaris, *F;* Vikensis, *add. G, H.* [10]) ex Vika, *F.*

derunt in sinu Bardafjordo dicto. Slittungi naves hostium non prius animadverterunt, quam portum præterlaberentur, quibus visis in terram excurrerunt et aufugerunt. Birkibeini[1] naves eorum cum omnibus rebus, quæ intra naves erant, ceperunt, nullos autem homines nacti sunt.

Obitus domini Andreæ.

37. Non ita multo post dominus Andreas in morbum incidit, vulnere, quod ad Gunnarsbæum acceperat, recrudescente, iterumque tumescente et turgescente. Ut vero [sensit malum ingravescere[2], literas conscribendas curavit, hasque ad Skulium dynastam misit, quibus amica verba, quæ antea locuti fuerant, continebantur; gladium Skardium et clypeum auro inductum dynastæ muneri misit. Post paulo dominus Andreas mortuus est; cujus funus Osloam deportatum et in æde[3] Halvardi humatum est. Ejus mors multis[4] dolorem attulit.

De Sæmundo Jonis filio, qui Norvegis hostilia fecit.

38. Qua hieme Slittungi in Vika se continebant, eam rex Hakon Bergis transegit; ea prima fuit hiems imperii ejus. Præcedenti æstate acciderat in Islandia, ut Sæmundus Jonis filius Oddensis Norvegis, qui Eyris versabantur, hostilia faceret; nam[5] quingentis viris stipatus eos adortus est, eisque trecenties sexagies centenas vicenas[6] per vim extorsit, causam interserens, quod Paulus filius suus præcedenti hieme ante Stadum[7] perierat, ubi Aslakus Hauki filius et circiter sex aut septem naves interierunt; Sæ-

[1]) et Bagli, *add. B, F.* [2]) viribus admodum desertus erat, *H.* [3]) cœmeterio ædis, *B, F, G.* [4]) Vikensium, *add. G.* [5]) circiter, *add. A, F.* [6]) i. e. tantum mercium, quantum pretium quadragies ter mille ducentarum ulnarum panni promercalis æquabat. [7]) in boreali Norvegiæ parte, *add. G.*

mundus autem rescivisse sibi visus est, Bergenses ei molestias attulisse, eoque illum, non voluntate sua, septemtrionem versus profectum esse. Oddenses eo tempore Norvegos[1] multis aliis hostilitatibus affecerunt.

Colloquium regis et archiepiscopi.

39. Rex Hakon ac Skulius dynasta vere proxime insequenti septemtrionem versus in Thrandheimum profecti sunt, et [dimidio mense ante festum paschatis[2] in oppidum pervenerunt. Horum adventus pulsatis campanis non celebratus est, neque archiepiscopus regem ulla solenni pompa cohonestari passus est, neque obviam facto ullum officium præstitit; dynasta vero et archiepiscopus sæpius[3] convenerunt, et summa benevolentia alter alterum prosecutus est, cumque dynasta[4] in æde Christi esset, regius ei honor præbitus est. Dominica palmarum uterque, rex ac dynasta, in æde Christi erant solioque insidebant, [neque regi[5] ullus delatus honor est. Et cum ad altare deducerentur, ut munera offerrent, archiepiscopus[6] oblationem regis accipere noluit; quare rex oblatione in aram imposita sedem suam repetiit. Birkibeini [et sibi et regi contumeliam factam esse existimabant[7]. Paulo post, cum conventum in ædibus archiepiscopi haberent, rex archiepiscopum[8] interrogavit, cujus se insimularet, quod regium sibi honorem præstare nollet. Archiepiscopus sic dixit: hoc mea solius auctoritate non fit, sed omnium simul epi-

[1]) mercatores, *B.* [2]) dominica palmarum, *F.* [3]) quotidie, *F.* [4]) solus, *add. F.* [5]) tumque neutri eorum, *B, F, H.* [6]) non ad regem conversus est, neque regem neque, *add. B, F, G.* [7]) tum liberius quam antea verbis significarunt, videri sibi, magnam usquequaque contumeliam sibi fieri, *B, F, H.* [8]) postero mane, *add. H.*

scoporum, [aliorumque compluriumi[1]; cujus hanc rationem afferimus, quod circumferri rumorem quendam audivimus dubitantium, regisne[2] filius sis an non. Rex respondit: haud omnibus episcopis, paucisque meorum[3], hoc imputandum fuit; immo profectum est ab iis, qui honori meo detrahere, ipsique in paternam meam hereditatem invadere student. Ubi certis argumentis id comperimus, inquit archiepiscopus, de quo nunc dubitamus, omnem quem possumus honorem tibi deferemus. Interea Skulius dynasta tacuit. Is hujus conventus finis fuit, ut rex Hakon et Skulius dynasta, archiepiscopus, episcopi suffraganei, præfecti, prætores virique lectissimi æstate proxime insequenti Bergas convenirent, ubi hoc negotium, prouti commodissimum visum esset, transigeretur. Dagfinnus colonus omnium consiliorum juxta regem princeps fuit. Archiepiscopus Dagfinno in secretum colloquium accito: novit Deus, inquit, me lubenter regi amicum esse cupere, neque, si res meo arbitrio gesta fuisset, pronuntiatæ res essent, quæ nunc pronuntiatæ sunt; auctor tamen regi sis, ut hoc acceptet, æquoque animo Dei causa ferat, præsagit enim animus fore, ut hæc res illi in maximum honorem, contra eis, qui honori ejus hac re detrahere student, in ignominiam vertat.

Consilia de probatione a rege facienda[4].

40. Rex Hakon et dynasta verno tempore in Thrandheimo commorati sunt, appetente vero æstate a borea iter compararunt, et Bergas, ut constitutum fuerat, profecti sunt. Cum in oppidum venissent, multa inter eos dissidia exorta sunt, et Birkibeini admodum in partes distracti

[1]) et quorundam, qui intra aulam sunt, *B, H.* [2]) Hakonis, *add. F.* [3]) aulicorum, *B, F, G, H.* [4]) dissidia inter regem et dynastam, *B.*

sunt[1]; tunc vero evenit, quod antea, ut qui plus opibus, idem plus factione valeret. Regii[2] magna diligentia regem custodiverunt[3], eique quotidie[4] duodecim viros armatos[5], præter solitos corporis custodes, apposuerunt. [Atque procedente[6] æstate [archiepiscopus a borealibus partibus, ceterique omnes episcopi ac præfecti[7], omnesque alii, qui eo convenire jussi erant, Bergas venerunt. Episcopi crebra cum dynasta colloquia, cum rege raro habuerunt.

De gestando ferro disputatum.

41. Die quodam, rege cum consiliariis[8] suis colloquente, advenerunt legati ab archiepiscopo et dynasta missi, Havardus episcopus Bergensis et magister Bjarnius Thrandheimensis[9], qui sic verba fecerunt: archiepiscopus et Skulius dynasta abs te, domine, petunt, ut ferri gestandi tentamen, quod tuo nomine oblatum est eo vere, quo rex designatus fuisti, nunc peragatur, ut refellantur horum dicta, qui hactenus de paterno tuo genere addubitant. Quod si facere vis, sique Deus hac in causa bonum de te judicium fecerit, te ut suum verum dominum venerari, omnique [regio honore[10] afficere volunt. Quibus rex ita respondit: dubito, an vester honos tanti sit, ut ejus ergo ad aliquas[11] iniquas

---

[1]) ubi vero præfecti advenerunt, horum plurimi alterutrius partibus, regis aut dynastæ, se adjunxerunt, *add. F, H.* [2]) Birkibeini, *B, F.* [3]) adeo ut Andreas Skjaldarband et Vegardus Veradalus cum cohortibus suis ad regias ædes se conferrent, ibi ut noctu dormirent, *add. B, F.* [4]) noctu interdiuque, *H* [5]) plena armatura instructos, *G, H, F.* [6]) hac, *H.* [7]) omnes episcopi, Guttormus archiepiscopus, episcopus Nicolaus, episcopus Henricus Stavangriensis, episcopus Ivar Hamsrensis, episcopus Bjarnius Orcadensis, multique alii clerici ordinis, prætores, et lectissimi regni cives, colonique amplissimi, *ceteri.* [8]) et præfectis, *add. F.* [9]) *omitt. G.* [10]) reverentia, *H.* [11]) tam, *F, G.*

conditiones descendam. Ceterum præfectorum et consiliariorum hac de causa sententiæ variabant[1]. Postero mane omnes[2] congressi sunt, rex, dynasta, archiepiscopus, [ceterique principes[3], atque de hoc negotio disputarunt. Hic Dagfinnus colonus locutus est: vix reperientur, credo, exempla, filios colonorum et vilissimorum rusticorum tam iniquas conditiones regi singulari potentia pollenti sine armis proposuisse, eumve ad gestandum ferrum coegisse, postquam totius imperii rex factus sit, omnesque cives in ejus verba jurarint; atque haud scio an nobis non iniquius videatur, omisso candentis ferri gestandi tentamine, frigidum gestare ferrum adversum eos, qui ejus inimici sunt, Deoque permittere, ut [rem inter eum et inimicos ejus decernat, quemadmodum inter Sverrerem ejusque adversarios decrevit[4].

Oratio regis Hakonis.

42. Dein rex hunc in modum verba fecit: profecto verum est, Dagfinne colone, hanc nimis iniquam conditionem multis regibus visum iri, post acceptum[5] regnum se ferri gestandi tentamini subjicere; quando vero hoc idem [ex mea parte obtuli[6], tota res suppressa est, cujus rei iidem ipsi auctores fuere, atque rei præsentis, qui tunc eadem voluntate fuerunt, atque nunc sunt. Notum quoque fuit omnibus hominibus, qui tum apud regem Ingium versabantur, matrem meam, tam quo tempore primum in Thrandheimum ad eum venimus, quam quando Hakonem convenit, pollicitam esse hæc eadem sui pur-

[1]) eo tandem exitu, ut postero mane convenirent, *add. B, F.* [2]) in sacrario, *add. B, H, G.* [3]) et episcopi suffraganei, *F*; et omnes episcopi, *G.* [4]) ei, quod ipsi placuerit, distribuat, *H.* [5]) confirmatum, *B, F, G, H.* [6]) ego et mater mea meo nomine obtulimus, non ego pleno ritu rex creatus sum, sed, *add. B, F.*

gandæ tentamina edituram, si natalibus meis diffiderent; sed rem propositam ne audire quidem voluerunt[1]. Quin Hakon dynasta assidue coram multis testatus est, se ac fratrem meam paternam hereditatem insidere. Verum enimvero non ita has conditiones accipiam, ut ad me deterrendum propositæ sint: nam libenter id subditorum meorum honori dabo, ut hoc ferri gestandi tentamen peragatur. Altera res, quæ me ad hoc impellat, est, quod multi credere facile poterunt, hoc negotium ideo recusari, quod ipse de paterno meo genere nonnihil dubitem. Tertia, quæ huc[2] facit, ratio est, quod judice, ad quem hæc causa rejecta est, confido, qui neminem in jure obtinendo frustratus est, qui nullius timore prohibetur, quo minus veram sententiam dicat; cujus justæ sententiæ me lubens submitto[3].

Mater regis se ad gestandum ferrum jejunio præparat.

43. Hoc finito conventu mater regis ad ædem sacram se contulit, seque ad gestandum ferrum jejunio præparavit. Hi una cum ea jejunarunt: Sigurdus regis cognatus, Dagfinnus colonus, Andreas Skjaldarband, aliique plures[4]; duodecim viris negotium datum, ut ædem[5] extra custodirent, ne qui disturbatores intervenirent. His diebus Skulius dynasta se multo comissimum præbuit erga regem; cujus rei quæ causa esset, vulgo ignoratum est.

De fraude Sigaris[6].

44. Erat cum dynasta vir, nomine Sigar,

[1]) et Hakon dynasta sibi hæc omnia nota esse professus est, *add. F, G.* [2]) plurimum, *add. F.* [3]) Hanc orationem omnes præsentes assensu suo probarunt, *add. B, F, G, H.* [4]) tam clerici, quam seculares, *add. B, F.* [5]) noctu interdiuque, *add. cet.* [6]) *sic F;* de Sigurdo et dolis ejus, *H.*

prudens[1] et artibus liberalibus bene instructus[2], qui se regi amicissimum ferebat. Is ad Dagfinnum accessit[3] die Mercurii, antequam ferrum gestaretur, eique locutus est: scio te de causa vestra sollicitum esse; cum vero regi bene cupiam, artem adhibebo, quæ nihil nocere poterit: herbam habeo, qua si manum matris regiæ inunxero, nulla res ei fraudi erit, et hoc ferrum secura gestare, probationeque feliciter defungi poterit. Dagfinnus colonus respondit: Deus tibi pro vera tua benevolentia gratiam referat: tu[4] vir intelligens es: ubi, quæso, herba crescit, quæ tantam habeat potestatem? Sigar: hæc herba in tectis ædium tuarum Bergis[5], et cujuscunque alius crescit. Cui Dagfinnus: nullum veneficium, nullam medicinam huic rei adhibebimus, nisi eam solam, quam Jesus Christus sua clementia[6] adhibere velit; tu vero aufer istas nugas, quas si sæpius locutus eris, haud impune abibis. Dagfinnus colonus matrem regis [monuit, ne Sigari, si veniret, fidem haberet[7], sibi enim persvasum esse, eum fraude et fallaciis uti.

Inga regis mater ferrum gestat[8].

45. Eodem[9] die post primam[10] regis mater ferrum[11] gestavit, et optimo quidem cum successu[12]. Aderat rex et archiepiscopus[13] aliique

---

1) bonus artifex et coosilii plenos, *add. F*; multarum rerum peritos et ad coosilia acutus, *B*. 2) Brabantia orioodus, *add F* (*B, H*). 3) primo mane, eumque ad colloquium secretum sevocat, *add. B, G, H.* 4) haud dubie prudens, *add. G* 5) io hoc oppido, *H*. 6) et iotercessiooe Dei matris Mariæ, sancti regis Olavi et beatæ Sunoivæ, omoiumque Dei sanctorum, *add. cet.* 7) adiit, eique clam ait: si Sigar (Signrdus, *B*) huc veniet, tibiqoe veoeficium aliquod (aut alias fraudes, *add. F*) offeret, huoc ut pessimum hostem caveto, *add. B, F, H.* 8) *sic G*; probatio domioæ Ingæ, matris Hakonis regis, *B*. 9) aliquo, *B*. 10) sacra matutioa hora 6. aotem celebranda. 11) rite, *add, H*. 12) quæ res ab ea felicissime absoluta est, *F, G.* 13) et dynasta, *add. F.*

regni principes; aderat et dynasta Orcadensis. Eo vero die, quo manus detegenda erat, regi nunciatum est, aliquos ex militibus dynastæ eo die clam arma ferre constituisse; quam ob causam rex Joni Stalo, Guttormo Gunnii filio, Vegardo Veradalo, Bardo Brimsteini[1], item speculatoribus, præcepit, ut cohortes suas armari juberent, et[2] ad ædem Christi, dum manus detegeretur, adessent. Eodem die rex et archiepiscopus et dynasta[3] ceterique principes omnes ad ædem Christi se contulerunt. Cumque manus regiæ matris detegeretur, insigne miraculum Deus clementissime fecit, manus enim illæsa fuit; quin omnes dixerunt, manum ejus nunc multo esse pulcriorem, quam ante sublatum ferrum; quod tam amici quam inimici comprobabant.

Compositio inter regem et Skulium dynastam[4].

46. Post hæc conventus de compositione inter regem et dynastam facienda habiti. Die dominica[5] conventus habitus est in cœmeterio ædis Christi, præsentibus omnibus principibus; hic[6] archiepiscopus peractum a matre regia probationis tentamen promulgavit, cuique, qui de eo dubitaret, excommunicationem minatus; idem renovatam inter regem dynastamque compositionem palam fecit. His actis rex ac dynasta iter compararunt magno cum numero militum, nuper enim ab oriente literæ a Birkibeinis et Baglis allatæ erant, nunciantes, Benio ac Slittungis vires admodum crescere, magnamque pessimorum hominum multitudinem ab iis contractam esse, hosque ingentes turbas excitare. Rex ac dynasta, ferentibus ventis orientem versus delati, cum Tunsbergum venissent, audiunt, Slittungos Osloæ

[1]) Bristeine, *F*; *omitt. G.* [2]) justo tempore, *add. B, F. G.* [3]) omnes episcopi, *F.* [4]) *sic B*; de Jofreyo præposito, *G.* [5]) proxime insequenti, *add. F.* [6]) dynasta et, *add. B, H.*

esse, nullamque famam de adventu Birkibeinorum præcucurrisse. Itaque, cum ventus secundus adspiraret, intrato sinu Osloam navigare statuerunt, signumque solvendi classico dederunt, parte navium jam solvente. Sed Jofreyus, præpositus Tunsbergensis, regem dynastamque adiens*), nuncium ad se ab episcopo missum, Slittungos in oppidum concedere statuisse, significavit. Quidam Birkibeinorum hoc fraudis ergo fictum ab episcopo esse, ut ab itinere revocarentur, dictitabant. Præposito autem oppidanisque hortantibus, ne rex tam cito ex oppido abscederent, eo die ibi commorati sunt; [emissique equites, qui, cum obvios habuissent aliquos recto itinere Osloa profectos, hoc commentum machinationemque episcopi esse renunciaverunt[1].

Slittungi ab rege fugati.

47. Ivar Utvika et Asbjorn Kopus, qui præfecturam Osloensem jussu regis tenuerunt, ad Hofudeyam stabant; hi, cursoria celoce iter regis dynastæque speculatum missa, regi nunciarunt, Slittungos Osloæ esse, nullumque de itinere regis ac dynastæ nuncium accepisse. Quo cognito rex ac dynasta iter quam maxime potuerunt accelerarunt, secundo vento adspirante. Delatis ad Hofudeyam occurrit Ivar[2], nuncians, Slittungos Osloæ esse quieteque agere; hinc vela in regia navi substricta, dimissisque in ceteras naves mandatis præceptum, ut universæ æquatis frontibus navigarent, hocque ordine oppidum adveherentur. Dein contentissime navigarunt; naves vero, quæ ad motum tardiores

[1]) *ab* [*omitt. G.* [2]) cum suis, *add. F.*

*) puerum adduxit, qui se lassitudine exanimatum simulavit, dicens, se Tunsbergum ab Nicolao episcopo missum ad oppidanos, ut eos certiores faceret, Slittungos etc.: Puer se ab eis digressum ostendit, cum pars eorum Osloa proficisceretur, *add. B, F.*

erant, remis velisque ferebantur. Excubitores Slittungorum, in turri ædis Halvardi agentes, naves Nesoddum prænavigantes animadverterunt; quo cognito Benius[1] ex oppido fugere maturavit. Ut vero Birkibeini introrsum navigantes Hofudeyam præterlati essent, Slittungos[2] conspicati sunt; tum naves summa celeritate ad pontes appulsæ, tam a boreali quam meridiana parte, et in oppidum excursio facta, oppido jam ab omnibus Slittungis deserto. Quos nonnullæ Birkibeinorum cohortes boream versus ad Frysjam usque insecutæ, nullos homines ea vice ceperunt.

Bagli ministeriis regis se addixerunt.

48. Complures Baglorum in arce episcopi se continebant, ibique se custodiebant, neque [Slittungorum neque Birkibeinorum partibus se adjungentes[3]. Simul vero ut rex Hakon [a latere arcis[4] venisset, descenderunt, atque ei se operam navaturos polliciti sunt. Nicolaus episcopus in oppido erat[5], et comem se præbuit erga Birkibeinos, posteroque mane obviam regi solenni pompa procedebat. Post hæc literæ ad Asbjornem Jonis omnesque Baglos missæ, quare illi Osloam venerunt, [ministeriis regis Hakonis et dynastæ se addixerunt, nomenque factionis, cui adhæserant, deposuerunt[6]. Hi Baglorum centuriones se dediderunt: Arnbjorn Jonis, Gunnbjorn frater[7] Jonis, Simon Kyra, Eystein Roii, Gudolvus Blakkastadensis, Endridius Bekil, Fin-

---

[1]) Bonius, *h. l et sæpius*, *G.* [2]) partem Slittungorum in mediterranea tendere, *F.* [3]) cum Slittungis faciebant, neque eos impugnabant, *G*; tum enim Birkibeinorum clientes erant, *add. F* [4]) prope turrim, *H.* [5]) scapha ad navem regiam missa, Ingam matrem regis in ædes suas receptam liberaliter habuit, *add. B, F, H.* [6]) seque omnino dediderunt in regis potestatem, *G.* [7]) filius, *H.*

nus Kalvi[1], Eilivus Kember, Thorer Amundi filius.

Persecutio Slittungorum.

49. Jam rex Hakon cognovit, Slittungos in (lacu) Eyavatno esse. Itaque tredecim[2] naves in lacum subducendas curavit, magno ad eam rem comparato hominum numero, hisque præfectis centurionibus, Guttormo, Olavo Moko, Gunnbjorne, Haraldo Stangarfylja[3]. Quorum adventu per speculatores cognito, Slittungi extemplo in Markas aufugerunt. Birkibeini, ut primum ad lacum venerunt, naves suas militibus instruxerunt, pars Osloam ad regem reversi sunt; tum in oppido magnæ compotationes erant, multaque ibi memoranda acciderunt.

De Gunnolvo et Eilivo[4].

50. Regi Hakoni avunculus erat, nomine Gunnolvus; is cum mero inebriatus esset, ingenio parum moderato erat. Is vespera quadam probo viro, domino sacerdoti Eilivo, humanitate morumque elegantia insigni, dynastæ amicissimo ejusque consiliario, obviam factus, destricto gladio hominem feriens dexteram manum tantum non abscidit. Res dynastæ illico nunciata; rex autem ac dynasta eadem nave vehebantur. Dynasta suos extemplo cohortatus arma capere jussit. Interea Guttormus in navem regiam evasit ad aulicos, qui testudine facta eum protexerunt. Naves circumcirca ad pontes regios[5] stabant; auditoque strepitu in navi regia, confestim arma sumserunt. Dynasta Gunnolvum invadere voluit, sed a custodientibus aulicis prohibitus, cum intelligeret se propositum perficere non posse,

---

1) Sigurdus Sæpil (Sæfil, *F*, *B*), Finnus Bergdoris, Gudleikus Skreidungus, Gunnar Asæ, Botulvus Aufuris (Ofusis, *F*), *add.* *B*, *F*. 2) quatuordecim, *ceteri.* 3) et præter hos pluribus aliis, *add.* *F*. 4) Eylivus vulneratus, *F*. 5) episcopi, *B*.

puppim versus ad interscalmium anterius cum suis se convertit. Quo cum viris plena armatura instructis vadentem conspicati aulici, veriti ne regem aggredi cogitaret, universi puppim versus ad regem recurrerunt; quo facto dynasta cum suis per pontes puppi contiguos egressus est. His proximæ stabant naves Asolvi[1] dynastæ[2] cognati, Thordi Dravlii et Thorfinni mali. Qui cum suis stipati in pontes conscendissent ad dynastam, hic interrogavit, „quid capiendum consilii esset, velle se Eilivum ulcisci". Vir, cui nomen Reidulvo, frater Bardi[3], qui regi Ingio, transnatato amne Nida fugienti, opem tulerat, quo tempore strages in Thrandheimo edita est, regi (Hakoni) parum amicus, dynastam allocutus est: plures nostrum, et mox tu ipse, domine, pari fortuna utentur; quare ratio est, ut eos antevertentes, naves eorum cum hominibus in siccum subducamus, regemque cum omnibus, qui eum defendere volent, interficiamus. Cui Asolvus[4]: ita nimia unius præcisæ manus vindicta expetita fuerit [. Multi significarunt, se nefaria ratione regem violare nolle, in quo nulla hujus rei culpa esset[5].

Vulnus Vegardo inflictum.

51. Eo momento Dagfinnus colonus, Guttormus Gunnii[6], Vegardus Veradalus, Andreas Skjaldarband, numerosis cohortibus stipati, in pontes ascenderunt, et statim se ad regiam navem converterunt. Quo conspecto dynasta, in Vegardum conversus, genam ejus gladio pupugit, eamque, Vegardo ictum avertente, proscidit. Quo facto [ad Eilivum[7] se contulit, ibique aliquam-

[1]) Olavi, *F.* [2]) regis, *B, G, F.* [3]) *sic A, F, B; utramque vocem omitt. G, H; confer Hist. Ingii breviorem c.* 11. [4]) Olavus, *F*; dynastæ cognatus, *add. B, G, F.* [5]) si postulas, ut regem nefarie violemus, *G.* [6]) *omitt. G.* [7]) ex pontibus eo, ubi Eilivus jacuit, *B, F.*

diu moratus est. [Ubi vero Arnbjorn Jonis filius ceteriquc tumultum animadverterunt, ad regem se contulerunt, eumque sequi se velle ostenderunt[1]. Tum dynasta perquam iratus in navem ascendit, cui adsurgens rex satisfactionem, et ipsi itemque Eilivo, nomine Gunnolvi, cognati sui, obtulit. Dynasta, ad oblatam conditionem vix responsum reddente, Dagfinnus colonus: si, domine dynasta, inquit, inducias in noctem proximam omnibus hominibus concedere non vis, [vos ambo, regem atque te, in eadem nave versari, non expedit; atque rex nobiscum versabitur[2]. Rex respondit: ego vero navem meam commilitonesve instanti nocte ut deseram, adduci minime possum Aulici se eo loco esse velle, ubi rex, ostenderunt. Dynasta liberaliter respondit, induciasque in mane sequentis diei ratas esse jussit; utrique vero nocte insequenti excubias quam firmissimas disposuerunt.

De Vegardo.

52. Sequenti mane post sacra antemeridiana rex ad Eilivum accedens, satisfactionem nomine Gunnolvi obtulit. Eilivus accepta libenter conditione, inducias spopondit, dum sciretur, quem exitum causa sua haberet. Rex, concione aulicorum classico convocata, hanc rem promulgavit, quæ diversis animis accepta est. Vegardus[3] aulicis exposuit, quam contumeliam insons accepisset, neque tamen, si digna satisfactio of-

---

[1]) His animadversis rebus, Arnbjorn Jonis, Lodin Pauli et maxima militum pars arma ceperunt, clypeos enim propter tumultum proris præfixerant omnes; hi homines ad regem scaphis miserunt, seque universos sequi eum velle significarunt. Dagfinnus colonus et Guttormus cum suis in navem ad regem se contulerunt, cohortesque suas in armis esse jusserunt, *add. B, F, G.* [2]) regem in nave pernoctare nolumus, sed eum nobiscum abducemus, *B, G, H.* [3]) Veradalus surrexit et, *add. F, G.*

ferretur, jus suum persecuturum. Præfecti et aulici, se nullo pacto rem [eo loco esse[1] passuros, ostenderunt. Qua re factum est, ut dynasta rem bonorum virorum arbitrio permitteret. Vegardo pecunia adjudicata, quam[2] dynastæ remisit. Neque tamen eo minus re sua male contentus dynasta Vegardum maximo odio prosecutus est, quemadmodum postea commemorabimus.

De Gauto Jonis filio.

53. Rex Hakon et Skulius dynasta præfectos provinciis Uplandicis præfecerunt; cum vero ea loca hostium incursionibus infesta fore existimarentur, magna cura in deligendis præfectis habita est. Hadalando præfecti Gunnbjorn frater Jonis[3] et Thorgeir [episcopi minister[4], Raumariko Haraldus Stangarfylja et Thoraldius[5] Oguris filius, Heidmarkæ Olavus Mokus et Fridrekus Slavsius, Gudbrandsdalis Endridius Bekil et Bardus Halius. Rex Hakon et Skulius dynasta Tunsbergum concesserunt, homines vero Bergas miserunt, nunciatum, se Tunsbergi hiemare decrevisse. Rex Dagfinno colono negotium dedit, ut sumtus ad convivium jolense constitueret suo nomine, dynasta vero Grundio quæstori idem negotium suo nomine dedit. Ipsi vero in Vikam et orientem versus ad Albim profecti sunt, ut jura regia, tam vetera quam recentia, scrutarentur. Inde boream versus Tunsbergum recesserunt, ibique festum jolense transegerunt. Eodem autumno Gautus Jonis filius, Hierosolymam profecturus, rejectus est; quem rex benignissime habuit, eique dimidium provinciæ Al-

[1]) sine satisfactione abire, *G.* [2]) decretumque, ut eo facto jusjurandum (ad sacrum librum, *add F*) diceret, quod utrumque (et pecuniam et jusjurandum, *F*), *B, G, H, F.* [3]) *omitt. H; per sigla expressum in A;* vide c. 48 not. 7. [4]) episcopus designatus, *B.* [5]) Thorallius, *F.*

bensis dedit; isque proxima hieme apud regem versatus est.

De aulicis Hakonis regis.

54. Hæc altera erat hiems imperii regis Hakonis, qui tum præfectos constituit Guttormum Gunnii et Paulum Vagaskalmam. Hac hieme [oppidum Nidarosense incendio absumtum est[1]. Tum hi fuere consiliarii regis, Martinus regis cognatus, Gunnius Lodinis filius, Guttormus filius ejus[2], Dagfinnus colonus, Bardus Bristein[3], rege tum quindecim[4] annos nato. Hi, arcessitis Arnbjorne Jonis, Gunnbjorne fratre ejus et Paulo Vagaskalma, sic locuti sunt: nobis quidem causa regis magno in discrimine, ut res nunc sunt, versari videtur, cum et ipse et regnum in dynastæ tutela sit, multique sint, qui discordiarum semina inter eos male serant, hi vero, qui constanti erga regem fide sunt, interdum non præsentes adsint; quare amicitiam inter eos libenter conciliare volumus [hac ratione[5]; facillimam ad hoc viam esse dixerunt, si rex filiam dynastæ, dominam Margaretam, peteret[6] uxorem, quo facto omnia tuta fore, dynastamque regem dilecturum, ut si ipsius gnatus esset. Quam rem cum coram rege proponerent, ille primo parum movebatur, placere tamen sibi rem, si firmior inde concordia nasceretur, ostendit: quanquam hoc metuo[7], ne res eodem recidat; ceterum [rem eorum curæ commisit[8]. Deinde conditionem dynastæ proponunt, qui eam libenter acceptavit, rem tamen ad ma-

[1]) communi Thrandorum regis nomine præfuit Gregorius Jonis filius, qui, literis ad regem (dynastamque, *add. F*) eadem hieme post festum jolense missis, oppidum Nidarosense deflagrasse significavit, *B, F.* [2]) regis, *F.* [3]) Brimstein (*ut alias A*), *F.* [4]) duodecim, *F.* [5]) ita ut nemo de ea dubitare posset, *F;* ita ut omnino firma esset, *G.* [6]) duceret, *H.* [7]) inquit, *add. F.* [8]) bene mihi placent, quæ provideritis, *F.*

trem ejus ipsamque virginem rejecit. Is autem exitus rei fuit, ut rex virginem principem Margaretam sibi desponderet; quo facto [melioris inter utrumque amicitiæ spes affulgere visa est[1].

Mentio facta Snorrii Sturlæi[2].

55. Præcedenti autumno Snorrius Sturlæ filius ab Islandia in Norvegiam venit: eodemque tempore Sorlius ac Grimar ingentem illam navem mercatoriam, quam in Vestmanneyis habuerant, reduxerunt, idque novi retulerunt, se virum illustrem, Ormum Jonis filium, fratrem Sæmundi Oddensis, [filiumque ejus ac sacerdotem[3], [4]propter injuriam Norvegis[5] ab Sæmundo illatam, e medio sustulisse; et tamen culpa caruit Ormus, qui animum fratris ad meliora convertere[6] usque studuisset.

Sponsalia dom. Margaretæ et Hakonis regis.

56. Rex Hakon et Skulius dynasta vere proxime insequenti Tunsbergo Bergas se contulerunt, ibique æstatem consumserunt. Tum Jon Stalus Bergas venit, navem adducens viginti[7] quinque interscalmiorum, quam regi fabricandam curaverat; qua nave[8] rex diu postea vehebatur. Circa festum Mariæ rex ac dynasta [in septemtrionales regni partes[9], magnum numerum amplissimorum virorum ex conventu Gulensi secum habentes, profecti sunt. Festo vero Michaelis sponsalia virginis principis Margaretæ et regis celebrata sunt, magnificumque in palatio convivium apparatum. Insequentem hiemem rex ac dynasta in Thrandheimo agebant, satis bona inter eos familiaritate. Hæc tertia fuit hiems imperii

---

[1]) tam amici quam inimici amicitiam eorum nunquam dissolutum iri augurabantur, *add. cet.* [2]) *sic G;* de Islandis, *F.* [3]) *om. G.* [4]) maxime, *add. F.* [5]) mercatoribus, *H.* [6]) eos in gratiam invicem reducere, *F, G, H.* [7]) triginta, *G.* [8]) omnium præstantissima, *add. F.* [9]) boream versus in Thrandheimum, *G.*

ejus. Tum præfectura provinciæ longissime in septemtrionem versæ Vegardo Veradalo et Andreæ Skjaldarband, quod regi amicissimi erant, demandata est.

Origo Ribbungorum.

57. Posteaquam Bagli in gratiam cum rege Hakone, ut supra scriptum, redierant, nulla præfectura Gudolvo Blakkastadensi data fuit, quod, quibus locis antea præfecturam obtinuisset, apud colonos minus gratiosus fuerat. Qui cum intellexisset, se nullis honoribus a Birkibeinis affici, [1]in privatam vitam concessit. Ea vero hieme, cujus modo facta mentio est, Gudolvus filium suum, Eilivum Krunam (coronam), [2]meridiem versus in Hallandiam misit, quæsitum puerum nomine Sigurdum, qui se filium Erlingi Steinveggi esse simulavit. Hunc repertum benigne acceperunt; confestimque copiæ ad eum confluere cœperunt. Ei tum Gudolvus consiliorum intimus fuit, signifer vero Erlingus Rumstafus; hi centuriones ejus fuere: Sunnolvus[3] Hauki filius, Thorleivus Brudus, Erlingus Ringus, Helgius Solbjargensis, Gautius Gotsmjor, Gasius[4] Fjallensis, Grimar Svangius. Hi magnas pulcrasque copias habuerunt, et Ribbungi appellati sunt.

De Ivare Utvika et Gudolvo.

58. Antea aliquanto Ivar Utvika et Gudolvus[5] juratam inter se amicitiam junxerant[6]. Ivar occidentalem præfecturæ Osloensis partem tenuit, atque se in præfectura continebat, nihil mali suspicatus. Sed Gudolvus, copiis clam contractis, Ivarem imprudentem ad Hofudeyam oppressit,

[1]) rem ægre ferens, *add. F.* [2]) additis comitibus Eiriko Pannio (Panio, *H*, Farrio, *B*) et Jone Rufo (Radda, *F, H*), *add. B, F, H.* [3]) Sandolvus, *F, B*; Sundolvus, *G, H.* [4]) Gassius, *F.* [5]) Smjortika, *add. F*; Blakkus, *add. B.* [6]) intimique sodales erant, *add. F.*

et e navi sua in terram fugere compulit; ibi complures strenui viri, veteranique Birkibeini, Smidus Sleppa[1] et Halvardus Kutus[2], ceciderunt. Ivar scapha elapsus est, commilitones ejus in ædem sacram confugerunt. Gudolvus naves et omnia arma, multasque res alias, cepit.

De consiliis dynastæ adversus Islandos[3].

59. Hanc hiemem rex ac dynasta in Thrandheimo egerunt, vere autem insequenti meridiem versus Bergas profecti sunt, ibique se diu per æstatem continebant. Tum dynasta significavit, se classem in Islandiam missurum; nam Bjorn filius Thorvaldi Gissuridæ Norvegum aliquem ex templo Midfjordensi extractum interfici jusserat, quod se cædis Ormi Jonis filii, cujus filiam Halveigam in matrimonio habuit, ulciscendæ gratia facere existimavit. Dynasta complures naves destinavit ad hanc expeditionem, quam homines vulgo perquam inviti susceperunt. Tum Gudmundus Oddi filius, poeta dynastæ[4], hos versus composuit:

Princeps, amans procellas ignium
scutariorum! institutum quod vitæ
sequar instanti æstate? Ea de re
percunctor popularem principem.
Tu, distributor ignis æquorei!
adversus patriam meam me arma
ferre minime decet. Nam dynasta
cygnum vulnerarium saturare consvevit[5].

---

[1]) Kipa, *B.* [2]) Kurta, *B, F.* [3]) *sic H*; expeditio in Islandiam adornata, *B.* [4]) *omitt. F.*

[5]) Constructio: *Geirnets hyrjar a) hreggmildr jöfur, hvat skal ek leggja fyri mik þetta sumar? (ek) fregn gegnan gram at því. Hafs hyrsveigir, mèr byrjar eigi at herja á orar ættleifðir b). Jarl vinnr reifðan c) sárs svan d).*

a) *geirnet*, reticulum hastæ, clypeus dicitur, puto a cancellata crate clypei; *geirnets hyrr*, ignis scuti, gladius. *b*) *ættleifðar*, H.

Snorrius Sturlæ filius et Islandi, qui tum in Norvegia erant, Dagfinnum colonum orarunt, ut apud regem intercederet, quo minus hoc consilium confieret. Hinc factum est, ut concilium convocaretur, in quo rex dynastam allocutus: consilium istud, quod hac æstate hic agitatum est, inquit, [consiliariis minime rationis[1] esse videtur, copias in Islandiam mitti: nam et difficile esse judicatur, et ea terra hinc frequentata, ab nostris consangvineis et majoribus ad christianismum perducta, magnisque beneficiis aucta est; accedit, quod, etsi pars incolarum male nostris civibus fecerit, tamen pleraque pars culpa in nos vacat, cum universis damno futurum sit, si terra populatione vastata fuerit. Quam ob rem abs te peto, domine, ut me deprecante hoc consilium deponas. Hinc factum est, multis quoque aliis intercedentibus, ut hoc propositum dynasta abjiceret. Snorrius vero in Islandiam est missus, ut mercatoribus[2] securitatem conciliaret, præfecti titulo ab rege Hakone donatus; tumque dynasta mentionem prima vice intulit, ut Snorrius Islandiam sub regis potestatem redigeret. Hoc autem autumno, quo Snorrius in Islandiam rediit, ipsi australis Islandiæ quadrantis incolæ inter se dissidebant; et vere proxime insequenti Loptus Skardensis Bjornem Thorvaldi filium Breidabolstadi interfecit. Ejus anni æstate Snorrius Jo-

---

c) *reifðar*, *G*, *F*, *B*; *reifða*, H, neutrum recte. *d*) *sic B*, omnino recte, nisi quod hanc vocem cum *reifðar* male conjungit; *sva*, cet., quæ vocula omnem rectum sensum perimit. Sensus postremæ enunciationis aut generalis est, dynastam rei militaris apprime gnarum esse, aut specialis, ut innuatur, Islandis a viro rei militaris tam perito magnam cladem metuendam esse; quod postremum prætuli.

[1]) non prudenter institutum, *F*. [2]) Ostmannis (i. e. Norvegis), *cet.*

nem filium suum ex condicto in Norvegiam ad dynastam misit; ipse vero apud populares nihil profecit, cum negotium remissius ageret. Eo tamen tempore mercatores [in insula nostra[1] bona pace utebantur.

Literæ e Vika ad regem et dynastam missæ.

60. Procedente illa æstate, qua rex Hakon Bergis se continebat, literæ ab oriente e Vika a præfectis allatæ sunt, ut rex ac dynasta orientem versus ad se properarent, Ribbungos enim opibus multum invalescere. Itaque iter celeriter compararunt, sed serius demum sub festum Michaelis triginta naves adornarant. Hi præfecti fuere: Paulus Vagaskalma, Jon Stalus, Ivar Nevus. Jadarem vehementiori vento secundo præterlati, dimidium mensem ad Lykrium hæserunt, ubi consumto potu et cibariis, pecudes[2] incolarum mactatæ sunt; moxque milites cum indignatione fremere, diuturnioris moræ pertæsi. Hinc id captum est consilii, ut copias dividerent: rex septemtrionem versus cum navibus majoribus Bergas rediit, dynasta cum navibus minoribus, sed majore parte copiarum orientem versus in Vikam profectus est. Convenerat inter eos, ut dynasta mercedes prædiorum et stipendia per Vikam exacta septemtrionem versus devehendum curaret in sumtum convivii jolensis et stipendium militibus solvendum. Rex Hakon in Eikundasundum delatus, ibi episcopum Henrikum convenit, qui de multis rebus inter se collocuti, amicitiam suam confirmabant[3]; et ex eo tempore

---

[1]) in Islaodia, *F.* [2]) multorum, *add. F.* [3]) renovabant; tandem episcopus digrediens regem his compellavit: scias velim, domine, te hactenus nullum habuisse inimicum magis strenuum, quam io mea parvitate habuisti, ab hoc autem tempore nullum ex nobis episcopis firmiorem tibi amicum fore, etsi ad res tuas parum in me momenti forsitan futurum sit, *add. F, H.*

Henrikus episcopus regi Hakoni amicissimus fuit. Inde rex Bergas venit; parum annonæ navibus advectum cum nihil omnino in oppido esset. Itaque rex Dagfinnum colonum ad se vocavit, [eumque comparare necessaria ad victum jolensem jussit[1]. Tum ingens pecunia mutuo sumta[2], missisque ad omnes præfectos literis pecuniæ imperatæ, quarum literarum ratio parum habita est; præfecti enim regem parum verebantur, et quotiescunque eos reprehenderet, se studia alio conversuros denuntiabant.

De Skulio dynasta.

61. Jam de Skulio dynasta narrandum: is incommodis ventis diu impeditus cum in Vikam tandem pervenisset, omnia stipendia [mercedesque prædiorum regiorum[3] exegit, quorum quantum consequi poterat cum accepisset, septemtrionem versus revectus est, cumque quinque noctibus ante festum jolense Tunsbergo solvisset, secundis ventis usus, vespera feriæ quartæ festi Bergas pervenit[4]. Ipse ac rex festo jolensi una convivabantur, maxima intercedente familiaritate. [Procedente vero hieme[5] nuncius ab oriente[6] venit, Ribbungos copiis multum invalescere, multaque atrociter facere. Tum Benius ac Slittungi Ribbungis se adsociaverant; Beniusque ductor in exercitu meruit, Sigurdus enim eum [altioribus ordinibus attollere[7] noluerat.

---

[1]) qui suscepta rei pecuniariæ cura necess. ad. vict. jol comparare cœpit, *F.* [2]) in mensam regiam et apparatum convivalem, *add. F, H.* [3]) *omitt. F*; solis alimentis, *H.* [4]) ille homines ad regem (Bergas præ-, *add. B*) misit, rexque, missis obviam ei nunciis, omnium quæ haberet communionem obtulit, *add. B, F.* [5]) vere tempore jejunii, *H.* [6]) ex Vika, *add. F.* [7]) pari secum honore ornare, *H.*

De expeditione Hakonis regis[1].

62. Appetente vere rex ac dynasta id consilii ceperunt, ut dynasta septemtrionem versus in Thrandheimum proficisceretur, comparatisque ibi copiis, itinere per mediterranea facto in Vikam descenderet Ribbungosque invaderet; rex vero classe orientem versus navigaret, ibique ambo convenirent. Dynasta in Thrandheimum delatus, præfectos ad se arcessivit, Gregorium Jonis, Paulum Vagaskalmam, Petrum Pauli. Cum his dynasta, magnis ornatisque copiis stipatus, in mediterranea, ut fuerat constitutum, profectus, directo itinere Hamarem in Heidmarka pervenit, quo omnes Birkibeinorum præfecti, qui in Uplandis erant, ad eum venerunt. Hic nuncium[2] accepit, Ribbungos[3] paulo ante Osloam ingressos duas naves, quæ episcopi erant, cepisse, contractisque undique navigiis Tunsbergum profectos Asbjornem Jonis filium præfectosque, qui arcem tenuerunt, aggredi statuisse. Quo cognito, dynasta cum præfectis Osloam magnis itineribus contendit.

De rege et Ribbungis.

63. Jam ad regem Hakonem revertor. Is, ut erat constitutum, eadem æstate magnis cum copiis profectus est, adscitis Gauto Jonis, Jone Stalo, Dagfinno colono. Cum in Vikam pervenissent, ad fretum Grindholmense navigarunt. Eo tempore Ribbungi ad Varnam ab orientali sinus parte stabant, multas naves magnasque copias habentes. Tum Asbjorn Jonis cum suis[4] omnino parati erant, et invadere Ribbungos constituerant; ubi vero enavigantes[5] vadum Skelja-

[1]) *sic B*; de Skulio dynasta, *H.* [2]) ab oriente ex Vika, *add. F.* [3]) ibi se continere et viribus jam multum auctos, *add. F.* [4]) et præfectis, qui Tunsbergi fuerant, contractis navibus et sociis navalibus, *add. B, F.* [5]) ad interiora navigantes, *H.*

steinense transmisissent, oneraria quædam[1] ad eos[2] adnavigavit, nuncians[3], regem Hakonem ab septemtrione advenisse, et in freto Grindholmensi multis cum navibus stare. Quo nuncio lætati, classem extemplo[4] converterunt, Smjorbjargaque præterlati regi occurrerunt, eumque de itineribus Ribbungorum certiorem faciunt.

De rege Hakone.

64. Statim ut rex Hakon cognovit, quo loco Ribbungi essent, [demtis navium tentoriis[5] extemplo ad meridiem versus per freta remigarunt. Gautus et Dagfinnus ea statim nocte sinum remis[6] transeundum censuerunt, Arnbjorn vero ac [sui in sinum sub lucem insequentis diei remigare maluerunt[7]; hinc factum, ut remis ad Jarlseyam subirent, ibique per noctem starent. Prima jam nocte celox ab oriente advenit, qua vecti commilitones Halvardi Brattii, quos Ribbungi persecuti fuerant; (hi nunciarunt:) Ribbungos [eo tempore[8] ab oriente Rugeyam accessisse, Vikæque præfectos, [qui paucas et exiguas naves habeant[9], aggredi statuisse: ipsos Ribbungos[10] quadraginta[11] naves habere[12], regis tamen ab septemtrione adventus ignaros esse. Tum milites navibus exire jussi, quos Dagfinnus colonus cohortatus consilium regis aperuit, ut ar-

[1]) ab septemtrione, *add. B.* [2]) obviam eis, *F.* [3]) quos scapha adremigans Arnbjorn quid novi interrogavit, illi nunciarunt, *B, F.* [4]) ad interiora versus, *add. F.* [5]) tuba jussu regis signo dato, tentoria in naves imposuerunt, et, *B.* [6]) in meridiem versus, *add. F.* [7]) Vikenses, diem jam provectam causati, consultius esse dixerunt in sinum s. l. ins. d. remigare, *B, F.* [8]) quo tempore inter se diversi disecessissent, *B, F, G.* [9]) quos p. et ex. naves habere cognovissent, *F.* [10]) amplius, *B, F, G.* [11]) quinquaginta, *F*; sexaginta, *G.* [12]) et ferme omnes exiguas, *add. G*; seque opinari, eos hac ipsa nocte cursum per sinum eo directuros, *add. F.*

matura induti sine tentoriis per noctem excubarent: nobis enim vero simile videtur, Ribbungos hac nocte cum copiis suis huc adventuros.

Lodin regi nuncium de Ribbungis attulit.

65. Lodin Gunnii[1] filius[2] cum tribus celocibus speculatum profectus est. Milites ante lucem experrecti[3] se extemplo ad proficiscendum parare cœperunt. Die vero illucescente rediit Lodin, qui captam unam celocem ex classe Ribbungorum ad regem reduxit. Hi multa de consiliis Ribbungorum retulerunt, nimirum hos audivisse[4], Skulium[5] in Vikam Osloam descendisse, ideoque eo proficisci non audere[6].

De conventu.

66. [Tum rex præcepit[7], ut naves minores, [longis navibus proxime subsequentibus[8], præcederent[9] stantibus malis, quo facto Ribbungos classem ex parvis navigiis et onerariis constare credituros. Imperata faciunt, et contentissimo remigio in sinum provehuntur. Brevi spatio meridiem versus ab insulis profecti, Ribbungos ab oriente[10] directo cursu obvios ferri conspicati sunt, quare Birkibeinis magna spes erat, fore, ut inter se congrederentur. Aer erat tranquillus, sol claro lumine splendebat. Qui in navibus majoribus erant cum bini singulos remos ducerent, celoces brevi spatio præcucurrerunt; et quamvis regia navis ceteras magnitudine superabat, tamen multæ navium tardius ferebantur.

[1]) Gunnaris, *F, H.* [2]) eadem nocte, *add. F, H.* [3]) aere nonnihil algido, *add. B.* [4]) Tunsbergum cogitare, quod jam audivissent, *G.* [5]) ex mediterraneis magnis cum copiis, *add. F.* [6]) Eosdem et audivisse, præfectos Tunsbergi cum parvis navigiis esse, hos adoriri primo statuisse, iisque si fortuna datura esset superatis, adversus dynastam classem ducturos, *add. B, H.* [7]) rex advocatis consiliariis præcipi jussit, *F.* [8]) *omitt. H.* [9]) irent, *H.* [10]) meridie, *F.*

Rex Sigurdum Skjalgium[1] remis provehi jussit, ac pronuntiare, veteres Birkibeinos, cum tanta postulasset necessitas, nunquam adeo remisse solitos remigare. Quo facto celoces cursu celeriori ferri cœperunt. Ribbungi, solas onerarias adversum ferri opinati, recta cursum in eos direxerunt. Cum vero navium minorum classi hostium proximarum, propugnatores conjicere tela cœperunt, animadverterunt Ribbungi aplustria [navium majorum resplendente sole[2] renitentia; unde plures, quam præfectos solos, [in comitatu Birkibeinorum[3] esse suspicati, proris conversis intrare sinum voluerunt. Quod videns rex cursum circumflectendo eos de hoc proposito dejecit. Quam ob rem naves ad terram, qua brevissimus trajectus erat, converterunt, et loco, qui Jolunda[4] dicitur, de navibus exierunt, perticasque absciderunt. Birkibeini[5] eos insecuti sunt, sed Ribbungi, interjecto forte ponte detracto, elapsi sunt; quorum aliquot ceciderunt, multi[6] vulnerati sunt. Qua de re sic Sturla Thordi filius:

Strenuus monarcha cursum navium
Orientem versus Varnam direxit,
Rhenanorum ignium erogator
res Ribbungorum adflixit.
Et auctor comitiorum, ira incensus,
prædones ex celocibus in terram
tumultuarie pulsos persecutus est;
princeps pictum clypeum dissecuit[7].

---

[1]) conscensa scapha, *add.* *B. F.* [2]) inaurata, *G.* [3]) intra naves, *G.* [4]) Golanda, *B*; Jorslunda, *F.* [5]) Birkibeinorum qui proximi erant, *F.* [6]) quidam, *F.*

[7]) Constructio: ***Ern allvaldr lèt haldit skipum austr til Vörnu a***); ***rínfura rýrir vann þúngan hlut Ribbúnga***; ***ok reiðr örþingaðr b) ellti víkinga óstilltan c) á land af skeiðum: ræsir klauf steinda rönd d***).

De Nicolao episcopo et dynasta.

67. Skulius dynasta, ut supra commemoratum, Osloæ versabatur. Qui cum ab episcopo Nicolao petisset, ut sibi navem Skeggium[1] commodaret, et hic negasset, graves pœnas minatus, si [navem sancti Halvardi rapuissent[2]; non longum temporis spatium est, inquit, cum Sigurdus Ribbungus duas naves tuas abduxit, et tamen eum excommunicatione non multasti; quo fidentius has naves in usum nostrum sumemus. Sin vero nobis ideo sacris interdices, quod naves tuas ad regnum tuendum sumserimus, cum idem facientibus hominibus ob flagitia excommunicatis æquo animo tuleris, ea excommunicatio tibi eisque, qui tibi ministrant, haud dubie magno constabit. Quibus permotus episcopus naves cum [capitibus et omnibus armamentis[3] dynastæ commodavit. Gregorius Jonis filius Stokkabuzam, Paulus Vagaskalma Hasaugabuzam[4] cepit; milites[5] omnes majores naves, quæ in oppido erant, sumtas pluteis lateralibus inter proram puppimque munierunt; quo facto citatissimo cursu e sinu contenderunt. Cumque ad Jolundam venissent, colonus aliquis in promontorium excurrens eos inclamavit, et nunciavit, [Birkibeinos et Ribbungos in sinu pugnare[6]: et Birkibeinis auxilio opus

a) Varnar, H, quasi a *Vörn*. *b*) non derivo ab *örþing*, conventus sagittæ, prælium, sed ab *ör* intensivo et *þingaðr*, itaque qui frequentes populi conventus habet, rex. *c*) *ústillta*, turbulentos, G, quod cum *víkinga* connectendum. *d*) Ribbungi duas naves, quæ episcopi Nicolai erant, Osloa abduxerant, *add. H.*

[1]) *sic ceteri*; Seggjum, *A* [2]) sanctum Halvardum spoliassent, *H*; oppidum diripuissent, *G*. [3]) omnibus capitibus et aplustribus, *H*. [4]) Hasaugam, *H*. [5]) ceteri centuriones, *F*; Birkibeini, *H*. [6]) præfectos et Birkibeinos ex oppido Tuosbergo profectos dynastam convenire voluisse, sed Ribbungos eis obcurrisse, jamque quam vehementissime utrosque pugnare, *B*, *F*.

esse autumo, quod et pauciores et minores naves habent. Colonus ideo sic locutus est, quod regem in classe versari nesciebat. Dynasta nondum nuncium de adventu regis acceperat. Hic [bini singulos remos arripuerunt[1] et summa contentione remigarunt, et eodem ipso momento Stallum prætervecti sunt, quo Ribbungi ex navibus suis excurrerunt[2]. Regii, captis Ribbungorum navibus, magna præda potiti sunt, quam milites inter se diviserunt. Quibus confectis rex ac dynasta congressi amicissime inter se exceperunt.

De Ribbungis ac Birkibeinis.

68. Ribbungi postquam pulsi aufugerant, orientem versus per superiora se converterunt. Quo cognito rex ac dynasta introrsum per sinum Osloensem cursum converterunt, et ea vespera ad Haugsvikam navigarunt, proximo autem mane ad Hofudeyam accesserunt. Huc rex et plurima pars classis appulit; hi vero centuriones statim ad oppidum successerunt, Paulus Vagaskalma, Asolvus regis cognatus, Kolbein Ketturyggus, Hakon Kavisus, et plerique Uplandici præfecti. Proxime insequenti vespera nuncius regi dynastæque venit, Ribbungos oppidum proxima nocte aggredi conaturos. Rex[3] suos omnes ex oppido tuba quidem evocavit, sed alii parum curantes nihilo minus ibidem morabantur, alii naves in ancoras provexerunt. Sequentis diei diluculo Sigurdus Ribbungus in oppidum cum copiis venit, cui per plateas, indeque in pontes decurrentes aliquot homines in mare proturba-

---

[1]) milites singulos remos, quantum quique ferre nisum poterat, torserunt, *G.* [2]) rex celocem obviam dynastæ misit, eique nunciari jussit, quid gereretur, nev vehementius, quam ipsis commodum esset, remigarent; tumque classiarii dynastæ lentius remigarunt, *add. B, F, H.* [3]) tubicine suo in oppidum misso, *add. B.*

runt et sauciarunt; et antequam Birkibeini naves a pontibus amovere potuissent, telis eminus conjectis graviter vulnerabantur. Hakon Kavisus, qui in oppidum escenderat, in mare desiliens pedem telo ictus, atque ita in navem extractus est[1]; quatuor ex Birkibeinis interfecti. Birkibeini vero, qui in navibus erant, armatura se induerunt, et naves pontibus adverterunt; quo viso Ribbungi sursum per plateas recesserunt, indeque oppido relicto, Birkibeinis insequentibus, septemtrionem versus contenderunt.

De Birkibeinis et fuga Ribbungorum.

69. Rex Hakon ac dynasta cum classe ad Hofudeyam stabant. Ut vero classicum in oppido sonare audiverunt, omnes milites arma induerunt et in oppidum remigarunt, maximis navium, regia et corbitis diutissime in apparatu morantibus. Tum Ogmundus signifer regem allocutus: domine, inquit, nunc videre licet Ribbungos[2] septemtrionem versus ex oppido profugientes, [adversus quos eo quidem loco nihil hac vice efficere poterimus[3]; ea ratio præstat, trajecto Gylando escendere, indeque orientem versus [per Akurshagum[4] ad Frysiam versus tendere, eoque loco eis ad pontem occurrere, quo facto, si Deus juverit, plura poterimus efficere. Rex, probato consilio, in naves, quæ proximæ stabant, inclamavit. Sed Barna-Petrus, quique tardius se movere poterant, suarum esse virium negabant, prædones insequi. Quibus cum multi consentirent, universæ naves ad pontes subierunt, ex quibus celoces, quæ ab insula primæ solverant, primæ ad pontes appulerunt, et ab his extemplo escensio facta; illo ipso mo-

[1]) et adhuc plures homines natantes excepti sunt, *add H.* [2]) *sic F, G*; Birkibeinos, *A.* [3]) quos hac vice assequi non poterimus, *G.* [4]) in Konungshagum, *B.*

mento tres Ribbungorum centuriæ[1] in oppidum devenere, qui cum celocium propugnatoribus occurrissent, Ribbungi suos esse rati, interrogarunt, ubi Sigurdus rex eorum esset. Hinc Birkibeinis Ribbungos adesse sentientibus, ictus subito hostibus illati, Ribbungorum pars boream versus per plateas, pars in agros cedere. Eo loco octoginta ex Ribbungis ceciderunt. Quos cum Birkibeini septentrionem versus ad amnem Fadum[2] persecuti essent, telis invicem aliquantisper conjectis, Ribbungi effugerunt, Birkibeini Osloam reversi sunt. Sic Sturla:

Post paullo
regii milites
naves Osloam
appulerunt;
quo loco manus
lapidatorum,
ab ensium missore
pulsa, in invia diffugit[3].

Idem præterea sic:

Opum liberalis rex, Hordorum
princeps, prædatorum injurias
ulciscens, porro progressus est,
velatus serpentini capitis tegmine.
Hostes regis partim ceciderunt,
partim ab rege victore pulsi

---

1) *sic B, F*; celoces, *A*. 2) Padum, *B*.

3) Constructio: *öðlings menn lögðu a) litlu síðarr til Oslu b) bæjar; ok þar stökk grýtlinga c) lið á glapstig fyri stálhvötuð.*

a) sic F, H; *lögðut*, A, G, quod aut est 2. pers. plur., i. e. vos, regii milites, appulistis, aut tantum h. l. *t* litera ex sequenti male repetita. *b*) *Oslo*, id., *G*; *Auslu*, id., *G*. *c*) *gratlinga*, H, quod non assequor, nisi forte librarius cogitavit de hominibus lacrimabundis; *grýtlingar* certe per contemtum Ribbungi appellantur, ut seditiosi homines, a lapidum conjectione.

aufugerunt. Esca postea
livido corvo comparata est[1].

De Skulio dynasta.

70. Rex Hakon et dynasta, præfectis per Uplanda dispositis, iter ab oppido compararunt. Navigarunt ad Haugsvikam, ubi habita aulicorum[2] concione, dynasta significavit, se in Uplanda[3] velle proficisci, ut cædem Rognvaldi, immerito ab incolis interemti, pagos eorum inflammando ulcisceretur. Cui rex: non meum est, Rognvaldi cædem ulcisci, cujus cognati meis consangvineis majorem in modum detraxerint; sed cum coloni eum innocentem occiderint, non prohibeo, quo minus copiis stipati eos ultum eatis. Itaque dynasta et Gregorius[4], patruus Rognvaldi, multique

---

[1]) Constructio: *auðmildr hilmir a), Hörða valdr, sá er gildi úthlaupsmönnum sakar, gekk enn und b) hólmreiðar c) faldi d). Fjandmenn stillis fèllu, en sumir skundaðu undan sigrgæði; tafn fekkst e) siðan blám f) hrafni.*

a) hjálmi, B, F, H, vide seq. not. *c.* *b) um, F, G; of,* id., *B, H,* vide *c.* *c)* ab *hólmreiðr,* f., piscis terræ, serpens, secundum præscripta Eddæ msc., „*orma er rètt at kalla fiskaheitum oc hvala, ef þeir eru kendir við láð, við, raun, gras, grjót, gljúfr eðr heiðar*" h. l. enim *hólmr,* insula, pro terra usurpatur, ut *reiðr,* salmo lævis, pro pisce in genere. *Hólmryrar, F, G; hólmreyrar,* B; *hólmryrir,* H; ex quibus lectt. *holmryrar* an *hólmreyrar* eligas, perinde est, eundemque sensum parit, nam *hólmreyr,* arundo insulæ (i. e. terræ) est serpens; ut *þvengr þundar beðju,* lorum terræ, in vita Gretteris Ceterum adsumtis ceteris lectionibus eadem sententia prodit, hoc ordine: *auðmildr Hörða valdr gekk of* (*um*) *faldinn hólmreyrar hjálmi,* incedebat caput tectus serpentis tegmine, i. e. galea terrifica (*ægishjálmi,* summi terroris symbolo), ubi *hjálmr* est tegimen, quæ lectiones nescio an h. l. rectissimæ sint. *d) faldinn, B, F, G, H,* vide *e.* *e) fekk, B, H, G,* cui subjectum regis convenit. *f) gefit,* datum, præbitum, *B;* ceterum non necesse esse, ut *bláum* h. l. scribatur, alibi monui, nam versus catalecticus est.

[2]) præfectorum navium, *H.* [3]) Foldam, *B.* [4]) Jonis filius, *add. F.*

Birkibeini[1] profecti, pagos multis locis inflammarunt, colonis non resistentibus. Quibus rebus confectis Birkibeini ad naves suas redierunt; tum hi versus compositi sunt:

Cædes Rognvaldi acriter vindicata
est, cum clypeorum gestores ab
orientali sinus parte domos urerent,
ædibus jussu principis absumtis.
Constat, Skulium pectoribus
Foldensium metum incussisse.
Ignis volitabat per ædes hujus
loci incolarum, merito afflictorum[2].

Rex Hakon et Skulius Bergas proficiscuntur.

71. His gestis rex ac dynasta ad Jarlseyam navigarunt, indeque septemtrionem versus Bergas proficisci pararunt. Lodin Pauli filius in rupe (arce Tunsbergiana) remansit, Guttormus Gunnii in Grænlando, præfecti in parte orientali ad Albim; Arnbjorn Jonis et Lodin Gunnii[3] re-

---

[1]) maxime qui Baglorum factionem secuti fuerant, *add. B, F.*

[2]) Constructio: *Rögnvalds dauða var rekit harða, þá er randviðir brenndu austanfjarðar; hús þurru a) fyrir harra. Vara b) tál, at Skúli skaut Foldungum skelk í bringu: eldr lék hingat c) hús fyri skjalþrungnum d) höldum.*

a) þyrru, id. ($y = u$), *B.* *b) var*, F, qui non advertit, *tal* h. l. non sermonem, sed *tál* (falsum) significare. *c)* alibi annotavi *hingat*, huc, sæpius usurpari pro *hèr*, hic, hoc loco. *d) skýþryngnum*, H; *skýþrungnum*, F, G; *skýþrunginn*. B. Quid *skjalþrunginn* significet, mihi quidem obscurum est; in re incerta secutus sum interpretationem *Hk.* T. 6, adeo ut derivetur hæc vox ab *skjal, skil*, ratio; possit quoque derivari ab *skjöldr*, clypeus, quasi *skjaldþrunginn*, admotis clypeis oppressus, i. e. ad incitas redactus, a phrasi *at bera skjöldu at einum*, admotis clypeis aliquem defensioni imparem reddere. Sensus vocis *skýþrunginn* æque incertus; forte *ský*, proprie nubes, de densa fumi caligine intelligendum, ut *skýþrunginn* sit exustarum ædium vapore afflictus.

[3]) Gunnaris, *F.*

gem boream versus proficiscentem comitabantur. In freto Hornborensi aliquot noctes commorati, cum vespera quadam valde poti solvissent, vehementi adversa tempestate et gravi imbri noctu exorto perculsi sunt. Itaque in portus confugerunt, qua cursum dirigerent ignari; sequentis mane diluculo Tregasundum[1] pernavigantes, in scopulos incurrentes gubernacula fregerunt, inde prospera navigatione usi Bergas[2] venerunt. Tum ab septemtrione advenerat regina Margareta et domina Ragnilda, mater ejus, et Sigrida, soror dynastæ, quæ postea fuit abbatissa monasterii Reinensis. *) Illi deinde a septemtrione profecti sunt, tumque Lodin Gunnii filius Ingibjargam, sororem dynastæ, uxorem duxit; quorum nuptiæ in ædibus regiis celebratæ sunt.

Cædes Vegardi Veradali.

72. [Hoc tempore[3] commilitones Vegardi Veradali ab Halogia venerunt, nunciantes, Vegardum, regi amicissimum et affinitate junctum, jussu Andreæ Skjaldarband[4] interfectum esse. Rege quam culpam commisisset quærente, illi, nihil ei crimini dedisse, inquiunt, utrumque ad boream in Hinna se continuisse, Andream loco, qui Havnia dicitur, Vegardum in ejusdem pagi parte superiori; Vegardum Havniam venisse Andreamque ad cœnam invitasse; promisisse Andream, tumque Vegardum [famulos suos[5] domum misisse, qui mensam apponerent; Andream a Vegardo petisse, ut ad ædem, in qua merces Finnicæ erant, accederet, videretque ne corrumperentur; Vegardum ad ædem, cujus una tabula delapsa erat, accedentem, demta quam capite gerebat casside calybea, introspexisse;

---

[1]) Tregdasundum, *B, F, H*; *om. G.* [2]) boream versus in Thrandheimum, *H, F.* *) Hic aliquid deesse videtur. [3]) secundum hæc, *H.* [4]) cognati regis, *add. F.* [5]) quosdam suorum, *B.*

tum procurrentes duo famulos, Botolvum[1] aliumque[2], letalibus eum vulneribus confecisse. Quod facinus regi valde displicuit, quo duorum [hominum sibi fidelissimorum[3] se jacturam fecisse existimavit, suspicatus tamen est, quibus auctoribus hoc profectum esset. [Et animadversum est[4] ex verbis dynastæ, ei non displiciturum, si hujus facinoris vindicta ex Andrea expeteretur.

Andreas vita donatus.

73. Rege amicorum sententias de hac re perquirente, placuit, Andream honoribus, quibus ab rege ornatus esset, privari, vitam quamvis indignum retinere[5]. Paulo post Andreas in oppidum venit, nave vectus vigintitranstra[6]; qui magna hujus facinoris pœnitentia affectus, visus est sibi intelligere, qui sibi laquei tensi fuissent. Rex ei provinciam abrogavit, vitam dedit; provinciæ Ivarem Utvikam præfecit, dynasta vero eadem hieme provinciam Andreæ suo nomine dedit.

Ad nonaginta Ribbungi interfecti.

74. Procedente autumno Arnbjorn Jonis, Halvardus Brattius, Lodin Gunnii[7], ad regem accesserunt, significantes se audisse, Ribbungos in Vika multum copiis invaluisse. Quo cognito rex ac dynasta, itinere celeriter comparato[8], Agdas orientales prætervecti, audiverunt aliquot Ribbungorum cohortes eo ab oriente appropinquasse. Itaque[9] cursoriis miserunt, qui Ribbungos quærerent; ibique aliquot eorum cecidere,

[1]) Limum, *add G, F.* [2]) Özurem Gnitam, *add. G; omitt. A.* [3]) amicorum suorum, *G.* [4]) Itaque rex procedens hæc nova retulit, et animadvertit, *F.* [5]) intellectum enim est, culpam non minus in eo esse, qui eos utrosque mortuos cuperet, *add. cet.* [6]) recenti beneque instructa, *add. F.* [7]) aliique Vikenses, *add. F.* [8]) cum rex navem viginti transtrorum, quam Ivar Nevus fabricandam curarat, dynasta navem episcopi sumsisset, *add. B.* [9]) milites ex navibus suis desumtos cum, *add. F.*

ceteri aufugerunt[1]. Rex ac dynasta eodem die per Grenmarem et introrsum præter Nesjas navigarunt, vehementi tempestate; vis venti erat magna[2] et acris, irrumpentes undæ tam e prora quam e puppi exhaustæ resque in apertum discrimen adducta erat. Sola navis regia, item dynastæ et Arnbjornis, cursum confecerunt, ceteris omnibus in devios portus confugientibus. Appulsi ad Rygjas[3] cognoverunt, Sigurdum, Benium et Ribbungos magnis cum copiis in Raumariko esse, et quosdam manipulos Ribbungorum ad meridiem in Vika versari. [Ut vero copiæ ad regem collectæ erant, id consilii ceperunt, ut dynasta in Vikam proficisceretur Ribbungosque conquireret[4]; rex vero Tunsbergi cum suis copiis remansit. Vir erat nomine Gunnar Asæ filius, ex veteranis Baglorum, Birkibeinis inimicissimus; is deditione a Baglis facta, ministeriis regis Hakonis se addixerat. Qui cum nullos honores ab rege acciperet, quos vellet, transiit ad Ribbungos, continuoque provinciæ ab eis præfectus magnam manum comparavit, neque facile quisquam fuit, qui plus mali faceret, quam ille. Dynasta orientem versus delatus cognovit, quo loco se teneret, duæque aliæ Ribbungorum cohortes. Cum densissimæ essent tenebræ noctis, dynasta cum suis Gunnarem loco, qui Apaldursetur vocatur, oppressit. Birkibeinis villam continuo corona cingentibus, pauci, qui exitum

[1]) Birkibeini raptam eo loco rem familiarem eximiam in tres onerarias imposuerunt, et ita ad naves navigare cogitarunt. Sed incidentibus in æstuosa brevia, una oneraria cum multis eximiis viris interiit. Hic veteranus Birkibeinus, nomine Slitandius, vir Hjaltlandus, periit, qui vero evaserunt, ita saluti consuluerunt, ut corporibus boum mactatorum incubantes in terram transvecti sint *add. cet.* [2]) adversa, *B.* [3]) Areyas, *F, G*; Hereyas, *B.* [4]) *ab* [tum dynasta se ad eos quærendos convertit, *H*

tentarunt, extemplo occisi sunt. Gunnar vero ac sui (magnam enim manum habebat) se ad defensionem strenue pararunt. Amundius Akavus, signifer dynastæ, jugulum sagitta ictus, e vestigio mortem oppetiit. Hic acris pugna extitit, Ribbungi enim sese fortiter et viriliter defendebant. Eo loco Gunnar Asæ filius cum nonaginta viris cecidit. Sic [Snorrius Sturlæ filius[1]:

Auctor pugnæ coegit missores
calybum ab orientali sinus parte
caput rubro velare; milites proram
inauratam recta ad terram direxere.
Consumtor annulorum pectora
Virorum mucronibus perfodit;
princeps acuto gladio lata
vulnera capitibus inflixit[2].
  Honoris appetitor, hostibus occurrens,
progredi in pugna non dubitavit;
corruptor Skogulæ indusii ante aurata
signa processit in Laccæ imbribus.
Terra vastata est, ductor vero Thrandorum
Ribbungos gravi leto afflixit:
Gunnar arcem cerebri subjecit plantæ
lupini pedis, ungvibus horrenti[3].

---

[1]) Svein Sturlæ filius in formula variationum metricarum, *F.*

[2]) Constructio: *styrjar valdi a) kenndi stökkvi-lundum stála austanfjarðar at b) falda rauðu; rekkar stýrðu roðnu barði rétt til jarðar. Hringa skerdir renndi oddum eljunstrindir ita ferðar: hilmir stærði megin-undir heila grundar hvössu sverði.*

a) sic restitui, secundum Clavim metricam, 63; *valdr*, cet., quod legi metricæ hujus variationis repugnat. *b) omitt. B, H.*

[3]) Constructio: *vegrækjandi vafði lítt at sækja fram, er mætti virðum: skerðir Sköglar serks a) gekk fyri roðnum merkjum í Hlakkur skúrum b); land ruddist, en ræsir þrænda skóp Ribbungum þungan bana: Gunnar skaut hjarna kletti c) und grimmsetta il gera fótar.*

a) i. e. loricæ. *b)* in prælio. *c)* i. e caput.

Tumultus Ribbungorum in Uplandis.

75. His rebus gestis dynasta septemtrionem versus Tunsbergum reversus est, ubi regem Hakonem convenit. Hic constitutum est, ut dynasta in Vika remaneret. Rex vero septemtrionem versus Bergas profectus est, quo ante festum jolense pervenit, ibidemque hiemavit. Hæc quinta hiems fuit imperii regis Hakonis. Post paulo quam rex ac dynasta digressi erant, dynasta cognovit, Gudolvum Blakkum magna manu stipatum in territorio Osloensi versari: idem interdiu in oppido, noctu diversis locis[1] agebat. Dynasta sumtis aliquot celocibus in Hofudeyam delatus audivit, Gudolvum Forsii [apud monachos[2] prope a prædio versari. Hic dynasta Gudolvum primo diluculo oppressit, prædioque corona militum cincto, modum oppugnandi instituit. Eo loco septuaginta[3] ex Ribbungis ceciderunt, Gudolvus elapsus est. Eadem hieme dynasta suos crebro adversus Ribbungos misit, eosque cladibus affecit. Sic Snorrius[4]:

Præclarus ductor militum prædatores
hastis exstirpavit; calybes circum
adversarios principis sonuerunt; lupus
cæsorum corporibus institit.
Princeps, auro non parcens, multos
viros capite truncos reddidit;
sic, irate militum antesignane,
rapinas gentium punire nosti[5].

---

[1]) territorii prædiis, *B, F.* [2]) in Munkabuo (villa monachorum), *F; omitt. G.* [3]) sexaginta, *H.* [4]) Svein Sturlii filius, *F;* St. (Sturla), *H.*

[5]) Constructio: *itr hertogi eyddi úthlaupsmönnum spjótum; stál sungu of dólgum a) stillis: ylgr stóð í val. Hoddgrimmr jöfurr lèt margan hal höfði skemmra. Reiðr oddviti, kannt b) svá at refsa þjóðum c).*

a) sic correxi, secundum clavim metr., 66; *dylgjum*, A et ce-

Incolæ Hadalandiæ et Heidmarkæ copias adversus Ribbungos, ab eo inde tempore quo primum ea factio caput extulerat, contraxerant, provinciamque tam fortiter defenderant, ut Ribbungi nullo successu iis locis uterentur. Gunnbjorn ac Thorgeir episcopi minister[1] eo tempore provinciam Hadalandiæ et Thotni tenebant. Sigurdus Ribbungus Bergthorem[2] et Eysteinem Engum[3] Hadalandiæ suo nomine præfecerat. Ribbungi [4]naves [ex Dramma[5] in Randam pertraxerunt. Quo cognito præfecti Birkibeinorum et coloni adversum eos contenderunt, congressique ad locum[6], Lenam dictum, prælium commiserunt, in quo Ribbungi primo superiores fuerunt; dein versa in eos clade, amplius ducenti quadraginta homines ceciderunt, Sigurdus fugam capessivit, Birkibeini omnibus navibus eorum potiti sunt. Post hæc coloni in diversa dilapsi, nullam pagorum[7] curam habuerunt. Quo cognito Sigurdus Ribbungus in Heidmarkam[8] profectus, Jonem Kurum[9] in prædio Lunnis[10] dicto necopinato oppressum[11] interfecit. Post hæc coloni pacem fecerunt, magnaque stipendia dependerunt. Tum Sigurdus, parata sibi mansione in insula Fordunga, quæ in lacu Thyrio est, obsides ab colonis accepit, præfecturasque Hadalandiæ distribuit. Quo facto Thelamarkæ Verdaliæque incolarum multi Sigurdo se subjecerunt. Heidmarkenses, audita calamitate quæ Hadalandensi-

---

teri, haud dubie ex conjectura librariorum, metro ita consulentium, nec observantium, legi metricæ h. l. adversari. *b*) *knátt*, id., H. *c*) *skeiđum*, F, de qua lectione valent quæ dicta sunt ad var. l *a*.

[1]) affinis, *H*. [2]) Lokkum, *add. F*; Soknam, *add. G*. [3]) Ringum, *B*, *F*, *G*. [4]) multas, *add. H*. [5]) in Thyrium et inde, *B*, *G*; per Thyrium, *add. F*. [6]) oram, *F*, *G*. [7]) nec navium, *add. G*, *H*. [8]) Hadalandiam, *rectius*, *F*. [9]) Kuam, *H*; Kutum, *F*. [10]) Leina, *B*. [11]) cum aliquot viris, *add. G*.

bus acciderat, eo diligentius pagos suos custodiverunt, ut Ribbungi transitu eorum locorum prohiberentur; quin coloni, equis vecti, eos in Raumarikum usque insecuti sæpius cladibus affecerunt. Post hæc multa inter Birkibeinos Ribbungosque prælia commissa, in quibus varia fortuna pugnatum est. Insequenti vere post festum candelarum dynasta, cognito Ribbungos in occidentali parte præfecturæ Osloensis cum aliquot centuriis versari, Eirikum Sirizum cum commilitonibus et Haraldum Stangarfyljam[1] misit, ut Ribbungos quærerent. Qui cum congressi ad Svansum prælium commisissent, tanto ardore inter se institerunt, ut, signiferis inter se occurrentibus, signifer Ribbungorum, cui Herbjorni nomen, a Birkibeinis captus sit, Astius, qui antea signifer Sigurdi fuerat, magnusque Ribbungorum numerus occubuerit. Quo facto Ribbungi terga verterunt, Birkibeini ad dynastam redierunt, Herbjornem adducentes, qui postea signifer[2] Skulii dynastæ fuit.

Rex Hakon Stadum vehementi tempestate prætervectus est.

76. Eodem vere tempore jejunii rex Hakon septemtrionem versus in Thrandheimum proficisci paravit, quem comitati sunt Dagfinnus [colonus, Bardus Brimstein[3], Hakon Kavisus; rex quatuor naves habuit. Festo paschatis in Leirgulo stabat, inde quarta feria paschatis vehementi sæviente tempestate Stadum prætervectus est; tribus post noctibus Agdanesum tanta venti violentia prænavigavit, ut totum velum ablatum sit, navesque in diversas promontorii stationes confugerent. Rex nullam evitandi periculi pote-

[1]) quem cum centurionibus, qui ibi se continebant, ab Osloa arcessiverat, *add. F, H.* [2]) aulicus, *F, G, H.* [3]) Bristein, *F*; *ab* [*omitt. G.*

statem habens, cursum [in amnem versus[1] direxit, cumque ad ostium amnis venissent, mare maximo accessu æstuabat, neque ob [rapiditatem fluminis[2] ulla retinacula adhiberi potuerunt, quam ob rem navis in vada arenosa ante Bakkium delata est. Mox succurrens omnis oppidanorum multitudo navem regiam circumjectis funibus ægre[3] extraxit[4].

Colloquium regis et archiepiscopi.

77. Eo tempore Guttormus archiepiscopus in oppido erat; is regem advenientem omnibus rebus honorificentissime excepit, iique inter se assidua colloquia habuerunt. Rex aliquando archiepiscopum interrogavit, quam ob causam tantas in se puerum inimicitias convertisset. Archiepiscopus significavit, causam ejus rei non minus [aliorum hominum voluntatem[5] esse, quam [sui ipsius malitiam[6]. Unde rex veritatem rei edoctus est. Tum archiepiscopus[7] pollicitus est, [se proxima æstate Bergas venturum, regique honorem in omnibus quibus posset rebus præstiturum[8]. Rex Hakon Gunnbjorni Jonis filio negotium dedit, ut omnium Thrandheimensium provinciarum curam gereret, metu ingentis tumultus, qui eo tempore in Uplandis erat. Procedente vere rex ab septemtrione proficisci paravit, Bergasque navigavit, ibique per æstatem se continebat.

Prælium inter Ribbungos et Birkibeinos in Mjorso.

78. Skulius dynasta Tunsbergi se continebat, Arnbjorn Jonis ab orientali sinus parte constitutus eam regni partem defendebat. Ribbungi

[1]) præter ostium amnis, *H.* [2]) venti violentiam, *F.* [3]) ex vadis, *add. G.* [4]) subduxit, *F.* [5]) penes alios homines, *F, G, H.* [6]) penes se, *H.* [7]) regi plenam fidem suam, *add. G.* [8]) *ab* [*omitt. G.*

in mediterraneis versantes magnas copias habebant, multasque naves in [lacum subduxerant[1]. Præfecti Birkibeinorum in Mjorso se continebant, magnas habentes copias, ducibus Haraldo Stangarfylja, Olavo Moko, [Fridreko Slavsio, Thorgeire episcopi ministro[2]. Ribbungi[3] naves suas[4] in Mjorsum devexerunt, et Birkibeinos per lacum quærebant; hos ad Kornaholmos[5] deprehenderunt, ubi prælium commissum est. Ribbungi numero militum prævalebant et rem magno ardore gerebant, Birkibeini hostes fortiter excipiebant; eo tandem exitu, ut hi victoria potirentur, Ribbungi in fugam se conjicerent. Eo loco ex Ribbungis [paulo plus centum et viginti[6] cecidere, hique centuriones, Styr sacerdos, Ornolvus ab Folavallo, Audun Austansjor, Thorbjorn Ringus; ex Birkibeinis pauci ceciderunt. Sigurdus primo in Thotnum, indeque in montana aufugit. Asbjorn Jonis, [7]cognito, Benium Skinnknivum magna cum manu in Raumariko esse ibique magnas turbas ciere, Helgium Fleskhunum[8] quique cum eo strenuissimi erant adversus eum misit. A quibus ad Eyavatnum deprehensus, in navem confugit; qua retenta et oppugnata, [in mare se dejecit et hic illic sub navi delituit[9]; diu quæsitus, tandemque repertus [ingloria morte vitam finivit[10].

Gudmundus episcopus ab Islandia delatus regi Hakoni prælium Grimseyense nuntiat[11].

79. Rex Hakon se Bergis per æstatem

---

[1]) in Eyavatno habuerunt, *F*, *G*. [2]) multisque aliis eximiis viris, *H*. [3]) Sigurdus Ribbungus (-devexit), *H*. [4]) multas, *H*. [5]) Kornafjordum, *G*. [6]) ducenti quadraginta, *G* [7]) hac æstate, *add. H. F, G.* [8]) Fleskonem, *H*; Fleuzonem, *F*; Flekkhunum, *B*; multosque alios viros excellentes, *add. H.* [9]) *add. F, G*; *om. A.* [10]) Bonius cum omnibus suis interfectus est, *G*, *H*. [11]) de rege et dynasta, *F*, *H*; navigatio regis Hakonis, *B*.

continebat, [præfectos ex partibus borealibus et ex conventu Gulensi[1] apud se habens. Ut vero Uplanda tumultibus flagrare audivit, orientem versus in Vikam proficisci paravit. [Sub festum Mariæ[2] legati Gregorii[3] Jonis[4] filii ab septemtrione ex Thrandheimo[5] venerunt, nuntiantes, Ribbungos boream versus profectos montem superasse, [et in Thrandheimum descendere statuisse, regemque orarunt, ut septemtrionem versus proficisci maturaret[6]. Rex extemplo aulicorum concione advocata, has res palam fecit, declarans, se septemtrionem versus iter conversurum; quem omnes sequi se velle ostendebant[7]. Die Jovis rex septemtrionem versus cum triginta[8] navibus navigavit, cumque mare Sognense trajiceret, occurrit navi mercatoriæ ab Islandia advenienti, qua vectus Gudmundus episcopus regi multa nova ex Islandia nuntiavit. Nimirum vere proxime præcedenti Sigvatus Sturlæ filius cum episcopi asseclis in Grimseya decertaverat, hieme vero proxima Tumius Holis ab episcopi militibus occisus fuerat. Rex boream versus per fretum Alreyrense[9] navigare statuit. Hic audivit, Ribbungos magnis cum copiis montem transcendisse, et quocunque venissent multa maleficia patrasse, et in Soknadalum usque penetrasse; quo cognito colonos

---

1) magnum copiarum numerum, *G.* 2) Tum, *B, F, H.* 3) Guttormi, *H*; rectius Gunnbjornis, vide cap. 77. 4) dynastæ, *H.* 5) vecti celoce cursoria, *add. B, F, H.* 6) multaque maleficia quocunque venissent patrasse, boream versus in Soknadalum usque penetrasse ad prædium, quod Ivari in Berudaln (Herudn, *H*) fuit, ibique multa atrocia et enormia fecisse, *B, F, H.* 7) Rex missis nuntiis et literis Gregorium Jonis et Ivarem Nevum accessivit, qui ut regem assequerentur summo studio iter compararunt, *add. B, F.* 8) quadraginta, *G, H*; triginta quinque, *B.* 9) Alreyense, *G*; Aleyense, *F, B.*

Gauldalenses, dimissa sagitta belli nuntia, omnibus locis multitudinem iis opposuisse, quo audito Ribbungos orientem versus trajecto monte recessisse; posse tamen nihilo minus horum incursiones in Raumsdalum exspectari, nuntii regi significarunt. Itaque rex, quod vero haud absimile duxit, eos in Mæriam descensuros, septemtrionem versus in Leirgulum navigavit, ibique moratus est, donec Ribbungos iter in valles orientales convertisse audisset.

Rex Hakon Bergis se continebat.

80. Rex Hakon, cursu meridiem versus converso, Bergas ante[1] festum Michaelis venit, dataque præfectis domum redeundi venia, eo loco res ad hiemandum necessarias comparavit. Æstate proxime præcedenti utrique parti provinciæ Agdensis stipendia imperarat, quæ Skulius dynasta jam[2] ferme omnia receperat, ut rex ex parte boreali nonnihil, ex meridiana nihil acciperet. Hinc advocatis consiliariis rem aperuit; qui omnes sic existimarunt, velle dynastam tertiam Norvegiæ partem sibi concessam nimis extendere, qui non solum totam Vikam et Uplanda, sed et ad provinciam usque Rygensem sibi adserere vellet, cum [Eirikus dynasta, frater Sverreris regis, et Philippus Baglorum rex[3] eo triente regni, qui Svinasundum et Rygjarbitum interjacet contenti fuissent, eoque modo principes superiores regnum inter se divisissent. Itaque rex Hakon nuntios ad dynastam misit cum literis, displicere sibi talem regni partitionem diutius obtinere, denuntians, si in incepto perstaret, ei non cum solis Ribbungis negotium fore.

Expeditio in Bjarmiam.

81. Hac æstate Andreas Skjaldarband et

[1]) post, *F.* [2]) præcedenti æstate, *H.* [3]) superiores dynastæ, *G.*

Ivar Utvika, quatuor naves habentes, expeditionem in Bjarmiam fecerunt. Cujus expeditionis ea causa fuit, quod Andreas ab Sjomælingis[1], Svein Sigurdi[2] filius, Ogmundus[3] ab Spanheimo[4] multique alii, duabus vecti navibus, ante aliquot hiemes in Bjarmiam profecti erant, ex quibus autumno proxime sequenti Andreas ac Svein redierant, remanentibus [interea Helgio[5] Bograngi filio, [ejusque sociis navalibus[6]. Remanserat et Ogmundus, qui proximo autumno cum suis sociis et mercimoniis in regnum Sudurdalorum profectus erat. Interea discordiæ inter Halogenses ac regem Bjarmorum ortæ erant, quam ob rem Bjarmi hieme proxime sequenti eos adorti universos socios navales interfecerant. Quo cognito Ogmundus orientem versus Holmgardos profectus erat, indeque per regiones orientales ad mare usque contenderat, neque prius itinere destiterat, quam Hierosolymos venisset; inde in Norvegiam redierat, magnamque fuerat hac profectione gloriam consecutus.. Andreas et Ivar in Bjarmiam profecti sunt, ibique cædibus ac rapinis summam populationem fecerunt, maximaque præda, [quæ pellibus et puro argento constabat[7], potiti sunt. A septemtrione renavigantes in verticem maris a Straumneskinnis in boream versum, delati sunt, tribus navibus effugientibus; ea vero navis, qua Ivar vehebatur, undis in velum irrumpentibus, adeo inclinata est, ut fluctibus obruta subverteretur. Vir, cui Jogrimo nomen, Ivarem in carinam extulit, tertiusque vir[8] in carinam enisus est. Qui in navi Thorbergi erant, demissam scapham subsidio miserunt, cu-

---

1) *Smælingis, H; Sannmelingis, F, B.* 2) *Sigridæ, cet.* 3) *Sigmundus, H.* 4) Spangheimo, *B*; Spannheimo, *H.* 5) *add. G.* 6) *omitt. G.* 7) *omitt, H.* 8) nomine Helgius, *add. G.*

jus puppis effracta est. Jogrimus, Ivare[1] in scapham imposito, cum sodalem Thorsteinem desideraret, in verticem sese nataturus dejecit, ibique[2] periit, cum omnibus qui nave vecti erant, exceptis duobus solis, Ivare et alio aliquo; ibidem res ingentis pretii interierunt. Andreas eodem autumno in Halogiam revectus est[3].

Cædes Tobbusoniorum[4].

82. Jam ad Skulium dynastam redeamus. Is in Vika se continebat, magnasque ibi copias habens magnos facere sumtus coactus est. Arnbjorn, qui ab orientali sinus parte erat, eam regni partem ita tuebatur, ut Ribbungis iis locis manendi copia non fieret. Alii quidem præfecti magnis cum copiis ad Mjorsum erant in regione superiore, sed Ribbungi passim vagantes in diversis locis irruptiones fecerunt. Profecti sunt in Hadalandum, Sigurdusque in insula Fordunga[5], quæ in Randa est, consedit. Quibus rebus cognitis, Skulius dynasta in Tramnam[6] proficisci paravit; magnam habuit[7] navem, sex et viginti interscalmiorum, multaque navigia minora quæ in Thyrium indeque in Randam [antea subducenda curaverat[8]. Cum dynasta in Tramnam venit, navesque per ostium exterius adverso flumine deducendæ erant, supervenientes Ribbungi aliquantum temporis tela in eos conjecerunt, quamobrem navim (aliquam) missam facere coacti sunt. Sic eo loco res exiit, ut Ribbungi orientem versus in Markas usque profugerent; dynasta Tunsbergum rediit, postque paulo ad

[1]) illis (-impositis), *F*, *G*. [2]) magna cum laude fortitudinis, *add*. *B*. [3]) neque ex eo tempore ab Norvegia profectio in Bjarmiam suscepta est, *add*. *B*, *F*. [4]) Fuga Ribbungorum, *F*. [5]) Frodunga, *B*, *F*. [6]) Dramnam, id, *G*. [7]) manum et, *add* *B*. [8]) subducere statuerat, *B*, *F*.

eos quærendos in Vikam profectus est. Tobbusonii provinciæ Albensi ab Ribbungis præfecti erant. Hos adversum missi ab dynasta, Simon Kua, Thordus Dravlius ac Thorfinnus Malus, ad Lesseyam deprehensos interfecerunt. Ribbungi ab orientali sinus parte ingentes copias habuerunt, ut non minus mille sexcenti octoginta viri castra Sigurdi secuti fuerint. Hi ex Ribbungis provinciæ Borgensi præfuere, Herjolvus Dyntil, Eirikus Dregil. Multa cum Arnbjorne Jonis negotia habuerunt, Ribbungis semper minori successu utentibus. Dynasta tres hiemes in Vika consumsit, quibus Ribbungi et Birkibeini multa inter se negotia habuerunt, multisque alteri alteros cladibus affecerunt, de quibus hoc loco memoriæ non proditum est.

Skulius dynasta Ribbungos interfecit.

83. Skulius dynasta plurimum Tunsbergi se continebat. Haud ita multo post dynasta, nuntio de Ribbungis accepto, milites, uti consvevit, adversum eos misit, præcipiens, ut bini quique lectorum pelliceorum socii inter se sortirentur, uter in expeditionem iret. Lecti ejusdem socii erant Thorer Flika et Jatgeir poeta; huic sorte obvenit, ut excursionem cum ceteris faceret. Hi Ribbungis in monte Kurfjallo[1] occurrerunt, et prælium commiserunt; hic aliquot ex Ribbungis ceciderunt, reliqui aufugerunt; Birkibeini ad dynastam redierunt. Thorer Jatgeirem, contubernalem suum, interrogavit, qua fortuna usi essent; ille hos versus pronuntiavit:

Vir, asperos colubros præliaris
asperginis rubefaciens! In Kurfjallo
constitutus nimium procul me animadverti
Thorerem Flikam, caloris amantissimum.
Scilicet, quando nos ibi cum

[1]) Kyrfjallo, cet.

Ribbungis lusimus, langvidulus iste
corporis nactus est quietem Tunsbergi
cubans cum nympha pygmæi habitaculi[1].

Dynasta, toto pectore in id incumbens, ut Ribbungos deleret, ubicunque eos versari audisset,

---

[1]) Constructio: *rjóðr stirð a) -aurriða storða hjalldrdrifs! ek sá hlækinn b) heðna c) þóri d) stór-fjarri mér á Kurfjalli e). þá er lckum þar f) við Ribbunga, fèkk g) dasinn líkn lungtorgs h), lá i) við dvergranns dísi k) í Tunsbergi.*

a) in textu est *stirð*an, sed illud *an* videtur esse conjectura. Appellationem sic resolvo: *aurriði*, trutta salmonata, *storð*, ligua caduca it. silva, hinc *stirðaurriði* (= *stirðr aurriði*) *storða*, aspera silvarum trutta, serpens, vide quæ annotavi ad stropham cap. 70. sub lit. *d*; *hjalldrdrif*, adspergo pugnæ, cruor, serpens autem cruoris est hasta, cujus *rjóðr*, præliator. *b*) hanc vocem, quæ nullo alio loco occurrit, pro adjectivo accipio, derivato ab adj. *hlær*, cogn. *hlýr*, tepidus, calidus. *c*) *hæðna*. id., G; *heðinn*, m., pellis, nonnunquam pro veste usurpatur; unum exemplum afferam: phrasis, *at vefja heðn um höfuð einum* (Eyrb. p. 92, Grettiss. ed. Hol. p. 139), in Bandamannas. exprimitur per *at vefja hattarland flíkum*, ubi *heðinn* = *flík*; hinc *heðnaþórir* = *þórir flík*. *d*) *sic* A; *þórir*, B, F, H, quod etiam in accusandi casu sumi posset. *e*) *Kyrfjalli*, id., ceteri. *f*) sic B, H; *þat*, A. *g*) sic B, H; *frá*, A. Sed possunt hæ voces, *þat frá*, retineri, si subintelligatur conjunctio *at*, hoc ordine: *frá þat*, (at) *dasinn lá lungt. líkn við dvergranns d. í Túnsb., þá er l. v. R.* i. e. rescivere homines, langvidum noctu (v. unam noctem) cubasse cum amica sua Tunsbergi, quando etc; vel sic: *frá þat*, (at) *das. lá við dvergr. d. í T. þá lungtorgs líkn, er l. v. R.*, i. e. ea nocte, qua lusimus c. Ribbungis. *h*) *lintorgs*, *H*; *lyngstorgs*, *B*, *F*, *G*, quas lectt. brevitati studens omitto; *lungtorg*, sedes pulmonis, pectus v. corpus, *lungtorgs líkn*, solatium corporis, tam quietem, quam noctem significare potest. *i*) *at*, *add.* *F*, *G*, commodo sensu, i. e. *lá-at dasinn við dvergr. dísi*, non fessus cubuit, ubi partic. negat. verbo juncta in sensu pertinet ad adjectivum, ut sæpius. *k*) *dvergrann*, habitaculum nani, lapis, it. ex usu poetico, torques lapillis constans, cujus *dís*, femina, i. e. amica Thoreris. Aliam interpretationem hujus strophæ, multum ab hac diversam, videsis in Hk. T. 6.

manum aliquam adversus eos usquequaque misit. Autumno nuntium misit episcopo Nicolao, ut consilium daret delendæ Ribbungorum factionis; episcopus autem mulierem, cui nomen erat Asæ Blodæ[2], concubinam Gudolvi, adduxit, ut Ribbungos ad pacem cum dynasta faciendam hortaretur.

Pax inter Sigurdum Ribbungum et dynastam.

84. Sigurdus Ribbungus æstate certos homines subornavit, qui explorarent, quas pacis conditiones dynasta sibi concessurus esset, si omni cum Birkibeinis contentione destitisset. Quæ res cum ad dynastam delata esset, facilem se præbuit, et quid Sigurdus postularet scire cupivit[2]. Itaque Sigurdus voluntatem suam aperuit, et postulavit, ut tertia Norvegiæ pars sibi concederetur, dynastaque filiam suam matrimonio secum jungeret. Quod cum dynasta audisset, ita respondit: in potestate regis Hakonis situm est, quantum regni cum Sigurdo communicare velit, ego vero haud me opinor filiam meam nuptum in silvas daturum, neque quicquam de triente regni, quæ meæ ditionis est, concessurum; hoc autem ei polliceor, si in congressum meum venerit, pacem cum omnibus suis impetraturum; idem efficiam, ut ei regem tuto convenire negotiumque suum coram eo agere liceat[3], neque vero tum obstabo, quo minus honestas conditiones ab rege impetret[4]. Quæ conditiones cum ad Ribbungos delatæ essent, iniquiores, quam opinati fuerant, videbantur. Cum vero

[1]) Blakkæ, *B, H*; Blokkæ, *F*; *omitt. G.* [2]) tum incepere missiones literarum et legatorum, *add. B, F, H*; tum crebri internuntii inter eos commeare cœperunt, *add. G.* [3]) de regni partitione aliisve conditionibus, ab his adjutus, qui ejus causæ patrocinari voluerint, *add. F.* [4]) Jam eligat, utrum has conditiones præoptet, an malit cum nobis Birkibeinis bellum gerere, *add. F, H.*

res eorum in locum tam iniquum deductæ essent, ut [nusquam tuto versari possent[1], Sigurdus, securitate stipulata, se Skulio dynastæ dedidit, regium nomen deposuit, factionem in potestatem dynastæ tradidit, vicissim amicitiam dynastæ ejusque apud regem intercessionem[2] depactus; quo facto dynasta eum liberaliter excepit. Quæ victoria ab dynasta reportata[3] pulcerrima esse existimabatur, quod adeo validam Ribbungorum factionem sine armis sustulisset[; tum tota Norvegia pace utebatur[4]. Hoc vere, quo Sigurdus cum dynasta versabatur, dynasta in Daniam[5] profectus est. Qui cum Havniam venisset, Henricus comes Valdemarem Danorum regem vivum ceperat; quibus rebus cognitis, dynasta reversus est.

Principum conventus indictus.

85. Rex Hakon [hac hieme[6] Bergis se continebat; quæ hiems sexta erat imperii ejus. Vere proxime insequenti legatis inter regem et Skulium commeantibus constitutum est, ut sequenti æstate principum conventus Bergis haberetur, quo[7] omnes amplissimi regni cives convenirent; nam etsi bona tum pax erat, tamen hi ex regni incolis, qui se ad honores producere cupiebant, partem paternæ regis hereditatis vehementer postulabant; cumque rex juvenis esset, aliique diu antea paternam ejus possessionem tenuissent, magnus erat numerus hominum, quo studia sua

---

[1]) neque in Vika neque in Uplandis tuto manendi tuendive se facultas esset, neque facile videretur, partes regni boreales, quæ ab rege defendebantur, tentare, id consilii ceperunt, ut (m. m.), *F.* [2]) ad honestas conditiones impetrandas, *add. F.* [3]) communi judicio Vikensium, *add. F.* [4]) et effecisset, ut tum t. N. p uteretur, *F.* [5]) cum tredecim navibus, *add. B, F, G.* [6]) interea, *H.* [7]) tam qui jus aliquod imperii Norvegici habere sibi viderentur, quam, *add. H.*

inclinarent, ambigentium: nam fuerunt, in primis ex proceribus, qui, veteribus odiis, quibus regem Sverrerem prosecuti fuerant, stimulati, familiam regiam progeniemque Sverreris regis pervertere libenter cupiebant, dum [omnis populi multitudo[1], tam in borealibus quam meridianis regni partibus, regi Hakoni favebat.

De rege, episcopis ac præfectis.

86. Hic conventus incepit vigilia festi Olavi. Rex Bergis aderat, et Havardus episcopus[2] Stavangriensis, Sörkver episcopus Færeyensis, et hi clerici ordinis: Nicolaus archidiaconus, Sigurdus abbas: hi præfecti: Paulus Flida, Petrus filius ejus, Brynjolvus Knuti filius, Jon Stalus, Gautus Melensis, Ivar Nevus. Aderant et Jon dynasta Orcadensis et Bjarnius episcopus, Gregorius Kikus ab Hjaltlandia. Aderant et prætores ex conventu Gulensi: Dagfinnus colonus, Amundius Remba[3]; ex conventu Thrandheimensi: Guttormus archiepiscopus, Svein prior monasterii Elgisetrensis, Asgautus abbas monasterii Holmensis, Sigurdus abbas Totrensis, magister Bjarnius, Petrus Husastadensis, Eystein dispensator; hi præfecti: Gregorius Jonis, Paulus Vagaskalma, Asolvus Ostrattensis; hi prætores: Gunnar Grjonbakus, Bjarnius Mordi filius, Thorstein Asmundi; ex Vika advenere: Skulius dynasta, Arnbjorn Jonis, Lodin Gunnii[4], Lodin Pauli[5], Simon Kyr, Eystein prætor, Thordus Skollius; ex Uplandis hi prætores: Saxius Haugensis, Thordus Gudmundi, et præfecti: Halvardus Brattius, Gunn-

---

[1]) plerique omnes Norvegiæ coloni, *G.* [2]) et Henrikus episcopus, *add. F, G.* [3]) et amplissimi coloni ex quaque provincia, abbates et omnes præfecti ex Thrandheimo, *add. G.* Nominati quoque sunt coloni ex quaque provincia, acceptissimi et optimi; aderant abbates et omnes præfecti, *B, F, H.* [4]) Gunnaris, *F, H.* [5]) Petri, *F.*

bjorn Jonis[1] frater, Kolbjorn Rufus, Haraldus Vesetius[2]. Ex quibus plerique Skulio dynastæ demonstrasse et persvasisse dicuntur, [eum legitimum esse successorem regni Norvegici[3] post mortuum regem Ingium. Advenit Nicolaus episcopus Osloensis, Askatinus abbas Hofudeyensis, Ormus abbas Tunsbergensis[4], Amundius Grænlandensis, Olavus Kongelensis[5], Haraldus Stangarfylja[6], Thorgeir episcopi minister, Havardus Sundbuensis, Fridrekus Slavsius, Endridius Bekil, Eilivus Kikus[7].

Professi sunt viri rerum periti[8], conventum lectissimis viris celebriorem sua ætate Bergis[9] non habitum esse. [Principes assiduos congressus habuerunt[10]. Hi[11] consiliarii regis erant: Martinus Kinnzarvikensis[12], Sigurdus Onarheimensis, Askel capellanus[13], postea episcopus, et Ivar Boddius. Hi regis nomine archiepiscopo nuntiarunt, ut in palatio ligneo convenirent, ceterique omnes principes, præfecti prætoresque. Hic congressus die dominica proxima post festum Mariæ prius haberetur. Cumque palatium

---

1) filius, *add. H; tum sequens frater monachum designat.* 2) *omitt. G.* 3) regiam dignitatem proximo jure ad eum pertinere, *H.* 4) Hofudeyensis, Eyrikus abbas Tunsbergensis, 2 *Fol. membr. in* 4°. Hi præpositi (præfecti, *G*): Ivar Geslingus Osloensis, Jufreyus Tunsbergensis, *add. B, F, G.* 5) Thorgeir archidiaconus Uplandensis, magister Thorleivus, Bardus præpositus, et hi præfeeti: Olavus Mokus, *add. B, F.* 6) Aslakus, *add. F.* 7) Keikus, *B, F, G.* 8) qui eo tempore Bergis erant, *add. B. F, H, G.* 9) in Norvegia, *G. B, H; in* regis Norvegiei imperio, *F.* 10) Principes assidue conveniebant, interdumque conventus inter se habebant, quisque eum consiliariis suis, *B, F, G, H.* 11) præter præfectos, *add. F.* 12) Kinnztrarvikensis, *F.* 13) ejus, *add. B, F; 2 Fol. membr. in 4° hunc Askatinum appellant Jonis filium, postea episcopum Stavangriensem, fratrem Arnbjornis et Gauti Melensis.*

ingressi aliquamdiu sedissent, rex locutus est[1]: tibi, domine archiepiscope, ceterisque episcopis plurimisque viris excellentibus, qui huc convenere, notum est, huc adesse, qui de regno Norvegiæ jure contendere velint, ego vero putaram, meam esse paternam hereditatem, meque jure natalium[2] justum esse Norvegiæ possessorem. Quoniam vero hic conventus hoc loco[3] condictus fuit, tu, domine[, vera hujus negotii argumenta perspicere debes[4], tu enim tam jure divino quam humano princeps creatus es, rerumque inter homines controversarum interpretem agere, neque quemquam metuere, quin quæ vera esse scieris[5] eloquare; nosti enim, quo quisque jure hoc imperium sibi vindicet.

Oratio archiepiscopi.

87. Archiepiscopus[6] respondit: nostri sane officii esset, domine rex, unicuique homini, [si possemus, jus reddere[7]. Multorum hominum, qui jus Norvegiæ sibi vindicant, postulata audivimus, quorum ratio etsi nobis nota est, tamen aliorum sententias libenter audire volumus, eaque in medium proferre, quæ nos Deus docuerit, adhibito bonorum virorum hic præsentium consilio. Oramus itaque et Dei nomine præcipimus ut unusquisque, quod hac de re verissimum [8]noverit, proferat. Tu, rex Hakon, in posses-

[1]) huoc in modum sermonem orsus est, *H.* [2]) prisco novoque, *add. B, F, G.* [3]) ab omoibus prudentissimis regni civibus, *add. B, F.* [4]) episcope, ca verba de hoc negotio facere debes, quæ et normæ loco esse possint (rem ipsam expeditiorem reddant), et tamen veris argumentis nitaotur, *add. B, F*; ca haoe in rem proferre debes, qoæ ad verum cognoscendom faciaot, *H.* [5]) sive grata sive ingrata futura, *add. B, F, H.* [6]) honc in modum, *add. F.* [7]) quæ vera esse noverimus, coosulere, *G*; quod fieri Deus jubeat, *add. F, G.* [8]) coram Deo, *add. F*; coram Deo et hominibus, *add. G.*

sione regni es, et omnes amici tui testantur, te jure patris tui omniumque majorum tuorum heredem esse Norvegiæ, quod regnum vir post virum rexit, ordine successionis nulla prole feminea interrupto; et vera esse quæ loquaris, plerosque[1] testaturos opinor. Advenit ab oriente cum multis excellentibus viris Skulius dynasta, qui se heredem regis Ingii, fratris sui profitetur, quod complures amicos ejus testimoniis suis comprobare audivimus. Adest et Guttormus, regis Ingii filius, jus Norvegiæ sibi, patre mortuo, vindicans. Hic quoque est Sigurdus Ribbungus, dynastæ adhærens, filius Erlingi Steinveggi, qui, jure a rege Magno, quem avum suum paternum appellat, tradito, Norvegiam ad se pertinere arbitratur. Adsunt legati ab oriente ex Gothia, ab juvene principe Knuto, Hakonis dynastæ filio, missi, qui ejus nomine contendunt, id quod verum esse constat, eum legitimum heredem esse dynastæ, itemque Ingii regis, secundum pacta, quæ inter ipsos[2] in comitiis Eyrensibus facta sunt; [sunt hic literæ[3], testantes, eum, qui legitime natum heredem reliquisset, in utriusque opes succedere debere[4]. Etsi vero novimus, cui nostrum calculum adjicere velimus, tamen plurium hominum de hoc negotio sententias audire cupimus[5].

Oratio Skulii dynastæ.

88. Skulius dynasta hunc in modum verba fecit: constat, domine archiepiscope, me fratrem esse Ingii regis, eodem natum patre et legitimo

---

[1]) regni borealis incolas, *add B.* [2]) fratres, ut antea scriptum est, *add. H.* [3]) sigillis fratrum et Thoreris archiepiscopi ceterorumque episcoporum munitæ, *add F.* [4]) *omitt. G.* [5]) Jam oramus omnes homines hic præsentes, præfectos, clericos et laicos ut id hanc in rem proponant, quod verissimum esse coram Deo (secundum conscientiam suam) noverint, *B, F, H, G.*

connubio procreatum, ejusdemque legitimum heredem, secundum leges sancti Olavi regis. Rex Hakon reposuit: tu vero regi Ingio heres es omnium, quæ patre mortuo jure accepistis, non Norvegiæ, cui [hereditati paternæ custos meo[1] nomine rex Ingius impositus fuit. Dynasta respondit: ego vero contendo, me in omnia jura, quæ habuerit, heredem succedere. Cui rex: id jam scies, utrum Norvegiam mortuo patre meo hereditate acceperit, an regno auctoritate bonorum virorum custodiendo impositus fuerit. [Ut vero sensit archiepiscopus, colloquium inter eos indignatione non carere, abstineri talibus verbis jussit; quo facto [amici utriusque, quæ cuique libuerunt[2], in medium proferebant.

Oratio Jonis Stali.

89. Dein Jon Stalus surrexit, et locutus est: nos veterani Birkibeini, quo tempore sangvinem nostrum profudimus, et sub Sverrere rege militantes maximos labores pertulimus, haud opinati eramus tali opus fore colloquio; omnes enim pugnavimus, ut ipsi progenieique suæ patrimonium ejus vindicaremus. Neque tamen mirum est, Skulium dynastam hoc negotium urgere; audivimus enim, esse sub hoc tecto prætores, qui dynastæ palam demonstraverint, eum post regem Ingium legitimum esse Norvegiæ heredem; quæ verba ad vos spectant, Amundi Remba et Eystein Roii, istic in scamno sedentes. Amundius exilire et respondere: ubi tum fuisti[3], cum hæc coram te locutus sum, aut reperi[4] mihi eum, coram quo hæc locutus sim. Eystein quoque[5] hæc a se verba dicta negavit. Hic Arn-

[1]) custos legitimi successoris, *G.* [2]) multi verba ad pacem spectantia, *G*; *a priore signo* [: archiepiscopus eos finem dicendi facere jussit, se nolle dicens, ullas inter eos discordias oriri, *H.* [3]) Jon Stale, *add. B, F.* [4]) dic, *F.* [5]) surgens, *add F.*

bjorn Jonis: fieri potest, ut hæc quidem locuti fuerint prætores nostri, sed magis mulso[1], quam legibus sancti Olavi regis imbuti, forsitan et largitionibus corrupti.

Oratio regis Hakonis ad Gunnarem.

90. Rex Hakon[2] locutus est: ne vos inquisitionem hujus rei ita instituatis. Quin primo consulamus prætorem, qui [ex contributis[3] conventus Thrandheimensis, ubi [rex legitime creatur, primus est[4], prætorumque regni natu maximus, qui ætate regis Sverreris et archiepiscopi Eysteinis præturam inierit; in quo cum neque dolus neque fraus aut injustitia deprehensa sit, inter omnes constat, eum hujus regni incolas prudentia antecellere. Cumque, Gunnar colone, res ad te rejiciatur, omnibus audientibus pronuntia, quæ de causa nostra, qui Norvegiam nobis vindicamus, verissime coram Deo nosti.

Sententia Gunnaris coloni prætoris.

91. Gunnar cunctantius sermonem orsus: jubes me, domine rex, inquit, in hoc cœtu principum pronuntiare, cujus vestrum Norvegia sit; quod magnæ molis negotium est homini rusticuli filio, tantas opes assignare, uni adjudicare quod reliquis abjudicaris; atque mihi accidere sentio, quod pluribus arbitror, ut tremens timensque rem aggrediar. Nam, cum rex Sverrer hanc mihi provinciam demandavit, inter rusticulos me decernere jussit, non inter principes, in primis præsentibus ipsis, quorum res aguntur. Audivi nuper prætores tradita præcepta se scire dissimulantes; quam ob rem cum plerique [cedere potentiæ[5] soleant, difficultatem hujus rei expediendæ non suscipiam. Cum vero plerisque no-

[1]) levitate animi, *B.* [2]) surrexit et, *add. F.* [3]) *omitt. G.* [4]) sedes regia legitima est, præsidet, *G.* [5]) timere potentiam, *B, F, G.*

strum, rusticulis natorum, justa tantarum decidendarum rerum prudentia desit, nonnullique amicitiis forsitan nimium tribuant, interpretem adducam veri scientem, veraque loquentem, sive audiat potens, sive tenuis, neque metuentem, si cui displiceat: dico codicem sancti Olavi regis, qui ejus jussu toti Norvegiæ datus, et postea ab omnibus Norvegiæ regibus, qui recta sequi voluerint, comprobatus[1] fuit. Cujus præcepta si, quantum in me est, in antecessum pronuntianda mihi sunt, edico, Norvegiam, præ omnibus hominibus qui hodie eam sibi vindicant, ad solum regem Hakonem jure pertinere; atque si uterque hodie, et rex Ingius et Hakon dynasta, in regni possessione essent, sic edicerem, neque Skulium dynastam post regem Ingium fratrem suum, neque juvenem principem Knutum post Hakonem patrem suum, neque Guttormum post patrem regem Ingium, ullum habere jus Norvegiæ, vivente rege Hakone. Filio autem Erlingi Steinveggi nullum jus dico, non enim habeo; ei jus Vikenses dicant, qui cum eum patremque ejus ad regni honorem provexerint, scient, credo, unde ei patrimonium suum repetendum sit. Jamque finem in præsens dicendi facio.

De Dagfinno colono.

92. Dein rex Dagfinnum colonum, qui proximam conventus Gulensis præturam tenuit, quod verissimum coram Deo sciret, edicere jussit. Dagfinnus locutus est: adolescens veni ad regem Sverrerem sub quo in aliquot præliis militavi, uno, quod cum Insulanis in Florovogis, altero, quod cum Baglis in campis Jonicis commisit. Qui, pugnam commissurus, hoc modo præfatus est: adsis nobis, Deus, et sancta Maria, et sancte Olave rex! mihi Deus ita victoriam

[1]) observatus, *F.*

[1]concedat, ut justam causam, paternamque hereditatem defendendam habeo, illi qui adversum[2] sunt, injustam. Cumque ad eum ejusque progeniem regnum jure pertineat, decerno, Deum contestans, Norvegiam ad Hakonem regem, neminem vero ceterorum competitorum, jure pertinere; cui decreto prætoritio hoc adjungo, quod pro eo dimicare morique, si opus erit, cupio. Quam orationem plerique collaudarunt.

De Amundio Remba.

93. Tum Amundio Rembæ, provinciæ Rygensis prætori, rex Hakon: quoniam, Amundi colone[3], inquit, nonnulla verba jactasse diceris, Norvegiam ad me jure non pertinere, jam quod verissimum coram Deo nosti, eloquere. Amundius respondit: multa quidem Skulio dynastæ munera debeo, totiesque cum eo fui laute habitus, ut inire numerum non possim; verum tamen neque prudentiam neque integritatem adeo potando everti, ut [ob id[4] virtutem aut veritatem abjecerim. Nam Deum testatus me scire confirmo, regem Hakonem legitimum esse patris sui heredem, jureque majorum natum ad totius Norvegiæ imperium. Id autem sæpius dixi, Skulium dynastam justum legitimumque heredem esse regis Ingii fratris sui, natumque ad omnem hereditatem, quam ille legitime accepit. Sed ut sermonem meum ad quosdam vestrum, episcopi præfectique, convertam, jam ea confiteamini, quæ majori cum fandi libertate locuti estis, quando nos omnes apud dynastam accubuimus[5] laute habiti, eximiaque ab eo munera accepimus. Neque enim vos titulis cum magna potestate ornatos subterfugere veritatem decet. Nam et sæpius et pluribus adhortationibus vos Skulium ad

[1]) hodie, *add. F, G.* [2]) me, *add. F, H.* [3]) prætor, *G.* [4]) pecunia corruptus, *G.* [5]) potavimus, *G.*

postulandum regnum Norvegiæ instigastis, quam prætura Amundii, et si vestro arbitratu licuisset, jam pridem bellum commovisset. Sed Deus regi dynastæque bonam pacem concedat. Quibus cum plura non possim in præsenti adjicere, Deum obsecro, ut quicunque pejus, quam Amundius Remba, in hanc rem consuluerit, is jam cornu capite gestet, neque mitræ episcopali simile. Hic Arnbjorn Jonis Eysteinem Roii allocutus: Eystein, coalumne et contubernalis, nos ambo, veterani Baglorum, diu eodem usi contubernio, jam ea profiteamur, quæ sæpius coram dynasta locuti sumus. Cui Eystein: complures quidem nostrum ea verba coram dynasta locutos arbitror, quæ se locutos jam omnes non fatebuntur, id autem vere possum affirmare, me neque coram te, neque coram illo locutum fuisse, Norvegiæ regnum ad Hakonem regem[1] non jure pertinere.

Decretum Thordi Skollii.

94. Dein Thordus Skollius, cujus præturæ regiones ab Svinasundo in orientem versæ suberant, jussus ab rege secundum leges dicere sententiam; non eam ob causam prætor sum appellatus[2], inquit, quod ullam habeam legum scientiam; sæpe quidem controversias inter rusticulos composui, de jure autem regum verba facere meæ intelligentiæ non est, neque putaram, mei officii esse inter eos decernere. Thordus vero pater meus, veri nominis prætor, mihi sic dixit, patrem suum sibi [ceterosque majores nostros[3] dixisse, quamdiu existeret aliquis regis filius, ad hunc oportere Norvegos studia sua convertere, atque addidisse, qui adversum hunc starent, eos nunquam successu usuros.

[1]) post patrem jureque majorum, *add. F*; secundum leges regis Olavi a primis inde temporibus comprobatas, *add. B.* [2]) *omitt. F.* [3]) *omitt. G, H.*

Sententia Saxii prætoris.

95. Postea Saxius Haugensis, prætor Heidmarkæ, ab rege sententiam secundum leges hac de re dicere jussus: fui, inquit, cum patre hujus regis, atque omnes, [tam episcopos quam populum universum[1], audivi dicentes, postquam rex vita decesserat, se libenter ejus filio, si quis esset, velle subjectos esse; neque ego aliud legibus consentaneum esse pronuntio, quam ut hic patre mortuo totius Norvegiæ jus habeat.

Sententia Thoreris.

96. Tum rex Thorerem prætorem suam aperire sententiam jussit, qui ex [meridiana Uplandorum parte[2] erat. Thorer sic locutus est: etsi tam amens essem aut malevolus, ut aliud, quam hi viri[3] jam dixerunt, pronuntiarem, mea verba nihili æstimarentur. Jam vero, Deum obtestor, mihi conscius sum, nunquam me ad hoc tempus aliud dixisse, quam quod coram Deo nunc pronuntio, totam Norvegiam jure hereditatis ad regem Hakonem pertinere, atquė hoc addo, ut nos omnes Norvegiæ incolæ regis filio, quoad hujus facultas erit, studeamus; [quo facto Norvegiæ res florebunt, [qualicunque deinceps fortuna usura sit[4].

Oratio Guttormi archiepiscopi.

97. Guttormus archiepiscopus, cum prætores peroraverant, infit: jam audivimus, quid prætores nostri locuti sunt, quorum etsi suo quisque modo rem explicarit, tamen idem omnes dixerunt, id quod verum esse ante noveramus, quodque libenter concedimus, ad regem Hakonem solum ex iis, qui nunc superstites sunt, jure he-

[1]) laicos et clericos, *H.* [2]) Landis, *H.* [3]) prætores, *B, F.*
[4]) dum res sic erit, *H*; *a priore* [: alioquin nos omnes prave facimus, *G*

reditatis legitimo universam Norvegiam pertinere. Omnem tamen constitutionem et pactionem, quæ antea inter regem Hakonem et Skulium dynastam de partitione regni facta est, ratam esse volumus; nam eo demum pacto pacem conservatam iri spes est, si eorum animi concordia coaluerint. Et regem oramus, ut Guttormum, cognatum suum, quam maximis beneficiis ornet; de Sigurdo autem Ribbungo nihil dicere habemus. [Tum complures ad pacem et concordiam hortati sunt[1].

Colloquium regis ac dynastæ de quadripartita regni divisione[2].

98[3]. Post hæc rex ac dynasta collocuti[4] sunt; rexque significavit, se tum orientem versus in Vikam profecturum, velle vero dynastam boream versus in Thrandheimum proficisci. Qua proposita conditione[5], rex præcepit, ut regnum [in tres partes divideretur, quarum[6] longissime

---

[1]) Post hæc Gunnar Grjonbakus et Dagfinnus colonus, sua quisque habita oratione, regem dynastamque ad pacem et concordiam hortati sunt; isque hujus conventus finis fuit, *B, F.* [2]) *add. H.* [3]) Post hæc rex ac dynasta (quotidie) congressi, de consiliis suis deliberabant Cumque sermo esset de tripartita regni divisione, dynasta postulante, ut fines trientis meridiani septemtrionem versus ad Saltsyram (Saltsyriam, *B;* Sallsuram, *H*) usque extenderentur, rex significavit, quamvis ampliorem quam pro exemplis veteribus provinciam habiturus esset, si fines ab Rygjarbito ad orientales regni terminos descripti essent, tamen se hoc contentum fore, societatis et pacis (affinitatis, *H*) gratia. Sic ea vice digressi sunt. Post hæc præfecti, Andreas Jonis, Lodin Gunnii, præfectique Vikenses, adeuntes ad regem orarunt, ut ipse partes orientales sibi haberet, dynastam partibus borealibus, nempe provinciis Thrandheimensibus, præficeret. Idem petiit episcopus Nicolaus, qui regi pollicitus est, se ei omnibus in rebus privatis publicisque amicum (fidelem) futurum, *add. cet.* [4]) congressi, *F.* [5]) cum de tripartita regni divisione sermo haberetur, *add. F.* [6]) secundum leges divideretur, parsque, *F, H.*

in boream versa ab septemtrione ad Sunnmæriam pertineret, dynasta postulante, ut meridiem versus ad mare usque Sognicum extenderetur; quo facto decem tantum præfecturæ maritimæ deerant, quin dimidium regni haberet. Rex id nullo modo fieri posse adseverabat. Sed archiepiscopo unacum dynasta precante, ut divisio inter eos ea ratione fieret, qua inter se differrent archiepiscopi et episcopi Bergensis provinciæ, hoc auctoritate archiepiscopi confirmatum est. Convenienter ad hanc constitutionem literæ conscriptæ, sigillisque regis, archiepiscopi, dynastæ et episcoporum suffraganeorum consignatæ, quæ ratam inter eos juberent hanc constitutionem; et si provinciæ regiæ bello vexarentur, dynasta tam in regni partes orientales quam boreales, si regi opus esset, proficisci teneretur. Dein[1] episcopi et præfecti domum proficisci parabant Rex, quibus maximam fiduciam habebat ex borealibus partibus delectos, præfectos in Vika constituit; dynasta suos secum amicos habuit. Gulbringam, quam navium maximam possidebat, orientem versus rex præmisit, præfectis Bjorne avunculo et Olavo Ingæ filio, ipse aliquanto post se ad proficiscendum paravit, [Sigurdumque Ribbungum se orientem versus in Vikam comitari jussit, quod ille se facturum pollicitus est[2].

De Skulio dynasta et Sigurdo Ribbungo.

99. Quod ubi dynasta cognovit, fidem Sigurdo fecit, non omnia tuta fore; unde factum est, ut Sigurdus dynastam in partes septemtrionales proficiscentem comitaretur. Rex dynastam antequam diversi discessissent, allocutus: quo-

[1]) His constitutis rebus, *add. F, G, H.* [2]) Sigurdus, quondam Ribbungorum rex, petivit a rege, ut sibi cum orientem versus in Vikam comitari liceret, quod rex ei permisit, *F, G, H.*

niam, inquit, Sigurdum tecum, dynasta, versari cupis, liberaliter eum habeas velim, provideque ne quid negotii nobis facessat. Dynasta se ita facturum pollicitus est. Itaque dynasta cum præfectis suis et copiis in partes regni boreales proficiscitur, rex orientem versus in Vikam contendit, Tunsbergumque venit die dominica, quæ tempus adventus domini incepit, et ab omnibus oppidanis bene exceptus est. Episcopus Nicolaus, qui Tunsbergi erat, regem advenientem honorifice[1] exceptum multis muneribus donavit; cui rex provinciæ Osloensis partem septemtrionalem contulit, navemque quindecim[2] transtrorum cum omnibus armamentis dedit. Tribus ante festum jolense noctibus episcopus Tunsbergo solvit, et prima festi feria in Laufeyis commorabatur. Tum rex, misso ad eum præposito Jofreyo et Dagfinno colono, eum ad se invitavit, ut festum jolense apud se celebraret; [sed ventis secundis adspirantibus, episcopus tertia die, gratiis regi pro invitatione actis, Osloam profectus est[3]. Tempore festi jolensis rex præfectos creavit Halvardum[4] Brattium et Simonem Kyram. Hæc septima fuit hiems imperii ejus.

Obitus archiepiscopi Guttormi.

100. Rex Hakon sub festum paschatis Osloam profectus est, ibique magnam partem veris consumsit[5]. Tum ab septemtrione venere missi ab canonicis et dynasta cum literis, nunciantes

[1]) summis blanditiis, *H.* [2]) duodeviginti, *F, H*; viginti, *G.* [3]) *ab signo:* episcopus se hac conditione usurum, si venti secundi ante diem tertium non afflarent, ostendit; sed eo ipso die venti Osloam proficiscentibus commodi flare cœperunt, *F, H*; tum episcopus Ivarem (Gunnarem) præpositum cum multis splendidis muneribus ad regem misit, *add. F, H, B.* [4]) Havardum *H.* [5]) habitans in ædibus Thorleiki sapientis, *add. G*; ædes enim regiæ, ex quo arserant, nondum erant reædificatæ, *add. B, F.*

obitum Guttormi archiepiscopi, insuperque in hujus locum electum ab iis [abbatem Sigurdum Totrensem[1]; qui eo tempore peregre versabatur. Petierunt a rege, ut hujus electionem suo consensu confirmaret, eumque literis ad pontificem Romanum datis commendaret. Rex [nihil ad hæc responsi dedit[2], ipse vero et episcopus pontifici Romano literas scripserunt, quibus Sigurdo restiterunt, petierunt vero, ut Petrus Husastadensis[3], qui tum literas dynastæ et canonicorum electionem Sigurdi commendantes ad pontificem Romanum perferebat, archiepiscopus crearetur; quod et Dei[4] benignitate factum est.

Literæ ab rege in Vermalandum missæ.

101. Sigurdus Ribbungus, quo tempore bellum adversus Birkibcinos gerebat, sæpius in Vermalando versatus fuerat, ibique regnum Hakonis regis infestaverat. Rex, literis[5] orientem versus missis, amplius viginti viros ad se arcessivit, qui iis locis [potentissimi erant[6]. Vermalandenses rem omnem regis arbitrio permiserunt; qui cum magnam eis pecuniæ multam irrogasset, eandem indulgentissime remisit; illi vero regi fidem suam jurejurando obstrinxerunt, se ei fideles fore, neque unquam passuros, inimicos ejus sua in terra successu uti[7]. Rex

---

1) Sigurdum, qui abbas Totræ fuerat, *B, F, H.* 2) hac de re cum episcopo Nicolao collocutus est, iique judicarunt, eum, qui de munere antea delato appellatus esset, ad tantas res minime idoneum esse; quo et accessit, quod regi parum amicus erat, *F, B, G.* 3) *sic ceteri*; Husabæensis, *A.* 4) pontificis, *B.* 5) eodem vere, *add. F.* 6) ad hanc rem componendam maxime idonei erant. Hi regem Tunsbergi convenerunt; quo et multi coloni adfuere, qui populationibus maxime vexati Vermalandenses incusabant, *F, H, G.* 7) rex homines orientem versus misit cum literis, quæ in omnibus conventibus promulgatæ sunt, *add. F, G, H*; per totum Vermalandum, *add. G.*

Hakon eodem vere Osloa Tunsbergum proficisci paravit; atque festo trinitatis, cum milites suos convivio exciperet, [tumultus aliquis in oppido extitit inter aulicos, speculatores et domesticos regios[1], in quo quinque homines cecidere, complures vulnerati sunt; rex ipse, antequam eos dirimere posset, magno se periculo exposuit. Post hæc rex septemtrionem versus Bergas profectus est, quo ad eum ab occidentalibus regionibus advenere, Gillikristus et Ottar Snækolli filius multique Hebudenses, multas literas [et negotia, ad suam terram pertinentia[2], afferentes. Eodem et delatus Jon dynasta Orcadensis, de rebus intercedentibus compositione cum rege facta, Haraldum filium suum obsidem dedit, et ea æstate apud regem versatus est.

Cædes Arnii aulici.

102. Eadem æstate Skulius dynasta septemtrionem versus in Halogiam profectus, ad mercatum Vogensem venit, comitante Sigurdo Ribbungo. Ivar Utvika, qui in prora navis dynastæ erat, navem Kirkjovogis appulit. Postero mane dynasta somno experrectus, omnes navis propugnatores, qui ante malum[3] stationem habere consverant, abesse sensit. Quærenti, ubi essent, nuntiatur, conventus in Vogis[4] habere, et plerosque armis instructos esse. Dynasta, solis vestibus[5] linteis indutus, gladium manu tenens, exiliit, iisque, qui in navi remanserant, comitatus cum in Vogos venisset, hoc loco acciderat, ut Bardus Flekkus et Thordus sacerdos, filius Eiriki[6] Baggi[7], Arnium, Pauli Vagaskalmæ sororis filium et aulicum, interfecissent, quod Audgri-

[1]) domestici regii et speculatores inter se depugnarunt, *H.* [2]) de necessitatibus earum terrarum, *F, G, H.* [3]) interscalmium sentinæ exhauriendæ, *H, G, B, F.* [4]) Vogo, *F.* [5]) braccis, *H.* [6]) sacerdotis, *B.* [7]) Bagi, *B, F.*

suum[1] contubernalem eorum innocentem occidisset. Dynasta hanc rem ægre tulit. Ivar autem, qui eis se comitem adjunxerat, patrocinium aulicorum in se suscepit[2]. Maneque habitò conventu, Ivare satisfactionem pro cæde offerente, Paulus respondit, Ivari magis necesse fuisse, a Bjarmia profectum navigationem suam diligentius instituisse, neque optimos colonorum filios ea profectione perdidisse, quam antesignanum se præbere aulicorum regis et dynastæ, suorum vero contubernalium, interficiendorum, neque se ullam esse ab eo satisfactionem accepturum. Quibus actis conventus dimissus est.

Fuga Sigurdi Ribbungi.

103. Skulius dynasta, peractis in Halogia negotiis suis, a septemtrione reversus est. Cum Nidarosum pervenit, allatæ ex Vermalando literæ clandestinæ erant ad Sigurdum Ribbungum a quibusdam Vermalandensium, qui regi Hakoni nuper fidem jurarant, antea vero Sigurdo nomen dederant, ut a dynasta[3] fugere et ad eos elabi conaretur. Erlingus Rumstavus, Sigurdi antea signifer, tum consiliarius, cum eo hanc iniit rationem, ut primo mane diei, vesperam vigiliæ Olavi antecedentis, cum amicula canonicorum a clericis commodassent, oppido egressi agros transirent, præteritisque Steinbjargis in Gaularasum ascenderent, ubi aliquamdiu delituerunt. Cum res divina in oppido peragebatur, dynastæ nuntiatum est, Sigurdum aufugisse. Quo cognito dynasta homines eum quæsitum in omnes partes ab oppido dimisit, navibus equisque; neque inventus est. Dynasta hominem Islandum, Andream Thorsteinis filium, Sæmundi Oddensis ex fratre

[1]) Agdanesum, *add. F, G, H.* [2]) Paulus colonus eadem nocte exierat, hancque rem ægerrime tulit, *add. F.* [3]) ex potestate dynastæ, *F.*

nepotem, qui versatus cum Sigurdo fuerat, prehendi jussit, quo loco se contineret, eum scire contendens. Qui cum rem significare nollet[1], jussu dynastæ suspensus est. Dynasta clericum quoque, cui nomen Bardo, [qui amicula commodaverat[2], reum egit. Gudmundus episcopus, qui eo tempore in oppido erat, dynastam multis vehementibus verbis increpuit ob necem Andreæ, qui antea assiduus episcopo adhæserat. Dynasta literas ad regem misit, eumque certiorem fecit, Sigurdum aufugisse, [veroque esse simile, eum[3] turbas concitaturum. Quo cognito rex literas[4] [orientem versus in Vikam[5] misit, suosque ut sibi caverent admonuit.

De Sigurdo Ribbungo et Olavo Moko, regis cognato.

104. Sigurdus Ribbungus, superato monte, in valles orientales concessit, ubi multis ei ex condicto occurrentibus, factionem instauravit[6]; inde orientem versus in Vermalandum perrexit, ubi magna hominum multitudo ad eum confluxit, hique præfecti: Thordus Ostmannus, Eirikus Latius, [Thordus[7] filius ejus, Halvardus Svadius[8], Thorbjorn Krigus[9]; hi omnino duodecim erant centuriones, quorum singuli multos secum homines adduxerant. Venerunt et ad eum Haraldus Skotunensis, Alvus Styris filius[10] et Gjardar frater ejus, et Amundius Folavallensis magna cum manu. Hos omnes advenientes Vermalandenses exceperunt, eique magnum auxilium præ-

[1]) non posset, G. [2]) cui amiculum fuerat, B, H. [3]) quem, etsi antea secum quiete placideque versatum, se jam arbitrari, B. [4]) nuntios, G; et per mediterranea et cursu maritimo, add. F. [5]) per totum regnum suum, G. [6]) signumque erexit, add. F, H, G. [7]) Oddus, F, G. [8]) Svaddius, G; ab [: Oddus Halvardi filius, H. [9]) Ringus, B, H; et Thorgeir Rigus, add. F, G. [10]) Haraldus Snaddus, add. B.

stiterunt. Inde Sigurdus cum suis in Norvegiam profectus devenit in Raumarikum; hic Olavum Mokum, regis cognatum, in Skauna[1] imprudentem oppresserunt, ædesque multitudine circumdederunt. Olavo, qui magnam circa se manum [multosque strenuos viros[2] habuit, Ribbungi pacem, nulli vero ceterorum, obtulerunt, quam ille, nisi universis concederetur, accepturum se negavit. Promissa pace, egressum Olavum retinuerunt, singulos suorum egredientes interfecerunt. Hic sexaginta homines et viginti aulici Hakonis regis perierunt. [Sic Sturla:

> Terribilis ille vir, ignem ferrei
> strepitus excitans, qui præfectos
> sternere cupivit, ab affini
> regis in Thrandheimo aufugit.
> Filius Erlingi per Uplanda
> ferro denuo grassatus est;
> gestores chalybum gravissimas
> clades ab Ribbungis acceperunt[3].

Ribbungi Olavum jusjurandum dicere jusserunt, se nunquam adversus eos staturum, alioquin eum se interfecturos minati. Ille jusjurandum dixit, et tamen sese illicita jurare demonstravit. At-

---

[1]) territorio, prædio Lyrina (Leorina, *F*; Leyringa, *B*) nuptias celebrantem, *add. B*, *F*, *G*. [2]) nobiles, aulicos et speculatores regios multosque alios viros excellentes, *F*.

[3]) *ab signo* [*omitt. G*. Constructio: *ygr a*) *járnsveims b*) *hyr-gildandi, sá er vildi steypa hersum, hljóp frá allvalds mági or þrándheimi Frændi Erlings c*) *lèt endr farit Upplönd bröndum; stála meiðar lutu d*) *stórþung e*) *stríð af Ribbungum.*

a) sic F, H; *uggr*, minus bene duplicato *g*, *A*. *b*) *járnseims*, *H*; *járnsveins*, *F*, utrumque mendose. *c*) i. e. Sigurdus Ribbungus. *d*) sic ceteri; *luta*, A, prave. *e*) *storðungar*, *F*, possent esse silvestrium locorum incolæ; potest quoque correctum esse ex *storðung*, id. q. *stórþung*.

que statim cum Olavus salvus evaserat, multitudo ad eum confluebat, ex qua numerosa et firma manu delecta, Ribbungos adortus, aliquot ex iis homines interfecit. Ideo vero quod Ribbungi cognatos[1] in quovis prædio Raumariki habebant, hi protinus de Olavo certiores facti, eum imprudentem oppresserunt, egressumque prope ab ædibus dejecerunt, plerosque ex stipatoribus, quos nuper sibi comparaverat, interfecerunt.

De Fridreko Slavsio.

105. Eo tempore Ivar Skedjohofensis[2] et Fridrekus Slavsius Heidmarkæ ab rege Hakone præfecti erant. Heidmarkenses egregiam virtutem ostenderunt; nam dimissa belli tessera homines ex quovis territorii triente evocarunt, excubias noctu interdiuque egerunt, unanimique totius Heidmarkæ consensu sanciverunt, qui non [postulante necessitate confestim præsto adesset[3], is proditionis in regem reus haberetur; centum homines ex quovis triente habuerunt ad pagos defendendos, ut Ribbungis eo irrumpendi nulla facultas daretur; quin, profectione ex pagis suscepta, partim orientem versus in Vermalandum ingredientes, partim in Raumarikum descendentes, Ribbungos adorti assiduis cladibus fatigarunt.

De rege Hakone.

106. Convenerat inter regem Hakonem et Skulium dynastam, ut hieme proxime insequenti rex nuptias suas Bergis celebraret, et uterque ibidem conveniret. Rex, uti antea constituerant, apparatum primo convivii jolensis, deinde epularum nuptialium curavit; autumno vero orientem versus in Vikam profectus; cum ex Rotto solvisset, Jadarem prænavigans sævam tempestatem

[1]) et amicos, *add. H.* [2]) Skeruhofensis, *F*; Skeidahof., *B.*
[3]) vitam opesque defensurus adversus Ribbungos secum iret, *H.*

nactus est, et sub occasum lucis, violentiam venti expertus, in Seleyas pervenit, incolumi, quam duxit, nave Sættaspillere (pacis turbatrice). Rex, statim ut portum ingressus erat, scapha conscensa reliquis navibus obviam provectus, proxime subsequentem Hákonem Kavisum, cujus navis, impetu navigationis debilitata, multum aquæ marinæ hauserat, præfixosque proræ clypeos perdiderat, in portum deduxit, atque in freto, donec omnes naves advenissent, substitit. Postero mane[1] fretum Hornborense ingressus, in onerarias incidit, nuntiantes, Ribbungos ab oriente ex Vermalando magnis cum copiis delatos Olavum Mokum interfecisse; in quo rex magnum damnum factum esse judicavit[2]. Inde rex Tunsbergum pervenit, ubi Asbjorn Jonis et Simon Kyra ad eum venerunt; his cum consilium suum, [ubi paratus esset[3], septemtrionem versus Bergas[4] proficiscendi, aperuisset, illi demonstrant, flagrans [iis locis[5] bellum ei necessitatem manendi imponere[6]. Itaque hanc rationem ineunt, ut rex Dagfinnum colonum et Hakonem Kavisum, impedimenta profectionis nuntiaturos, septemtrionem versus mitteret. Tum quoque literas[7] regi Svionum misit, memorans, quam ab Vermalandensibus cladem accepisset, petensque, ne vires inimicorum in regno suo invalescere pateretur, id enim inter reges superiores pactis convenisse, ut alter alterius hostes ex regno suo expelleret.

[1]) prænavigato promontorio, *add. B, F.* [2]) nam Olavus erat vir fortis regique cognatus, ita ut mater patris Olavi esset filia regis Haraldi Gillii; avus paternus Olavi, Olius Oargus, præfecturam Raumariki olim tenuerat, *add. B, F, H, G.* [3]) confectis negotiis, *F.* [4]) ad nuptias suas ex pactis cum dynasta factis celebrandas, *add. F.* [5]) in Vika, *F.* [6]) si ille discessisset, se confestim abituros denuntiantes, *add. F.* [7]) altera vice, *add. B, F, G.*

De rege et Askele.

107. Rege Hakone orientem versus Kongelam classe delato, omnes Ribbungi, qui id temporis in Vika erant, aufugientes in Markas se abripuerunt, rebus in Vika, quoad sè rex ibi contineret, quietis. Tum Askel prætor, cui Kristina, mater juvenis principis Knuti, nupserat, ad eum venit. Rex Knutum cognatum suum ad se tum invitavit, pollicitus, si apud se versaretur, eum ad summos honores producturum. Quod beneficium cum prætor benigne acciperet, tamen conditiones regi vix concedendas expetivit. Quum multa de hostilitatibus[1] ab Ribbungis[2] patratis disseruissent, [rexque se binas ad regem Svionum literas misisse, nullo reddito responso, demonstrasset[3], prætor hortatus est, ut tertias[4] literas mitteret, velle se, cum recitarentur, præsentem adesse, quæque libuisset[5] verba adjicere. Itaque rex Hakon literas scripsit ejus argumenti, ut Eirikus Svionum rex hostes ex regno suo ante octavam festi jolensis feriam ejectos haberet, alioquin non dubium fore, quin ipse damna sua ulcisceretur. Prætor pollicitus est, se certos nuntios ad regem ante octavam festi jolen-

[1]) rapinis et maleficiis, *G.* [2]) Vermalandensibus et Markomannis unacum Ribbungis in Norvegia *F, G, H.* [3]) venerunt huc (inquit) præfecti regii, graviter querentes damna, quæ ab Vermalandensibus et Gothis accepissent, quæ ferri diutius ab Norvegis posse negarunt. Prætor: etsi hæc res mei muneris aut potestatis non est, tamen suadeo, ut mihi literas ad regem Eirikum des, ut procuratores suos, gravissimis adjectis minis, jubeat hanc e regno multitudinem expellere. Rex Hakon: binas ad regem Eirikum literas dedimus, eademque responsa relata, se rem in melius mutaturum; sed nondum factum est, nam malum in dies invalescit, et quo diutius negotia inter nos exercemus, eo magis opes hostium quotidie crescunt, iisque auctoribus nos multos excellentes viros amisimus, *F, G, H.* [4]) ad regem Svionum, *add. F.* [5]) decerent, *F.*

sis feriam perlaturum. Qui cum honorifico convivio per biduum exceptus esset, et diversi discessissent, rex boream versus profectus, Tunsbergum septem ante festum jolense noctibus pervenit, accitisque ex Raumariko et Hadalando[1] præfectis magna ad regem multitudo convenit.

De consilio regis Hakonis.

108. Rex Hakon festum jolense summa magnificentia celebravit[2]. Venerunt ad eum assidue, qui rapinas et furta, ab Ribbungis, Vermalandensibus et Markomannis facta, conquerebantur. Festo jolensi allatæ literæ sunt Svionum regis, ex cujus verbis Hakon intelligere sibi visus est, eum[3] querelis suis minus promte occursurum. Quo cognito declaravit, se statim post festum jolense copiis adversus Vermalandenses ac Ribbungos ductis, damna sibi ab eis illata ulturum. Asbjorni Jonis nuntium misit, ut sibi ad silvam Eidensem occurreret; Simoni Kyræ, Bardo Brimsteini et Halvardo Brattio præcepit, ut ad se in Markis[4] venirent[5]; assidua[6] concilia cum suis habebat, et ut[7] arma sua pararent, hortatus est; misit in Foldam, ut equos ei paratos haberent. Vestfoldenses vero[8] adductos ducentos quadraginta equos benevolentia erga eum ducti dono dederunt.

De rege Hakone.

109. Rex Hakon Tunsbergo profectus est tribus noctibus post festum jolense, his ducibus, Nicolao Pauli, Gunnbjorne colono, Haraldo Stangarfylja; relictis ad tuendam arcem, Olavo Ingæ

---

[1]) et Uplandis, *add. F.* [2]) cum Eisteine prætore et Simone Vervikensi (Veturvikensi, *B*) consilia quotidie communicabat, *add. B, F.* [3]) Sviones (occursuros), *H.* [4]) cum omnibus Vikensibus, *add. B, F.* [5]) omnesque præfectos, qui in Uplandis erant, ad se arcessivit, *add. B, F.* [6]) quotidiana, *F.* [7]) se et, *add. F.* [8]) adeo liberales erant, ut (-darent), *F.*

filio, Eisteine Roii[1], cum ducentis quadraginta viris strenuis, sed ob ætatem gravioribus. Rex Hakon ex oppido celoce [per exteriora[2] vectus est; hæc octava erat hiems imperii ejus; [3]cumque in Hauksvikam venisset, huc adductis ad eum equis saginariis, eo loco cum omnibus copiis in terram vectus est[4]; prope [Eikabergensem silvam[5] delato occurrerunt, qui per mediterranea profecti erant, multique Osloa oppidanorum. Hic rex concionem ad suos habuit[6], significavit se binoctio Osloæ commoraturum, militesque ita profectionem instituere jussit. Episcopus Nicolaus, qui in oppido erat, cum regem in Vermalandum profecturum audisset, sacerdoti cuidam, cui Joni nomen, qui ab Vermalandia advenerat[7], fidem fecit, regem Hakonem cum omnibus copiis Norvegicis in Vermalandum profecturum, feminas infantesque inflammaturum; sacerdotes omnes scalis[8] impositos flagellatum iri. Sacerdos celeriter se abripuit, hunc nuntium, quacunque veniret, divulgat, biduo ab Norvegia in Vermalandum iter faciens[9]. Rex, Haraldo Stangarfylja [in oppidum misso[10], significavit, se in ædibus episcopi, dum[11] in oppido commoraretur, hospitari velle. Episcopus, quamvis dissociabilem inter vitulos luposque consortionem causaretur, tamen obviam ei equo vectus hospitium[12] venerabundus obtulit. Sed rex in ædes Halvardi

---

[1]) Onundo Brynjolvi, *add. F.* [2]) *omitt. H.* [3]) triduo iter per interiora in Haugsvikam fecit, *add. B, F.* [4]) ad interiora sinus, *add. H*; indeque in sinum Skjaldz, *add. F.* [5]) fauces Eikabergenses, *F, H*; Eikabergum, *G.* [6]) sollennique pacis formula suos ad concordiam hortatus, *add. F.* [7]) ad se vocato, *add. B, F.* [8]) vel climacibus (græc. *κλίμαξ*), de quibus tormenti instrumentis etiam mentionem facit Sturlæorum historiæ lib. 10. cap. 7. [9]) talisque fama regem præcurrebat, *add. F.* [10]) ad episcopum præmisso, *cet.* [11]) binoctio illo, quo, *cet.* [12]) omnia officia, *F.*

præfecti sui se contulit[1]. [Rex multis de rebus cum Dagfinno colono collocutus est, itemque qua ratione Sigurdo filio suo prospexisset, si non reverteretur, se enim nullum alium filium habere; hic (Signrdus) et Cecilia regis filia Kanga juvene nati erant[2]. Tum Dagfinnus colonus reversus, cum ab oriente Nesjas prætenlatus esset, adpulsu fluctuantis glaciei cursum in continentem convertere coactus est, ubi Ribbungi multis locis magnis cum catervis versabantur. Germani, quorum magnus numerus navibus mercatoriis in Sandafjordo[3] stabat, de rebus Dagfinni certiores facti, receptum ad sese liberaliter habuerunt, navemque ejus inter mercatorias constituerunt. Isakus Bæensis, provinciæ Sognensis præfectus, qui festo jolensi apud regem transacto domum redeundi veniam nactus erat, in easdem incidens fluctuantis glaciei angustias[4], ad Germanos quoque confugit, et ab eis [bene exceptus est; illeque et Dagfinnus, exspectato glaciei abscessu[5], septemtrionem versus Bergas profecti sunt.

[1]) victus vero ei ab episcopo suppeditatus (quotidie missus, *F*) est, *add.* *G*, *B*, *H*, *F*. [2]) Dagfinnus, itinere magna celeritate comparato, vespera festi jolensis Bergis profectus (noctu interdiuque iter faciens, *G*), in Haugsvikam venit, regemque Osloam proficiscentem comitatus est, *F*; (Dagfinnus colonus ad regem se contulit, *B*) et pollicitus est se eum in Vermalandum proficiscentem comitaturum, rex vero id noluit, gratiasque egit pro ea benevolentia, quam ustendisset (magno suscepto labure aperuisset, *F*). Tum rex multa de re publica disseruit, rogavitque, ut Sigurdo filio suo et Ceciliæ filiæ opem ferret, si fortuna non daret, ut reverteretur. Ei tum nullus alius fuit filius, præter hos Kanga juvene et Cecilia regis filia natos liberus, *B*, *H*; rex plures liberos tune non habuit, *H*. [3]) Sandasundo, *G*. [4]) propter Ribbungos omni effugio probibitus, *add.* *F*. [5]) uptime exceptus, subducta eo loco nave, Tunsbergum se contulit, Dagfinnus vero recessum glaciei exspectavit, indeque, *F*, *G*.

Falsi de hostium adventu rumores.

110. Die lunæ rex Hakon Osla profectus est; delatus in Raumarikum, Bergi apud Gunnarem pernoctavit, militibus circa per pagum dispositis. Alteram noctem Fyrii[1] in superiori regione ad Albim (Romorum) egit; huc ad eum media nocte excubitores in equis venerunt, nuntiantes, hostes adventare. Rex vestes raptim induit, [hominesque excurrerunt; luna clara luce splendens late prospectum dedit; rex ideo classicum cani noluit, quod nihil hostile animadversum est, sed equestres excubias in omnes partes dimisit. Verum excubitores equites, adventu quorundam ex Hadalando adequitantium decepti, hostium incursionem præmetuerant[2]. Postero mane rex copias secundum orientales fluvii ripas duxit ad villam, Nesum dictam, ingens prædium templo insigne; hic ad eum venerunt præfecti Heidmarkenses, Fridrekus Slavsius et Ivar Skediohovensis, cum [centum octoginta[3] militibus bene ornatis. Postridie [rex orientem versus ad Albim perrexit, ubi audivit, Vermalandenses magnum copiarum numerum contraxisse, et nuntium de profectione regis accepisse. Sequenti die[4] ve-

---

[1]) apud virum, nomine Kolbeinem, *add. F.* [2]) omnesque milites, et ad lucem usque vigilatum; postero mane vanos fuisse rumores compertum est, *G.* [3]) trecentis, *H;* trecentis et sexaginta, *G.* [4]) regem secundum (*rectius*) Albim proficiscentem comitati sunt (præfecti), rexque in villa Straumus dicta se continebat, copiis circa dispositis. Tum regi nuntiatum est, Vermalandenses magnam multitudinem contraxisse, et de profectione ejus certos nuntios accepisse. Itaque rex omnes ad se centuriones advocavit, moxque excubitores et exploratores dimissi. Klemens (Klemetus, *B, G*) Holmensis in prima excubitorum (speculatorum, *G*) statione cum octoginta (sexaginta, *G*) equitibus collocatus, dimidii milliarii spatio ab rege aberat; altera statio triginta excubitorum propior erat, proximi his septem viri collocati, quibus ad villam prospectus erat; sequentis diei mane rex, *B, F.*

nit in tractum Vingriam dictum, qui duorum[1] milliarium spatio abest; hic pernoctavit rex, quod aliquos a Vermalandensibus missos[2] venturos ad se putavit. Eadem vespera Ribbungi, impetu in aliquot cohortes regias facto, aliquot homines interfecerunt.

Oratio regis Hakonis.

111. Rex Hakon, centurionibus advocatis, rationem præscripsit, qua exercitus in Vermalandum ingrederetur, inde enim allati nuntii erant, et copias incolarum et Ribbungos adversum staturos. Erant quoque, qui dehortarentur, ne in alienum regnum irrumperet, demonstrantes, magnum in Vermalando numerum esse copiarum, si vero[3] Svionum rex adversum staret, rem in majus discrimen venturam. Hic rex Hakon ad milites concionatur; haud me temeritas aut nimia audacia ad hanc suscipiendam expeditionem impulit, neque tamen obsistentes Ribbungos et Vermalandenses metuo, cum res nostras ac libertatem repetamus; et si rex Svionum ipse se opposuerit, alterutrum eveniet, aut ut celeriter in gratiam redeamus, aut negotium inter nos quem Deus voluerit exitum habebit; sed certum nobis est ulcisci damna, quæ nobis immerentibus ab Svionibus illata fuerunt. Profectio hac ratione instituta est, ut vexillum regium primum iret, adjunctis octoginta[4] viris, apparitoribus et aulicis bene armatis, omnibus equitibus, cuique equiti cursore dato; speculatores primi ibant, quorum singuli binos equos habuerunt; dein ducenti quadraginta [viri, quos sequebantur traharii ex Up-

[1]) brevium. *add. B, F, G.* [2]) ad offerendas aliquas conditiones pacis, *add. F, H.* [3]) ipse, *add. F.* [4]) centum, *G, rectius, ad trium millium numerum efficiendum.*

landis homines [septingenti viginti[1]; his proximi equitarunt Nicolaus Pauli et Haraldus Stangarfylja cum trecentis sexaginta equitibus; dein omnes traharii oræ maritimæ, [amplius nongenti sexaginta[2]; postremi equitabant Lodin Pauli, Erlingus Ljodhorn, [Haraldus Vesetius, Gunnolvus Albus, Guttormus Erlendi, sexcentos[3] viros ducentes. Rex Hakon [tria militum millia in Vermalandum duxit[4]; copiæ vero ob traharum multitudinem numeri multo majoris speciem præbebant, nam etsi lacus duo milliaria longi glacie constitissent, primum agmen prius ex glacie excesserat, quam novissimum ingressum esset.

Rex Vermalandum ingreditur.

112. Eadem vespera rex digredientibus centurionibus præcepit, ut omnes milites ante mediam noctem cibum sumerent. Mox tuba signo dato, agmen, quo ordine præceptum erat, procedere cœpit; aeris status non quidem ventosus erat, sed valde frigidus. Sub lucem rex homines in mediam silvam præmisit; ibi magnum erat deversorium montanum juxta templum, in cujus cœmeterio ingentes ignes excitari jussit. Forte congruit, ut eodem momento, quo orta

---

1) octingenti quadraginta, *G*; *a priori signo:* præfecti ex Uplandis, dein equitabant viri septingenti viginti, *H.* 2) mille et octoginta, *G.* 3) *ab signo:* cum viris octingentis quadraginta. Tum ea ratio instituta, ut primi equites irent, deinde traharii, qui si hostibus occurrerent, equites pugnam sustinerent, dum traharii arma caperent. Ex trahariis qui antecederent et subsequerentur, alteri alteris auxilio venirent, si in utrosvis impetus fieret, *add. B, F.* 4) amplius bis mille et quadringentos milites in Vermalandum duxit, equorum numero multo majori, *H*; lectorum militum tria millia quadringentos octoginta, præter ceteros omnes, *G;* tria millia lectorum militum, et amplius sexcentos armatorum; equitum magnus numerus fuit, nam ex plerisque militibus bini ternos equos habuerunt, quorum singulis singuli equisones additi, *B, F.*

dies est, rex ad ignes perveniret; hic se milites aliquamdiu calefecerunt, plerique enim nonnihil algebant[1]; inde rex, antequam omnino diluxisset, totum exercitum duxit. Silva Eidensis est duodecim milliaria lata, in medioque saltu templum est; per quam, terra glaciata, via facilis et plana ducit. Cum rex silvam permensus in Vermalandum pervenisset, occurrentes exploratores nuntiarunt, nullam in pagis multitudinem contractam, omnes incolas metu regii adventus in silvas confugisse, omnes quoque Ribbungos aufugisse. Tum agmen ad prædia, Morastas dicta, [nostris finibus proxima[2], movit; ibidem omnes homines domi se continebant. [Tum rex declaravit[3], se ad colonos[4] pacate accedere statuisse, si in suam potestatem venire, suæque fidei res suas permittere voluissent[5].

De pugna inter regios.

113. Rex hoc loco brevi tempore moratus est; omnibus ejusdem loci incolis pacem concessit; pabula equi consumserunt. Insequenti vespera in pagum, Eidas[6] dictum, venit, et in prædio, Medalbæo dicto, quod erat Oddi Eiriki filii, pernoctavit; accidit hoc die Veneris proximo ante septuagesimam. Hac vespera[7] rex multos centurionum ad cœnam invitaverat: [largam enim vini copiam secum advexerat ab septem-

[1]) manibus aut pedibus aut facie, *add. F.* [2]) longissime in septemtrionem versa, *F.* [3]) Hic rex moratus est, donec omnes copiæ convenissent, quod circa horam tertiam pomeridianam accidit; tum rex cum centurionibus collocutus est, deinde concione tuba convocata, consilium suum militibus aperuit, *B, F.* [4]) omnes terræ incolas, *F.* [5]) et quoniam inimici nostri, inquit, nusquam se nobis opponunt, non hostiliter grassabimur, sed exspectabimus, an incolæ nobis satisfacere velint, *add. F.* [6]) *sic F;* Eldas, *A.* [7]) die, *H.*

trione[1], quæ ob gelicidia longius deportari non potuit[2]. Accidit hac nocte, ut omnes amphoræ, quibus congelata inerat amplius tertia vini pars, extra in aream sepositæ essent; has equisones surripuerunt et diffregerunt, sumta conglaciati vini frusta partim liquefecerunt, partim integra manducarunt; quo facto tam sunt inebriati, ut nocte inter se pugnarent, quatuordecim[3] vulnerarentur, multi mulcarentur. Quos rex sequentis diei mane[4] in gratiam inter se reduxit, criminaque his a præfectis intentata condonavit.

Pagi jussu regis vastati.

114. Die Saturni omnes centuriones ad regem convenerunt; milites vehementer fremebant, pagorum inflammandorum cupidi, sed rex, colonos adfuturos[5] oblaturosque satisfactionem ratus, rem distulit, dum mane processisset. Cum vero adventuri desperarentur, omnes pagos, quacunque progrederentur, inflammare cœperunt; pagi vero tam penitus erant ab incolis vacui, ut nulla in villa ne unus homo deprehenderetur. Sic Sturla:

Rebellium adversus
regem, ab orientali
silvæ parte factum,
graviter vindicatum est:
cum princeps
alni molossum
fraxino saturum
immisisset[6].

---

1) Norvegia, *H.* 2) *ab signo* [: homines et cerevisiam et vinum potabant; eo tempore magna gelicidia erant, *G.* 3) duodecim, *H.* 4) datis arbitris, *add. B, F, G.* 5) veniam imploraturos, *add. F, G, H.*

6) Constructio: *landráð við allvald austan markar a) vara b) goldit litlu, þá er lofðungr hafði leystan eski c) mettan d) elris garm e).*

Ligni adrosor
omnes domus
ardenti ore
deglutivit;
et truci vultu
canis salicis
per portas ædium
ganniens irrupit[1].

Sic Olavus Albus-poeta:

Auctor cædium tempestatis, perfidiam
Vermalandensium punivisti;
fecisti, princeps, flammam grassari;
ignis habitacula virorum hausit.
Coloni calamitatem experti sunt
acerbam, cum altissima flamma arsit;
cordate rex, procellam gladiorum
concitans, dolos igne compescuisti[2].

Prope lacum aliquem vetula quædam grandis natu domo excurrens: ubi rex Nordmannorum? interrogavit. De quo certior facta, regem audacter adiit, [3]orans, ne prædium filiæ suæ combu-

a) *marka*, silvarum H. b) *varat*, id., *F.* c) *egi'*, B; malo *ekki*, non (saturum, i. e. esurientem, famelicum). d) sic B; *mættan*, id., *F*, *G*; *mætran*, A, prave; *mælan*, H, mendose. e) i. e. ignem

[1]) Constructio: *viðar hundr a) svalg hvert hús b) heitum munni, ok svipgárr c) selju rakki d) fór grenjandi um garðs hlið.*

a) i. e. ignis; *lundr*, A, prave. b) *haust*, *G*, prave. c) *svipkárr*, id., *G.* d) i. e. flamma.

[2]) Constructio: *valdr vígstorma, namt gjalda Vermum fláræði; ræsir, lèztu geisa gim a); elldr gekk um sjót rekka. Bændr lutu sára b) kvöl, þá er kapps-hár logi kyndist; gegn hjörels c) frömuðr, lètuð hyr hegna vèlar.*

a) *sic G*; *ginn*, A, F; *gunn*, H, utrumque mendose. b) add. ceteri; omissum in A. c) *hjaldr els*, *G*, *H*; *hjaldr elz*, B, quæ utraque lectio valet *hjaldr-ells*, ignis pugnæ, gladius, cujus *frömuðr*, gladium protendens, gladio potens, præliator.

[3]) per Deum, *add. G.*

reretur, quod domi [1]manere ausa fuisset. Rex ita fore pollicitus, speculatorum quendam, nomine Jonem Omagium, aliosque tres arcessitos [custodire prædium earum, ne inflammaretur[2], jussit, quod hæc sola ex [3]Vermalandensibus femina ad clementiam suam confugere voluisset, declarans[4], si qui in congressum suum supplices venissent, futurum fuisse, ut plures pagi ab inflammatione intacti essent.

De itinere regis concædibus intercluso.

115. Post hæc nuntii ad regem venerunt, afferentes, Vermalandenses prope a templo, Nova æde dicto, ei iter præcisis arboribus interclusisse. Quo cognito rex centum viginti equites et sagittarios præmisit, qui cum ad concædes venissent, pauci qui ibi aderant homines extemplo aufugerunt; quo facto stratæ arbores securibus lignariis intercisæ sunt, rege interim curante, ne quis a tergo impetus fieret. Cum primi una cum rege per strata arborum facili negotio vecti essent, ceteri deinceps eadem[5] equos pedetentim ducebant. Postremis cum nuntiatum esset, regem ante concædes constitutum cum Vermalandensibus pugnare, tota multitudo in stratas arbores ruere cœpit, unde fractis trabis ingens strepitus coortus est. Regii, audito fremitu, hostes supervenisse rati, subito se retro converterunt, et res prope a discrimine abfuit, cum inter se agnoverunt. Dein in pagum, Auvikas[6] dictum, in exteriori regione situm, profecti sunt.

Hostium adventus (falso) nuntiatus.

116. Huc cum rex, quique eum comita-

---

[1]) sola, *G.* [2]) eo loco manere, donec omnes Norvegi transissent, *F, G, H.* [3]) omnibus, *add. F, G.* [4]) vetulamque familiam suam revocare et domi apud se retinere jussit, sicque nuntiare, *F.* [5]) qua rarissima erant arborum strata, *B, F.* [6]) Aumarkas, *H*; Arvikas, *B.*

bantur, prima vespera pervenisset, vestesque exuisset, bellicum cani cœptum, nuntiatumque, Vermalandenses supervenisse, et cum novissimo agmine in silva manum conserere. Rex, quique comitati eum erant, exsiluerunt, et citato cursu in silvam vecti sunt, ubi obvios habuere milites, qui nullum de hostibus nuntium acceperant; hi autem, qui hæc commenti erant, prope a periculo capitis abfuerunt. Inde, ut constitutum erat, in hospitia reditum. Sex homines, quorum principi nomen fuit Geir, ex pago, Stranda dicto, ante lucem ad regem venerunt, regis fidem implorantes, resque omnes suas ejus potestati permittentes; quibus rex securitatem pacemque concessit, signo dato, quo omnes ejus pagi villæ notarentur, ut ingentem perticam candida fascia alligatam in fastigio domus, quæ in villa altissima esset, statuerent, unde omnes prædia pace donata cognoscerent. Erant in eo pago amplius quatuordecim[1] prædia; plures autem eodem signo usi, omnes incolumitatem nacti sunt.

Rex Vermalandum vastat.

117. Dein rege Hakone cum omnibus copiis ulterius in Vermalandum progrediente, pagi, quacunque iter facerent, inflammati sunt; omnes autem pagi ab incolis deserti erant. Penetrarunt usque in pagum, Gladathorsum[2] dictum, eumque igne vastarunt. Cumque rex in prædio, Knollo[3] dicto, versaretur, advenientes ad eum coloni nomine incolarum veniam precati sunt, et omnia regis potestati permiserunt; quibus rex, quod Ribbungi se in ulteriori regione non continuerant, veniam concessit, acceptis octo obsidibus, domumque reductis. Quo facto rex Hakon domum reversus est, et in Stranda, [pago igne in-

[1]) viginti, *H.* [2]) Gladathorpum, *F*; Gladathrosum, *B*, *G*. [3]) Kvollo, *B*.

tacto, apud Gilsem colonum[1] pernoctavit; hic Vermalandenses hominem sanctum, nomine Thorgeirem, quiescere dicunt. Inde rex postero mane profectus[2] est, tumque pagi[3], quacunque irent, inflammati, quod nulli veniam oratum veniebant. Proxima nocte rex loco, quæ Saurvikæ[4] dicuntur, ad Carinam sito, hospitatus est, et mane diei proxime insequentis in pagum, Holmadalos[5] dictum, profecti sunt. Quo antequam pervenissent, collecta multitudine insidiæ factæ sunt, præcipue ubi rupes arduæ maximæque silvarum angustiæ erant. Hic cum aliquamdiu tela inter se conjecissent, regii ex equis desiluerunt, et in silvam irrumpentes hostes aggressi sunt, Vermalandensibus aufugientibus. Hanc ob causam horum conditio deterior fuit, quam ceterorum, qui non restiterant; hic enim pagus adeo igne vastatus est, ut nulla relicta villula sit; qui pagus Ribbungis [6]insessus fuit, et plerique colonorum Sigurdo nomen dederant. Sic Sturla:

Flamma flammam in cœlum subjectavit,
ignis in dirutas ædes irrupit;
arbitror earum regionum incolis
silvæ pestem latius exspatiari visam.
Omnes gentes regis iram
extimescebant. Missor annuli,
jurisjurandi servans, acutum
gladium in Vermalando rubefecit[7].

---

1) *ab signo:* Thorgilsbæi, *H.* 2) secundum regionem, *add. H.* 3) in superiori regione ad Holmadalos, *add. H.* 4) Saurbæi, *B.* 5) Holmadalum, *F.* 6) magnam partem, *add. F.*

7) Constructio: *hyrr lèk eim a) með himni b); elldr hljóp í felldan c) sal; ek hykk þeim þegnum þóttu markar böl d) sveima vítt. Allar þjóðir óðust e) konungs reiði; eiðvandr f) baugsendir g) rauð h) brýndan brand í Vermalandi.*

a) enn lèk, H; emleg, G; armleg, F, omnia partim contra metrum, partim sine sensu. *b) hifni,* ead. sensu, *G; himin,* B,

Regi Holmadalum occidentalem[1] advecto occurrentes sacerdotes et coloni, veniam implorarunt. Hic rex [finem inflammationi faciendum pronuntiavit[2], capitis pœnam aut mutilationem, si quis dicto audiens non fuisset, minatus. Nocte proxime insequenti prædio Holmadalo occidentali[3] apud sacerdotem aliquem liberaliter habitus pernoctavit; sed nullus potus apponebatur, præter serum acidum aqua mixtum, nec usquam in Vermalando cerevisia eis bibenda data est, cum carnium copia non deesset, quod pecudes nusquam abactæ erant. Postero mane rex occidentem versus profectus silvamque ingressus est, et medio die in regnum suum pervenit, noctemque proxime insequentem Folkisbergi[4] in provincia Borgensi transegit, ubi omnium rerum copia ei summa benevolentia præbita est.

De Arnbjorne Jonis filio.

118. Arnbjorn Jonis filius, quadringentos octoginta milites ducens, cum regi, quemadmodum antea fuerat constitutum, ad silvam Eidensem occurrere statuisset, [advenientibus Ribbungorum copiis[5], iter extemplo convertit, eosque

facili errore. c) vel cum Hk. tabulis constructum. d) sic H; *bol*, id., A; *kjöl*, F, rectius *köl* (*kvöl*), eod. sensu. e) sic A, quod sine controversia verissima et aptissima huic loco lectio est, quam antea tetigi, Scr. hist. Isl. Vol. 2. p. 316. *) not. *a*; ceteræ lectiones: *eyðust*, F; *eyðist*, H; *eyddust*, *G*, *B*, ab hoc loco sunt alienæ. *f*) sic A, G, H; *eiðvandar*, F; *eiðvaldr*, B, neutrum recte h. l.; sed *eiðvandr* est epithetum regis, ut Fms. 1, 56, 1, et *eiðfastr*, Fms. 6, 331, 2, confer ibid. p. 43. str. 2. *g*) *böðsendir*, H, phrasi insolentiori; *hauksendir*, missor accipitrum, *F*, *G*, proba appellatio, sed h. l. metro repugnans. *h*) *hrauð*, jaculatus est, *F*, sed non congruit litera principalis.

[1]) *omitt. G, H.* [2]) copiis in glaciem lacus tuba evocatis, pagum inflammari severe vetuit, *B, H.* [3]) *omitt. G.* [4]) in pago, Ansmarka dicto, *add. B, F, H.* [5]) orientem versus e silva egrediens tritam a Ribbungorum agmine viam animadvertit, quare, *F, G.*

recto itinere Osloam tendentes insecutus est. Quo hostes delati, cum nulli Birkibeini in oppido essent, nihil eo loco morati, flexo occidentem versus itinere, Tunsbergum contenderunt. Arnbjorn ejusdem diei vespera, cujus diei mane abscesserant Ribbungi, Osloam pervenit[1]. Episcopus Nicolaus, nutritor Arnbjornis eique amicissimus, simulans se utilia consilia cum eo communicaturum, eo die eum[2] detinuit; quod a plerisque[3] ideo fecisse dicitur, quod Ribbungos quam longissime effugere voluisset. Arnbjorn, quod sui admodum ebrii erant, sero ad proficiscendum ex oppido paratus, ea nocte brevi spatio progressus est. Ribbungi e contrario iter quam maxime properarunt[4]; cum vero in Lidas devenissent, ibi forte constitutus colonus aliquis Tunsbergensis, cui nomen Reidulvo Gulkroppo, cum famam de adventu Ribbungorum accepisset, celeriter Tunsbergum reversus est[5]. Tum extemplo in oppido bellicum canitur[6]. Olavus (et Eystein) trecentos milites in arce habuerunt. Quod nunciata ab Reidulvo fidem parum inveniebant, res minori cum cautione tractata est. Vespere festi Pauli Ribbungi in oppidum venerunt. Eystein Roii ægre in arcem evasit, quo in rupem enitente, pincernam regis, nomine Runolvum[7], obtruncarunt; cecidit ibidem Grimus Albus, pluresque regii in diversis oppidi partibus interfecti: quatuordecim homines ibi cecidere. Ketil Staurus[8], aulicorum aliquis, et Eilivus Dver-

---

[1]) ibi cum amplius centum viginti milites bene armati ad eum venissent, alteros centum viginti minimi usus ex suis remisit, *add. F.* [2]) din, *add. F.* [3]) Birkibeinis, *G, H.* [4]) et circa medium diei Tunsbergum venerunt, *add. B.* [5]) quo circa meridiem delatus nuntium retulit, *add. F, G.* [6]) hostesque adventuri nuntiantur, *add. F.* [7]) Arnolvum, *H;* Gunnolvum, *B;* Reidulvum, *G.* [8]) Straumus, *H.*

gus, ex speculatoribus, in superiori parte ædium constituti, tanta se fortitudine per totam noctem defendebant, ut exemplum vix inveniatur, duos viros se melius defendisse. Sed revulsis domuum tectis, hastis Ribbungorum petiti, summa fortitudinis laude interierunt.

Incensæ ab Ribbungis naves, raptaque stipendia.

119. Eadem nocte Ribbungi, explorato oppido, arcem a boreali parte successerunt, navesque regias, quæ ibi erant, unam vigintitranstram, alteram Sættaspillerem, in universum sedecim, incenderunt, duos mercatores innocentes interfecerunt. Statim ut illuxit dies, abscesserunt, et occidentem versus in Foldam se converterunt; impensas bellicas regi debitas rapuerunt, ubicunque nacti essent; colonos et mercatores, quacunque irent, diripuerunt. [Eodem die circa meridiem[1] Arnbjorn in oppidum venit, cui cum nuntiatum esset, ei in præsens copiam Ribbungorum non fore, omnes copias[2] in Valdisholmum reduxit.

De Simone Kyra.

120. Simon Kyra et Halvardus[3] Brattius, [qui jussu regis cum septingentis viginti militibus in Markas contenderant, eo delati, quod rex septemtrionem versus profectus erat[4], reversi sunt. Rex Hakon directo[5] ab Folkisbergo itinere Osloam contendit; seraque vespera Tunsbergo venientes de rebus ibi gestis exposuerunt[6]. Postridie mane[7] advocata[8] concione, rex: com-

[1]) Postridie, *G*; postridie festum Pauli, *H*. [2]) orientem versus *add. G, H.* [3]) *sic B, F*; Bardus, *A, G*, i. e. Bardus Brimstein, vide cap. 108. [4]) regem orientem versus in Vermalandum comitari jussi, quod serius in condictum locum pervenerunt, *G*. [5]) maximeque expedito, *add. F.* [6]) Rex proximam noctem egit in pago, dicto Leirheimskogo, *add. B, F.* [7]) Osloam profectus, *add. B, F.* [8]) centurionum, *add. B, F.*

peri, Ribbungos iter in Heidmarkam conversuros adversus multitudinem eo loco ab colonis collectam; itaque copias in tres partes dividi placet, quarum unam Lodin Gunnii et Gunnbjorn cum Uplandensibus teneant, itinereque in Raumarikum converso, Ribbungos[1] insequantur[2]; ego vero[3] in Hadalandum adscendam, his[4] comitantibus, Nicolao Pauli, Haraldo Stangarfylja, Fridreko Slavsio; Eirikus[5] autem Ljodhorn, Klæmitus[6] (Clemens) Holmensis, Haraldus Vesetii, et evocati ex Folda[7] Tunsbergum concedant, neque longius progrediantur, nisi aliquem de Ribbungis nuntium acceperint.

De speculatoribus.

121. [In superiores regiones missi[8], cum comperissent, Ribbungos ea non transisse, itinere occidentem versus per silvam Asensem converso[9], difficili itinere usi, sub dio pernoctabant. Ex silva emergentes præfecti in Heidmarkam, prætores et Gunnbjorn per exteriora directo itinere obviam regi profecti sunt. Regi in Hadalandum[10] delato speculatores occurrerunt, nuntiantes, Ribbungos iter [ab Folda occidentali[11] in Ringarikum convertisse, nescire vero se, quo se inde verterint[12]. [Cumque[13] rex[14] in Hadalan-

---

1) si cursum in Heidmarkam indeve orientem versus converterint, *add. B, F.* 2) sin vero in Hadalandum non venerint, iter occidentem versus per silvam Asensem adversum eos, et per exteriora secundum Hadalandum convertatis, *add. B, F.* 3) cum altera parte, in Hakadalum (Hattadalum, *H*), indeque directo itinere, *add. F, G, H.* 4) centurionibus, *add F, G.* 5) Erlingus, *G.* 6) Klemetus, *F.* 7) quam celerrime, *add. F, G.* 8) Præfecti primo iter facientes, *H.* 9) quod silva excisa non erat, *add F, B.* 10) Hakadalum *B, F, G*; Hatadalum, *H*; *rectius ob sequentia.* 11) *om. G.* 12) Rex omnes centuriones hora tertia antemeridiana paratos esse jussit; factum. Rex primo mane in Updalum venit, *add. F.* 13) *omitt. G.* 14) primo mane, *add. G.*

dum venit, cognovit[1], Ribbungos [in superiora non transisse[2]; itaque per exteriora secundum pagos reversus, in prædio Grattagrevo[3] pernoctavit, Ogmundumque Olmodi filium cum undecim viris, bonos habentibus equos, in pagum exteriorem speculatum misit. Vespere, cum cœna appararetur, is, qui ad fenestram adsidens excubias agebat, significavit, speculatores citatis equis in aream ferri hostiumque adventum nuntiare. Qui primi ad arma concurrerunt, occlusis foribus exitum impeditiorem reddiderant. Ingens vis nivium deciderat, quare rex suis præcepit, ut in collem aliquem[4] secedentes, nivem proculcando planam redderent, dum advenirent catervæ, quæ in pago circumjecto dispositæ erant. Tum Ogmundus ad regem venit, nuntians, se Ribbungis ab exterioribus regionibus proficiscentibus occurrisse, nescire vero, quantum haberent copiarum numerum. Rex indignabundus speculatores allocutus est, objiciens, quod prius aufugissent, quam necesse fuisset, cum nihil certi referre possent. Itaque alia validior speculatorum manus Ogmundo data. Qui ab rege digrediens: faxit Deus, sic redeam, ut aut ego aliquem Ribbungorum, aut illi me[5] agnoscant.

Ribbungi ex Vestfolda profecti.

122. Ribbungi ex Folda occidentali profecti, [6]in Uplanda contenderunt, et in Ringarikum pervenerunt, sicque[7] adversum Birkibeinos tendebant, ut neutri de alteris[8] nuntios, præter speculatores supra memoratos, accepissent. Nam et Ribbungorum speculatores reversi nuntiarant,

[1]) *ab* [*:* Regi primo mane in Hakadalum venienti speculatores occurrerunt, nuntiantes, *G.* [2]) in Ringarikum iter convertisse, *H.* [3]) Grattabergo, *G*; Brattagrava, *B*; *omitt. H.* [4]) prope situm, *add. G.* [5]) aut alteri alteros, *add. H.* [6]) directo itinere, *add. F, G.* [7]) directo itinere, *add. F, G, H.* [8]) certos, *add. F.*

se armatos quidem conspexisse, quot vero essent nescire. [Sigurdus, cum in prædio, quod Suttangrium[1] dicitur, versaretur, nuntium accepit, regem Hakonem in Hadalando esse; [2]itaque missis in pagum nuntiis copias suas convocavit. In tumulo quodam consistentes mala rerum conditione utebantur. Quinque homines regionum peritissimos speculatum misit, qui primo diluculo Ogmundo ejusque comitibus occurrerunt in prædio Javnakro[4] dicto; quo loco juxta cœmeterium omnes Ribbungorum speculatores ceciderunt.

De rege Hakone et Ogmundo.

123. Rex Hakon hora tertia post mediam noctem cum omnibus copiis villa profectus, obvium Ogmundum[4] habuit. Qui, regi interroganti, ecquid de Ribbungis rescivisset, respondit[5]: te speculatores Ribbungorum [istic ad cœmeterium[6] opperiuntur. Rex rem ab eo bene gestam prædicavit. Birkibeini de futuro mox cum Ribbungis congressu lætati, cum (speculatores) exacte scirent, quo loco præcedenti nocte se continuissent, gradum vehementissime accelerarunt. Ribbungi eadem ipsa nocte abscesserant, et ad lacum Thyrium[7] descenderant; cumque rex in lo-

---

[1]) Suntangrium, *H.* [2]) *ab* [: Sigurdus itaque Erlingum Rumstavum, quinque viris comitatum, speculatum misit; qui in pagum superiorem vectus, cum audisset, magnam Birkibeinorum multitudinem in Hadalandum pervenisse, ad Sigurdum, in prædio Sotrangrio dicto versantem, reversus, nuntiavit Ribbungis, regem Hakonem in Hadalando esse, cujus præsentia fretos hostium speculatores ea ipsa nocte tam audacter progressos esse. Sigurdus, *F, B.* [3]) Jarnmako, *H.* [4]) uno homine comitatum, *add. B, F.* [5]) dixit se speculatores eorum juxta cœmeterium animadvertisse (quos brevi invenietis, si cursum acceleraveritis; via enim proxime ad ipsum cœmeterium ducebat, *add B*), ubi nimirum Ribbungi cæsi jacuere. Tum Ogmundus regi: *F, B.* [6]) hic jam, *F.* [7]) circa horam tertiam noctis, *add. H.*

cum, ubi constiterant, pervenit, eos discessisse sensit. Itaque Birkibeini, vestigia eorum legentes, iter ingenti gradu fecerunt. Qui cum ad lacum devenirent, Ribbungi ex glacie egrediebantur, et cursum occidentem versus in valles direxerunt. Itaque rex, brevi jam interjecto spatio, eos cum equitibus insecutus est. Nix erat altissima, callisque tam angustus, ut duobus simul equitibus vix sufficeret[1]. Ribbungi, agmen claudentes, vestes armaque in glaciem abjecerant; quibus cum escensus in valles noti essent, eo primum iter converterunt, ubi nivis altitudo maxima callesque angustissimi erant[2].

De profectione regis Hakonis.

124. Rex Hakon, [in intimum lacus recessum[3] delatus, suis consistere jussis, cum numerus copiarum initus esset, non amplius ducentos quadraginta milites, præter equisones, habuit. Colloquio cum suis instituto, cum plurimi dehortarentur, ne longius contenderet, quod equi lassitudine pæne confecti erant, rex flexo extra Modheimum itinere recta Tunsbergum contendit, [oratus a suis[4], ut, refectis, quæ incensæ erant, navibus, in septemtrionales regni partes profe-

[1]) Altis undique nivium voraginibus, *add. G.* [2]) delatique in clivum aliquem editiorem, unde Birkibeinos in glacie despicere erat, consilia contulerunt, utrum in Thelamarkam, an in Haddingdalum indeque in Valdresum ascenderent. Hoc prætulerunt, judicantes, ita sibi facultatem esse sive in Sognum mare versus, sive orientem versus in valles orientales transcendendi; quantaque potuerunt maxima celeritate iter fecerunt, *add. B, F.* [3]) ad ripam lacus, *G;* ad glaciem lacus, *H.* [4]) Multis etiam tum ad eum copiis confluentibus, Uplandenses hortati sunt, ut in Heidmarkam profectus, auxiliorum quæ ibi erant curam gereret; Heidmarkenses enim tanta fortitudine et fide conspirarant, ut Ribbungi nullam in iis locis exercere potestatem possent. Alii hortati sunt, ut in Vikam profectus, militem in naves imponeret; qui vero regem ab septemtrione comitati erant, orarunt, ut Tunsbergum iret, *B, F.*

ctus [nova auxilia[1] compararet. [Cumque rex Tunsbergi erat, allatæ sunt a borea literæ Skulii dynastæ, quibus declaravit[2], sibi pacta secum inita non observata videri, quod rex festo jolensi Bergis versatus non esset, cum ipse ex condicto, ex quo rex nuptias suas elapso festo celebraret, ab septemtrione eodem profectus fuisset; addens, se adventum regis ad festum paschatis exspectaturum, quo tempore si non adfuisset, fidem sibi datam violatam existimare, quare se pro lubitu facturum, sive ullam sive nullam vicissim fidem præstiturum. Omnes amici regis hortabantur, ut sua parte fidem servaret[3]. Tantæ in Vika congelationes erant, ut æque magnas unquam extitisse nemo sit recordatus; et conscendentes in altissimos montes, nusquam locum glacie vacuum, multas vero naves, mercatorias grandiores aliasque, glacie inclusas conspexerunt[4]; vereque insequenti complures naves evanuerunt, ut nulla de eis fama acciperetur.

De Gautio sacerdote.

125. Rex Hakon Gautium sacerdotem orientem versus in territorium Vettense misit, [ut res ad usum belli necessarias colligeret[5]. Qui directo itinere orientem versus per Foldam equo vectus[6], intra paucas noctes eques rediit, trecentos sexaginta equos adducens: quod factum est septem noctibus post medium tempus jejunii,

---

1) copias navales, *F.* 2) Tum quoque Tunsbergo venerunt, qui allatas ab Sk. dyn. literas nuntiarent. quare rex iter eo convertit. Literæ, regi a dynasta missæ, testatæ sunt, *F, G, H.* 3) quo factum est, ut consilium in mediterranea proficiscendi abjiceret, *add. F.* 4) Socii navium, in australi Vikæ parte hærentium, navibus egressi, duobus nychthemeriis, aut sesqui, in continentem pervenerunt, nullis uspiam circa naves suas aperturis glaciei animadversis, *add. F, H.* 5) ad equos adducendos, *H.* 6) cum mandatis, *add. F.*

toto sinu Foldensi jam tum firma satis glacie consistente. Rex navium, quæ combustæ erant[1], reficiendarum periculum sumi jussit. Navem, Oxium dictam, quæ in stationem proximam rupi[2] ad Danaklevam subducta stabat, ita defenderant Birkibeini, ut ab igne intacta esset; cujus stationis tam commodus situs est, ut navis huc subducta ex rupe defendi ab igni facile possit.

De Ribbungis.

126. Sigurdus Ribbungus, ut cognovit, regem in arce consedisse, omnes copias suas ad se vocavit. Coloni Heidmarkenses in copiis contrahendis occupati erant, seque fortiter tuebantur; quo intentius Ribbungi eis insidiati sunt. Postea vero quam rex Hakon Ribbungos ex Ringariko pepulerat, aliquantum fuit temporis, cum nulla de eis fama ferebatur; quam ob causam coloni copias quidem dimiserunt, pagos vero custodibus circumsepserunt. Dicuntur aliqui[3] [colonis tam infideles, regique tam inimici[4] fuisse, ut nuntium clam ad Ribbungos miserint. Qui ab Raumariko cum omnibus copiis profecti, in pagum Heidmarkæ, Skaunam dictum, post mediam noctem pervenerunt; qui pagus templis et eximiis prædiis frequens erat. Quo animadverso custodes extemplo campana ædis cathedralis[5] pulsata hostium adventum significarunt. Cum vero Ribbungi in medium pagum jam pervenissent, copiæ haud facile contrahebantur; quotquot enim accurrere ad multitudinem voluerunt, interfecerunt. Duo quoque magna prædia[6], ubi

[1]) Sættaspilleris, pluriumque, quæ reparari poterant, *add F.* [2]) qua longissime in septemtrionem vergit, *add., F.* [3]) Heidmarkensium, *add. F.* [4]) sibi ipsis ac regi tam perfidiosi, *G.* [5]) Stangensis, *add. F, B, G, H.* [6]) Kastados (Ottastados, *B*) et Hvervinem, *add F, B.*

duo regii maximæ inter colonos auctoritatis incoluerunt, inflammarunt. Coloni, viso incendio, partim eo, partim ad collectam multitudinem concurrerunt; Ribbungi vero pagum equitando percurrentes, quemcunque nacti sunt, interfecerunt. Iis vero locis, ubi præfecti erant et copiæ maxime collectæ erant, coloni eo, ubi plurimos Ribbungos adesse conspicarentur, equitarunt. Jon Sandhavrius[1], signifer colonorum, vir eximiæ virtutis, tam præcipiti cursu in hostem invasit, ut antequam copiæ convenissent, unacum aliquot viris ceciderit. Quos cecidisse conspicati coloni, gradum retulerunt, [et in diversa dilapsi sunt[2]. Ribbungi fugientibus insistentes, quantum maximum potuerunt numerum interfecerunt. Præfecti, ut longius boream versus in pagum venerunt, sagittam belli nuntiam denuo dimiserunt; sed evenit, quod vulgo dicitur: fugientem retrahere, difficile. Circiter bis aut ter coloni ad multitudinem convenerunt, sed simul ut globum aut multitudinem Ribbungorum conspicati sunt, aufugerunt; Ribbungi vero eo audaciores erant, quo timidiores colonos esse animadvertebant. [Post hæc Birkibeini de effugiis circumspicere cœperunt[3], Halvardus autem episcopus Ribbungos adiens, pacem colonis impetravit. Regii occidentem versus profecti, monte[4] trajecto, per Thotnum descenderunt, et Tunsbergum pervenerunt. Ivar Skedjuhovensis et Thorgeir episcopi minister rem gestam regi nuntiarunt. Quas res ægerrime ferentem hortati sunt, ut in Heidmarkam profectus, Ribbungos aggrederetur, sed [iidem, qui antea, regem dehortati sunt, orantes,

[1]) Landhavrus, *F*, *B*. [2]) suæ quisque saluti consulentes, *F*. [3]) Ribbungi tum totum tractum sibi subjecerunt, *G*; tum Birkibeini aufugerunt, *F*. [4]) lacu, *F*.

ut secundum pacta cum dynasta facta septemtrionem versus proficisceretur.

De Ribbungis.

127. Ribbungi, bonis cæsorum publicatis, gravique stipendio colonis irrogato, cum pacem fecissent, in Vikam descenderunt, audacius iter facientes; quin nonnullæ catervæ oppidum adeo appropinquabant, ut non amplius milliario abessent. Quo cognito rex novem ex oppido cohortes constituit, quæ Ribbungos adorirentur; quæ profectæ sunt, his ducibus, Gunnbjorne, Haraldo Stangarfylja, Ivare Skedjuhovensi, [Guttormo Erlingi, Isako Bæensi[1]. Deprehenderunt [2]Ribbungos in territorio Osloensi, prædio, quod Angleysa[3] dicitur. Fit pugna; Birkibeini[4] victoria potiti sunt: cecidit autem Nicolaus, frater Reidaris, vir Ribbungorum excellentissimus, unaque centum[5] homines. Quo facto Ribbungi oppidum Tunsbergense tam prope, quam antea, accedere non ausi sunt.

Nuptiæ regis Hakonis.

128. Die Jovis, festum paschatis proxime insequenti, rex naves suas per transversum promontorium extra Skeljasteinem in Hundsundum deducendas curavit, glacie etiam tum satis firma, pelagica vero soluta, omnibusque fretis exterioribus apertis. Elapsa vero hebdomade paschali rex Hakon septemtrionem versus Bergas navigavit, sex[6] noctium spatio in cursu consumto. Dynasta, qui Bergis aderat, regem venientem comiter excepit. Mox apparatæ nuptiæ regis Hakonis et virginis principis Margaretæ; præfecti et excellentissimi coloni ex toto conventu

[1]) *omitt. G.* [2]) IIII, *add. A* (*prave nisi C aut simile quid exciderit*). [3]) Agnleysa, *B, G.* [4]) *sic F, B*; Ribbungi, A; *omitt. G.* [5]) nonaginta, *G, H.* [6]) quinque, *G, H.*

Gulensi invitati, et complures clerici ordinis advenerunt. Nuptiæ festo trinitatis celebratæ, per quinque dies durantes, eximio, ut constitutum erat, convivio apparato. Rex convivium viris apparavit in palatio jolensi, regina vero et feminæ in palatio æstivo erant, omnes autem monachi seorsim in cubiculo aliquo versabantur, cui cœtui quinque abbates præpositi sunt[1].

De excubitoribus regis Hakonis.

129. Ante nuptias rex octoginta viros in Valdresum misit, his præfectis, Alvo Standeyko[2], Gunnare Samo, [Klemeto (Clemente) Longo[3], eo consilio, ut durantibus nuptiis custodiam agerent, ne quas turbas Ribbungi excitarent. Qui cum in Valdresum venissent, ibi forte constitutas aliquot Ribbungorum catervas adorti prælium commiserunt [; hic complures Ribbungorum ceciderunt[4], duoque centuriones, quorum uni nomen erat Ulvus Skygner[5]. Quibus gestis Birkibeini in Gudbrandsdalos se converterunt, ubi Ribbungos lacessentes vicissimque lacessiti, plurimum superiores discesserunt, amisso tamen duce suo Gunnare Samo.

Jon Stalus regem convenit.

130. Rex Hakon et Skulius dynasta multum æstatis Bergis consumserunt; interea rex comparatis ex toto conventu Gulensi rebus ad expeditionem necessariis, militibus cibariisque, iter orientem versus in Vikam profecturus[6] comparavit, triginta[7] naves habens, Skulio septemtrionem versus in Thrandheimum revertente. Con-

---

1) multi præterea excellentes clerici aderant, *add. H.* 2) Standreiko, *B*; Standveiko, *F, H*; Sandveyko, *G.* 3) *omitt. G.* 4) trigintaque amplius ex Ribbungis interfecerunt, *G.* 5) alteri Thorer Pæla; qui maleficentissimi prædones fuerant, *add. G.* 6) post vigiliam festi Olavi, *add G.* 7) triginta quinque, *B, H*; quinqnaginta, *F, G.*

stitutum est, ut dynasta in partes septemtrionales delatus, in mediterranea adscenderet, regemque in Mjorso conveniret; qui prior venisset, is naves faciendas imperaret. Cum rex Hakon Jadarem prætervehebatur, advenit corbita ab Anglia, qua Jon Stalus vehebatur, qui sanctum Thomam archiepiscopum, vigiliam festi ejus celebraturus, adierat. Quos navem regiam propius advectos rex de archiepiscopo perquisivit; illi eum in Anglia esse, paratumque in Norvegiam trajiciendi ajebant. Regi quinam archiepiscopus esset, interroganti, Jon: quem optas[1], inquit, Petrus Husastadensis. Pro quo rex Deo grates persolvit. Insequenti vespera rex in portum delatus, literas archiepiscopo, quocunque appelleret, obvias misit, jubens eum Deo sibique exoptatum adesse. Regi Lidandisnesum prænaviganti Fridrekus Slavsius[2] obviam venit, nuncians, Ribbungos iis locis passim oberrantes multa maleficia regi colonisque afferre. Quo cognito rex, cursu in freta interiora converso, naves leviores, quæ Ribbungos persequerentur, in Marnadalum[3] misit[4]; ut vero Vikam ingressus est, fama cognovit, Ribbungos ad orientem esse in Nesis ac Skida, viro quodam, cui nomen Grimari Svango, id temporis nuptias suas celebrante. Quibus rebus cognitis rex, conscensa scapha[5], Ribbungos quæsitum ivit; qui de adventu ejus per speculatores certiores facti noctu villam deseruerunt. Rex vero primo diluculo eodem delatus, cum aufugisse sensisset, cursu per exteriora sinus converso, in Vikam navigavit, et trajectis

---

[1]) elegisti, *G*; domine, *add. F, G*. domine, domine, *add. H*. [2]) *sic F*; Skalvsius, *h. l. A*. [3]) Murnadalum, *B*; Varmadalum, *F*. [4]) Hi aliquot eorum interfecerunt, longiusque orientem versus profecti, diversis locis milites Ribbungorum oppresserunt, *add. F*. [5]) navi, *F*.

orientem versus fretis Grindholmensibus Osloam cursum continuavit. Vespere festi Crucis[1] appulsis ad Nesoddium sedecim[2] navibus[3], eo loco copias divisit; septem[4] celoces, præfecto Ivare Skedjuhovensi, ad Thrælabergum remis subierunt, ubi in terram egressi in Elvinaregga[5] pernoctarunt; rex vero prima sequentis diei luce oppidum remis advectus est. Erant in oppido Ribbungi, qui [animadvertentes celoces pontibus adremigantes, subito exsiluerunt[6], oppidoque relicto in superiora contenderunt; hic occurrente Ivare, extemplo in oppidum recurrerunt; rege vero, qui interea in pontes adscenderat, confestim in oppidum tendente, impetum non sustinuerunt. Eo loco amplius viginti ex Ribbungis ceciderunt, ceteri omnes in templa confugerunt; quibus rex post eodem mane vitam concessit. Sic Sturla[7]:

Potens prædonum repressor
Ribbungis, validis illis clypeatis
catervis, vesperam vehementer
miseram Osloæ conciliavit.
Rex bellicosus stultos illos homines
in iniqua loca compulit;
umbella pugnatorum longam
in terra contumeliam experta est[8].

---

[1]) 14. Septembris. [2]) tredecim, *B, F.* [3]) celocibus, *B, F.* [4]) duodecim, *B.* [5]) Elvinareinga, *B*; Elvimaregga, *H.* [6]) cognito vexillo ex oppido aufugerunt, *G.* [7]) in carmine encomiastico breviori de Hakone, *add. B*; in melo Hakoniano, *F.*

[8]) Constructio: *ríkr hlenna hnœykir gaf Ribbungum, meginsveitum [ógnar skýs a), eitt herþrungat b) kveld c) í Oslu. d) Hervígs e) mildr f) kom heimskum g) höldum á glapstigu; lauf víkinga h) kendi i) langs k) ríkis í landi.*

a) yss gerðist, B, vide *c.* *b) herþrungit*, F, G, forma usitatiore. *c) slag*, B; et sane sententia, sec. verba in textu allata, *at gefa einum herþrungit kveld*, et insolentior videtur, et histo-

Ejusdem diei vespera rex Hakon ex oppido directo cursu Tunsbergum revectus est.

Petrus archiepiscopus in Norvegiam venit.

131. Petrus archiepiscopus, cum in Norvegiam venisset, literas quibus eum amicitiæ regiæ pontifex Romanus commendaverat, regi misit, suasque literas adjunxit, quibus amicitiam regis expetivit, suamque vicissim amicitiam et [1]fidem pollicitus est. Hoc tempore literæ Skulii dynastæ et canonicorum Nidarosensium ad regem allatæ sunt, nuntiantium, Petrum fraudatorem in Norvegiam advenisse, titulumque archiepiscopi pecunia sancti Olavi regis conciliasse, quare se petere, ut eum rex pro sanctæ ecclesiæ fraudatore acciperet. Has easdem literas rex, suis adjunctis, archiepiscopo misit, præcepitque, ut[2] ad se veniret aut se in regiis ædibus exspectaret, seque ipse comitem obtulit, ut eum septemtrionem versus ad sedem archiepiscopalem deduceret. Cum rex Tunsbergum revenit, venerunt ad eum naves ingentes ab eo relictæ, quibus regina et mater regia vehebantur[3], quo facto Osloam profecturus iter quam celerrime comparavit. Tum sacerdos quidam Danus, ab Si-

riæ repugnans, cum mane diei Ribbungi circumventi et interfecti fuerint; quare lectt. cod. *B* præferendas judico, ita tamen, ut pro *meginsveitum* legendum putem *meginsveittum* i. e. sudore perfusis, hoc ordine: *ríkr hlenna hnæykir gaf meginsveittum Ribb. eitt herþrungit slag í Oslu, yss gerðist,* potens prædonum repressor Ribbungis sudore perfusis (i. e. cursu exanimatis), tumultu exorto, cladem valde funestam Osloæ intulit. *d*) hanc semistropham *B* recte exhibet, *F* depravatam, ceteri nesciunt. *e*) *hervigt, F.* *f*) *mildum,* F, i. e. *kom köldum harða hervigs mildum á glapstigu,* quod bene procederet. *g*) *harða,* valde, *F,* vide *f.* *h*) i. e. clypeus; *víkingar,* F. *i*) *kendu, F,* nam *lauf* etiam pluralis esse potest. *k*) *langt,* F.

[1]) firmam, *add. F.* [2]) orientem versus, *add. F, G, H.* [3]) tum quoque præfecti provinciales ex Vika ad eum venerunt, *add. B, F, G.*

gurdo Ribbungo missus, ad regem cum literis venit, eique prælium indixit, certo tempore committendum ad lacum Dramnam dictum. Quo cum rex navibus majoribus penetrare non posse, ob aquarum rapiditatem, vulgo existimaretur, sacerdos locutus est: hanc quoque vobis conditionem obtulit, ut Osloam profecti, boream versus in Leiram iretis, quo se adfuturum pollicetur, ut vobiscum manum conserat; tunc enim utrique pari itineris spatio ad pugnam proficiscuntur. Rege conditionem libenter acceptante, sacerdos majora postulare cœpit, dicens, Ribbungis æquum videri, si rex Eidum usque equitaret, ipsique eo loco adessent, et utrique in campo Eidensi confligerent. Rex reposuit: sic nobis, Birkibeinis, qui jam Bergis navibus profecti sumus, longius itineris spatium emetiendum erit, si deinde octo milliaria obviam eis ibimus, cum ipsis non amplius tria milliaria[1] per lacus (conglaciatos) conficienda sint; sin vero Sigurdus eo loco[2] nobiscum congredi cupiat, i quam celerrime, sacerdos, atque Ribbungis nuntia, eis vexilli regis Hakonis in campo Eidensi conspiciendi facultatem fore, ut primum Deus spatium dederit. His actis Birkibeini quam celerrime Osloam contenderunt.

De itineribus Skulii dynastæ.

132. Skulius dynasta, uti inter eum ac regem convenerat, comitatus [Gregorio Jonis, Paulo Vagaskalma, Nicolao filio ejus, Petro Giskensi, magnasque et ornatas copias ducens[3], in mediterranea profectus est. Magna vis clavorum navalium, quos cudendos curaverat, clitellis devecta; adduxit et magnum fabrorum[4] numerum, maximaque usus celeritate in meridianas partes

[1]) brevia, *add. B, F, G* [2]) potius quam aliis locis, *add. F.*
[3]) *ab* [: multis viris præfectis, *G.* [4]) naupegorum, *F; omitt. G.*

Gudbrandsdalorum pervenit. Hinc [centum et octoginta[1] viros præmisit, præfectis Kolbeine Ketturyggo et Ivare Utvika. Hi circa meridiem Hamarem pervenerunt. Sigurdus Ribbungus, in balineo forte constitutus, ægre in navem suam evasit, aliquot suorum ceciderunt; ille in lacum remis provectus, Birkibeinos inclamans quæsivit, quis copiis ab septemtrione delatis præesset. Cum Ivar respondisset, his copiis præesse Skulium dynastam, Sigurdus in insulam, ubi milites sui agebant, transvectus, Erlingum Rumstavum ad dynastam misit; a quo cum bene exceptus esset, dein Skulius dynasta ac Sigurdus paucis comitati convenerunt, et aliquamdiu inter se sunt collocuti. Quo facto dynasta navem episcopi, omnesque alias, quas nancisci poterat, occupavit; præterea quinque naves instituendas curavit, tantæ magnitudinis, ut tales in Uplandis factæ antea non essent; quæ magna festinatione properatæ sunt.

De rege et Birkibeinis.

133. Skulius dynasta Tunsbergo[2] profectus, Franciscanorum aliquem cum literis ad regem Hakonem misit. Qui cum regem Osloam proficiscentem in sinu convenisset, nuntiavit, dynastam in mediterranea profectum, quare ad eum venire properaret, addens, curaturum dynastam, ut copia navium suppeteret[3]. Episcopus Nicolaus Osloæ erat, qui in vulgus edidit, se pacis inter Ribbungos Birkibeinosque internuncium agere velle. Tum quoque inventæ literæ, ex quibus rex intelligere sibi visus est, fidem, quam datam sibi ab episcopo existimabat, minus sincere servatam esse; quas res ut sibi ignosceret, episcopus regem oravit. Dein rex cum omnibus præ-

[1]) CC (ducentos quadraginta), *G*; C (centum et viginti), *H*.
[2]) Nidaroso? [3]) hortatus tamen, ut rex nonnullas adduceret, si usus posceret, *add. B, F.*

fectis et militum velocissimis in mediterranea proficiscitur, relicto ad custodiam navium Halvardo Brattio cum aliquot cohortibus[1], qui naves ad Elgjarnesum constituerunt[2]. Rex primam[3] noctem Bergi [apud Gunnarem, alteram[4] apud Amundium prætorem liberaliter exceptus transegit. Postero die mane Birkibeinis Eidum tendentibus occurrunt speculatores, nuntiantes, Ribbungos haud dubie in campo Eidensi illos exspectare.

De rege Hakone et Sigurdo Ribbungo.

134. Rex Hakon colloquium cum suis apud pontem quendam habuit, eisque significavit, Ribbungos eodem die prælium cum eo committere statuisse. Qua re lætati Birkibeini, hunc congressum primo quoque tempore fore optantes, summo studio iter contenderunt; cumque ad templum successissent, totum agmen citatis equis clivo secundo ad amnem se demisit, putabant enim, Ribbungos eo loco aciem instruxisse, ut regi Hakoni polliciti fuissent. Sed Ribbungi hoc loco eadem fide, qua ceteris antea, constituto tempore præsto adfuerunt; eo enim loco nullus eorum aderat adversus Birkibeinos pugnaturus. Itaque rex ad villam reversus milites per domos divisit; ipse in ædibus sacerdotis [se continebat[5]; speculatores cum colonis trans lacum mittit, qui dynastam de suo adventu certiorem faciant, et præcipit, ut naves ad sese quam celerrime mittat. Non ita post multo advenere missi ab dynasta[6], nuntiantes regi, versari cum illis aulicos Sigurdi Ribbungi, Erlingum Rumstavum et Alvum Styris filium, pacem a Birkibeinis colloquii

[1]) centurionibus, *F.* [2]) regina et matre regis in regia navi versantibus, *add. F, H.* [3]) *omitt. H.* [4]) *ab signo omitt. G, H.* [5]) liberaliter habitus pernoctabat, *H.* [6]) (principe legationis) Nicolao Karto (Sigurdo Tarto, *B*), *F, H.*

instituendi causa orantes. Negante rege, quidquam esse negotii quod conficiendum cum Ribbungis haberet, [missi[1] significant[2], hæc consilio dynastæ fieri, ut mora Ribbungis injecta spatium deliberandi habeat, naves enim non prius quam elapsis quatuor diebus paratas fore, tum primum universas in aqua staturas [omnibus rebus instructas[3]. Itaque concessit rex, ut legati Ribbungorum data pace in colloquium suum admitterentur. Illi mandata exposuerunt, Sigurdum Ribbungum pacis conditiones offerre, regni partem postulare, ostenderunt. Quibus rex sic respondit: regi Sverreri, avo meo paterno, erepta inimicis redactaque sub potestatem Norvegia majoribus pluribusque, quam adhuc suscepimus, periculis stetit, et tamen, singularem potestatem adeptus, cum a multis regnum tentaretur, nullam aliam regni partitionem fieri passus est, nisi precatus est Deum, ut pro clementia sua negotium decerneret. Ita quoque Sigurdo principi vestro sic renuntiate, nullam inter nos fore regni partitionem, nisi quam Deus decreverit[4]; neque satis novimus, an Sigurdus filius sit Erlingi Steinveggi; id certe scimus, hunc non filium esse regis Magni, vanaque esse quæ jactavit[5]. Tum legati petierunt, ut pax per hiemem duraret, Ribbungisque Upplanda procuranda concederentur. Negavit rex. Postulantibus, ut Heidmarkam et

[1]) ab dynasta, *add. G.* [2]) *ab* [: Nicolaus significat, *F, H.* [3]) *omitt. G.* [4]) fieri voluerit, *G.* [5]) quemadmodum notum est iis, qui hic nunc adsident, tibi, Arnbjorn Jonis, tibi, Gunnbjorn, tibique, Simon Kyra. Qua de re cum Arnbjorn pauca loqueretur, Simon Kyra: nemini æque notum est, inquit, atque mihi, quod non sub eo Erlingo militavimus, quem vidi (vidimus, *H*; qui sedit, *F*) in muro lapideo inclusum in Vissingseya (Visinseya, *G, H*), qui tamen mihi admodum probatus est, dum cum eo versatus sum. Quibus dictis Simon Kyra ac Ribbungi verborum quosdam aculeos inter se commutarunt, *add. B, F, G, H.*

Raumarikum ad proxime insequens ver retinerent, rex respondit: si ibi in pace[1] considetis, multos fures malificosque homines, ut soletis, ad vos arcessetis; quo facto difficilius, quam nunc, exturbari poteritis. Dein legati [ad navem redierunt; rex vero dynastam de his, quæ acta erant, certiorem fecit, significans, se[2] nullo modo diutius quam octo noctes in campo Eidensi morari posse, necesseque sibi esse die undecimo proficisci; qui dies proximus erat post festum omnium sanctorum.

De Skulio ac Ribbungis.

135. Tum dynasta Nicolaum Pauli filium ad regem misit, navesque paratas esse, neque tamen vulgo satis continentes aquarum videri significavit[3]; [quem rex naves aliquas[4] mittere, quæ aquarum patientes essent, jussit. Reverso Nicolao, dynasta naves aquis commiserat, rimarum adeo plenas, ut[5] transmissa aqua ægre posset exhauriri, neque ullo pacto ad classicam expeditionem idoneas. Interea Ribbungi, abductis ex insula navibus, huc illuc in amnium ostia aut sinus[6] dilapsi erant. Quo cognito dynasta naves suas boream versus Ringisakrum duxit, ubi parte navium[7] concisa, septemtrionem versus in Thrandheimum cum omnibus copiis reversus est, nullis ea vice nuntiis ad regem missis.

De rege Hakone et Ribbungis.

136. Rex Hakon, spatio temporis, quod

---

[1]) præsenti hieme, *add. B, H;* ad proxime insequens ver, *G.* [2]) cum Nicolao reversi, dynastæ colloquium regis et Ribbungorum exposuerunt, significantes, regem, *F.* [3]) et a rege petiit, ut aliquantum sibi militum mitteret; cui rex octo cohortes misit, ducibus Ivare Skedjuhovensi et Saxio Bladspjoto, *add. B, F, G.* [4]) Rex homines cum Nicolao ad dynastam misit, eumque cum navibus ad se venire et, *F.* [5]) vix aquis innatare et, *add. F.* [6]) parvas insulas, *G.* [7]) incensa, parte, *add. F, G.*

inter eum et dynastam convenerat, in campo Eidensi consumto, cum omnibus copiis abscessit, et ad naves descendere statuit. Ut vero in Raumarikum venit, audivit, Ribbungos naves suas per Thotnum, indeque in Hadalandum pertraxisse, et in lacus[1] Ringarikiæ deducere statuisse. Itaque rex iter per Hakadalum in Hadalandum convertit, maxima militum parte ad naves revertente, cum alii regem revertisse nescirent, aliis animus ad comitandum eum deesset. Rex primam noctem Hakadali transegit[2]; tum ei nuntiatum est, aliquas catervas Ribbungorum[3] in navibus per eum pagum pertrahendis occupatas esse. Itaque Ivarem Nevum cum copiis præmisit, ipse subsecutus in tractum, Brandabyum[4] appellatum pervenit, ubi occurrentes aliqui Ivarem in silva Kjalvego fugatum, multosque suorum interfectos esse nuntiarunt. Paulo post ipse Ivar advenit, seque aliquantum silvæ spatium equo vectum transisse demonstravit[: tum magna Ribbungorum multitudo superveniens tam subito in nos ingruit, ut vix spatium daretur[5] armorum aptandorum (nam silva erat densa); quare nostri protinus in silvam diffugientes saluti consuluerunt, ego vero cum aliquot hominibus, spatium equi convertendi nactus, retro aufugi.

De rege Hakone.

137. Eo die rex Hakon copias in tumulo

---

[1]) lacnm, qui Thyrius dicitur, *F*, *G*, *H*. [2]) sequentis diei mane hora sexta rex cibum snmsit Gullyne (Gylline, *B*; Gistis, *H*), prædio Hadalandi, *add. B*, *F*, *H*. [3]) copias contrahere et, *add. F*. [4]) Brandabygdam, *H*; Brandabuum, *B*, *F*. [5]) *ab* [: tumque Ribbungos sibi obviam factos: quorum numerum ignoravi, inquit, hi conjunctim ibant, nos sparsim, quippe non opinantes, tam subito inter nos concursuros, cumque convenimus, spatium vix datum est, *F*.

quodam continebat, ex duodeviginti centuriis[1] non amplius trecentis sexaginta militibus reliquis. [Procedente die ex silva advenerunt, qui ab hostibus exagitabantur; quam ob causam rex hoc die eodem loco mansit[2], cumque cognovisset, Sigurdum Ribbungum eo cum copiis adventurum, insequenti nocte copias eodem loco continebat. Thorbjorn Gromus[3], aulicus regis, circa occidentem diem advenit, nonnullique cum eo milites, omnes[4] spoliati, quidam etiam ab Ribbungis vulnerati. Postero mane [rex misit, qui Ribbungos quærerent, sed[5] Sigurdus tum cum omnibus copiis iter in Hadalandum converterat[6]; quam ob rem rex rationem non esse judicans, eis ad lacum usque insequendis milites fatigare, quod nullam habebat navium facultatem, [Osloam cum copiis se recepit[7].

Obitus Nicolai episcopi.

138. Episcopus Nicolaus, qui eo tempore graviter ægrotabat, misso nuntio regem, ut ad se veniret, oravit. Rex, qui in hac expeditione[8] literas aliquas invenerat, quibus fidem erga se ab episcopo violatam judicabat, de hoc crimine eum accusavit; quam culpam fassus episcopus, regem, ut sibi condonaret, oravit. Quod ille se Dei gratia libenter facturum confirmavit. Tum

---

1) quæ cum in mediterranea comitatæ erant, inito copiarum numero, *add.* *B*, *F*, *G*, *H*. 2) *ab* [: eo die advenerunt, qui ab Ivare fugerant, et nonnulli, quos cecidisse opinati erant, *H*. 3) Gormus, *H*. 4) quidam, *F*. 5) illucescente die rex sexaginta (centum et octoginta, *B*) homines equites dimisit, qui de rebus Ribbungorum specularentur; qui ad meridiem reversi nuntiabant (Sigurdum — convertisse), *B*, *F*. 6) navesque ac copias in insulam transmittere constituerat, *add.* *F*, *G*, *H*. 7) in Hadalandum ascendit (per H. descendit?) atque (eo die, *add.* *F*) lautis epulis apud Bardium præpositum Granæ interfuit, *add.* *B*, *F*, *H*; iter per exteriores regiones convertit, *G*. 8) adhuc, *add.* *H* (vide cap. 133).

intelligens rex, quem in locum valetudo episcopi deducta esset, ibidem moratus est, donec [eum Deus ex terrenis arcessivisset[1]. Rex Hakon exsequias ejus celebravit, et pro hominis dignitate amplo funere extulit; erat enim episcopus Nicolaus [plerorumque[2] omnium Norvegorum præstantia et magnanimitate excellentissimus, optimis[3] in Svecia et in Dania familiis oriundus, domestico bono genere natus. Qui etsi Birkibeinis amicus non esset, tamen rex Hakon testatus est, virum qualem episcopum Nicolaum[4] vix extitisse.

Rex Hakon Kongelæ versans[5].

139. Rex Hakon [Tunsbergum se contulit[6], tumque Dagfinno colono, Gautio Melensi, ceterisque hominibus ex partibus septemtrionalibus domum redeundi veniam concessit, ipse vero a septemtrione profectionem orientem versus ad Albim paravit. Regina et mater regia in arcem concesserunt, Gunnbjorne, dum rex in oriente versaretur, summam rerum administrante. Cum rex Kongelæ versabatur, Askel prætor et domina Kristina ad eum venerunt. Prætor professus est, expeditionem, quam rex in Vermalandum suscepisset, vehementer ab rege Eiriko omnibusque Svionibus vituperari. Rex demonstravit, notum prætori esse, quoties a rege Svionum petisset, ut fures regnum Norvegiæ regis quotidie[7] depopulantes suo e regno expelleret. Quod prætor se probe scire fassus, adolescentiam Svionum regis et consiliariorum ejus infidelitatem excusavit[8]. Rex prætorem ad epulas

[1]) episcopus exspirasset, *H.* [2]) clericorum, *F, H.* [3]) amplissimis, *F.* [4]) rerum civilium scientia, et gloria, *add. cet.* [5]) Colloquium regis ac prætoris, *H;* Testimonium Simonis Kyræ de Erlingo Steinveggo *G.* [5]) *sic B;* Tunsbergo profectus est, *A.* [7]) spoliantes et, *add. F.* [8]) qui si integra fide fuissent, hanc maleficorum sentinam e regno exhausissent, *add. B, F.*

invitavit, omnesque res [satis bene[1] inter eos convenerunt. Tum multi Bagli[2] cum rege versabantur, Lodin Gunnii, Simon Kyra, Halvardus Brattius; ex quibus illudendis, quod apud Erlingum Steinveggum versantes non legitimo regis filio nomina dedissent, oblectationem rex capiebat. Cui ludificationi[3] cum multi se immiscuissent, prætor, qui interea auscultaverat, regi loquitur: permittisne, domine, ut nos, Gothi, cavillationi vestræ, Nordmannorum, nos immisceamus? [Permittente rege[4], prætor infit[5]: haud falsa pronuntiare vellem, de quibus vera cognovissem, id vero mihi notum non est, an hic Erlingus, sub quo Bagli militarunt, filius regis Magni fuerit, cum certe (Deum testor[6]) noverim, non fuisse illum Erlingum, qui apud nos muro lapideo inclusus in Visinseya sedit. Nam hunc regis Magni filium fuisse profitemur. Quam ob rem arbitror, vos injuste fecisse, qui eum ducem secuti estis, huncque nomen[7] illius sibi adscivisse: tu vero, Simon Kyra, haud dubie ista nosti[8]. Simon respondit: Deum testor, hæc mihi nota esse, quoniam muro lapideo inclusus una cum Erlingo tenebar, neque hic Erlingus is fuit; ideo vero hunc secuti ducem sumus, quod aliquem conciliare voluimus, qui Birkibeinis se opponeret. Tum rex præsentes contestatus est, fateri Simonem, quæ commenta et ipsi agitassent, et omnes deinceps, qui hujus Erlingi progeniei obsequerentur.

---

[1]) ea vice amice, *F.* [2]) veterani, *add. F, G, B.* [3]) colloquio, *F.* [4]) omnibus permittentibus, *B, H.* [5]) nihil mea interest, quid ludificetis, quidve in Norvegia agatur, verum, *add. B, F.* [6]) *om. F.* [7]) et cognomen, *add. F.* [8]) qui cum eo fueris inclusus. Tum rex *Simoni*: dic, *Simon*, quæ hac de re verissima coram Deo nosti, *add. B, F, H, G.*

Rex Hakon Bergas proficiscitur.

140. Rex Hakon et[1] prætor amicissime digressi sunt, eximiis inter se muneribus donati. Tum rex[2] Knutum cognatum suum invitavit, ut secum in Norvegiam proficisceretur, magnos ei honores patris cognationisque inter eos causa pollicitus; sed auctoritate matris factum est, ut non proficisceretur. Post hæc rex septemtrionem versus Tunsbergum profectus, eo primæ feriæ festi jolensis vespere venit, festumque in arce transegit. Hæc nona fuit hiems imperii ejus. Post festum jolense septemtrionem versus Bergas profectus est, copias paraturus, quod Ribbungi in Vika et Uplandis eo tempore opibus admodum invalescebant. Relicto in arce Gunnbjorne cum centum viginti militum præsidio, quod omnia freta conglaciata erant, per exteriora[3] vectus est, et octo[4] noctes ad Hvolos stetit. Hic Gunnbjorn ad eum venit, querens, quod milites, quibus inperatum erat, in arce manere nollent; quare rex in oppidum facto per superiora itinere profectus, si arcem dedidissent, gravissimas pœnas comminatus est; quo facto ad naves rediit. Accidit Tunsbergi, cum malus in navi regia erigendus esset, ut arbor, cum erigeretur, [per canaliculum[5] procumbere cœpisset. Regem sub arbore procidente stantem militum aliquis prehenso cingulo ad latus navis retraxit. Hic Deus insigne miraculum patravit, nam, cum multi sub arbore premerentur, nemo læsus est. Causa fuit, quod canaliculus glacie lubricus erat.

Rex Hakon Jadarem prænavigavit.

141. Rex Hakon fretum Eikundense per-

[1]) Eskel, *add. F.* [2]) dominum, *add. F* [3]) cursu in orientem circumflexo, *F, H.* [4]) septem, *G, H.* [5]) ad proram, *H*; ad proram per canaliculos (canaliculum, G), *F.*

navigans, eo loco ad terram appellere voluit. Ceteris obloquentibus, satisque restare diei[1] ad prænavigandum Jadarem dictitantibus, rex se ab navigando abhorrere dixit, somnio admonitum, fore ut in [aliqua iniqua maris loca[2] venirent, ante quam Bergas pervenisset. Neque tamen eo minus vento secundo vela dederunt, Jadaremque prætervecti sub vesperam in Rottum pervenerunt. Postero mane, cum vela ventis darent, euronotus vehementer spiravit; [rex quatuor[3] naves longas duxit. Cum freta insularia[4] prætervehebantur[5], tanta extitit vis venti, ut regia navis veli pæne impatiens esset; moxque velum in dentem ancoræ projectum diruptumque totum in navem defluxit, navis vero in brevia æstuosa deferri cœpit. Hic cum homines[6] ingentia vota vovissent, omnibus de salute desperantibus, Deus [insignia miracula fecit[7]; [portum enim quamvis ægerrime tenuerunt[8], scapha fracta, dirupto velo, omnibusque armamentis nonnihil violatis. Inde rex septemtrionem versus Bergas pertendit, advocatisque præfectis conventus Gulensis significavit, se profectionem orientem versus in Vikam denuo apparaturum. Qui cum demonstrarent, cibaria et copias ad expeditionem necessaria tam cito a colonis suppeditari non posse, rex, donec ver adolevisset, eo loco moratus est.

---

[1]) ventumque secundum adspirare, *add. B.* [2]) præsens aliquod discrimen, *G.* [3]) illi septem (— habuerunt), *G.* [4]) fretum Frekeyense, *B.* [5]) prætervecti erant, *G.* [6]) qui navi vehebantur, *add. F, H.* [7]) monstravit, *F*; *ab signo:* etiam tum splendidum miraculum domino suo exhibuit, *G.* [8]) *ab* [*:* nam navis, et dum fluctuum cumulo adpropinquabat et cum præterlata erat, magno impetu in æstum deferebatur, præteriens vero a latere effervescentia fluctus, ungvem latum a cursu non dejecta est. Rex magna cum difficultate portum tenuit inter insulas Aumas, *ceteri.*

Sigurdus Ribbungus pacem petit.

142. Sigurdus Ribbungus in Uplandis se continebat magnis cum copiis; literas septemtrionem versus misit ad Skulium dynastam[1] et Petrum archiepiscopum, in eam sententiam: se petere, ut pacis cum rege Hakone faciendæ internuntii essent, regnique partem postulare, et ut conventus pacificatorius inter Ribbungos et Birkibeinos certo loco et tempore indiceretur. Quibus literis septemtrionem versus missis, omnibus militibus advocatis in Vikam descendit, magnis copiis validus. Quo cognito Birkibeini, qui in Vika erant, desperantes se provincias adversus Ribbungos posse tueri, cuncti septemtrionem versus ad regem profecti et ab eo liberaliter excepti sunt; cui quæ acciderant exposuerunt. Rex eis octo naves bene instructas dedit, quo facto illi cum copiis orientem versus revecti sunt. Literis Sigurdi septemtrionem versus in Thrandheimum perlatis, archiepiscopus et dynasta, regem in Vika versari arbitrati, literas orientem versus[2] miserunt. Harum literarum hoc erat argumentum, ut rex Hakon pacis conditiones ab Sigurdo Ribbungo oblatas acciperet, archiepiscopo excommunicationem cuique denuntiante, qui hostilia faceret, priusquam de componenda pace tentatum esset. Hæ literæ præfectis ab oriente Agdarum[3] occurrerunt, unusque canonicus Nidarosensis, alterque Osloensis, et aliquot a dynasta missi. Cum præfecti literas cognoverant, missi septemtrionem versus ad regem contenderunt, præfecti Vikam ingressi sunt. Qui cum ad Jarlseyam venissent, ventus quam maxime opportunus erat navigantibus Osloam, ubi

[1]) *sic ceteri*; ducem, *A, h. l. prave.* [2]) per mediterranea, *add. F, G.* [3]) Jadaris, *H.*

se Ribbungi continebant, ibique[1] Birkibeini pulcherrimam victoriam reportaturi fuissent; sed cum (præfecti) excommunicationem archiepiscopi, iram dynastæ metuerent, [auctoritas militum, oppidum adire cupientium, nihil valuit[2].

Literæ regis Hakonis.

143. Allatæ literæ regi Hakoni displicuerunt, neganti, se divisionem regni tam præcipitanter concessurum. Dein homines septemtrionem versus cum literis ad archiepiscopum et dynastam misit, quarum tale erat argumentum: nobis scripsistis, et minas nescio quas adjecistis, nisi pacem cum Ribbungis[3] facere et Sigurdo patrimonium nostrum concedere vellemus; nobis autem dura videtur conditio, ei homini partem regni concedere, ad quem natalium ratione Norvegia nullo jure pertineat. Jam res docet, quam vera fuerint, quæ nobis, domine archiepiscope, autumno proxime præcedenti scripsisti, in regnum redux, neutros alteris amicos esse, canonicos ac te; nam[4] par pari gaudet, et scelerati cum sceleratis se congregant, quorum gregi merito adnumerari tu sociique potestis; sed utut est, Deus rem inter nos decernet, non episcopi. Erlingus Ljodhorn eo tempore cum rege versabatur, aliqua cum archiepiscopo[5] cognatione junctus. Qui cum hæc audiret, regi sic respondet[6]: non mirum, si archiepiscopus, cognatus noster, in infidelitatem pronior est; nobis enim omnibus,

[1]) si eo intravissent, *add. B.* [2]) qui vero octo navibus orientem versus ab rege missis præerant, vel soli invadere Ribbungos cupidi, a præfectis reprimerentur, congressus inter Ribbungos et Birkibeinos suppressus est, *B, F.* [3]) Sigurdo Ribbungo, *F.* [4]) confirmatur vetus carmen, *add. B, cujus duo versus afferuntur, sic, ut puto, proferendi:* sækjast ser um likir, Saman níðingar skriða. [5]) Petro, *add. F.* [6]) audientibus omnibus consiliariis, *add. F.*

qui Standalorum familia orti sumus, gentilitium est, non omnino integræ fidei esse.

Rex obitum Sigurdi Ribbungi rescivit.

144. Procedente vere rex, imperata magna copia ad expeditionem, profectionem orientem versus in Vikam apparavit. Per id tempus homines ab septemtrione venerunt, literas ab dynasta afferentes, qui nuntiarunt, dynastam in acrem morbum incidisse[1], periculosaque valetudine laborare; sed Dei beneficio ex hoc morbo revaluit. Regi Hakoni, die quadam dominica Bergis Alrekstados, ut consveverat, equitanti, obvius venit homo aliquis, vehementi cursu properans[2], ex Ribbungis, scytalam manu tenens, runicis characteribus exaratam, regi a Ribbungorum aliquo missam „Sigurdum regem Ribbungorum obiisse, quare rex aliquo celeri consilio occurreret, ne [3]Knutus ad confirmandam denuo factionem veniret". Rex, missis extemplo orientem versus literis ad Knutum, cognatum suum, honestas, ut antea, conditiones obtulit; quo facto, maturata profectione, post vigiliam festi martyrum Seloensium in Vikam pervenit.

De Knuto, regis cognato.

145. Sigurdus Ribbungus Osloæ obiit; sui vero, ut mortem ejus celarent, deportato in mediterranea funere, ægrotare simularunt. Mox[4] Haraldum Lauftunensem[5], Alvum Styris filium et Erlingum Rumstavum orientem versus in Gothiam miserunt ad Askelem prætorem et dominam Kristinam, petentes, ut juvenis princeps Knutus

---

[1]) extremisque beneficiis, quæ in moribundos a christianis conferri solent, (S. cœna et extrema unctione) jam affectum esse, *add. B, F, H.* [2]) ex montanis, cujus immodicam festinationem admirabatur rex, qui nosset eum unum esse, *add F.* [3]) juvenis princeps, *add. F, H.* [4]) interea, *F.* [5]) Lautgnensem, *F, G*; Lauvensem, *H.*

imperium factionis susciperet, qui si venisset, regnum facili negotio occupari posse. Domina Kristina his cohortationibus permota, eaque et maritus juvenem principem Knutum Ribbungis tradiderunt, multis comitatum Gothorum et Markomannorum catervis.

De rege Knuto et Birkibeinis.

146. Knutus, cum in Raumarikum pervenisset, se regem consalutari curavit, quo facto ingens ad eum multitudo confluebat. Sic Sturla:

Bellicosa factio, quæ vitam
quietam agere noluit, iterum
antesignanum elegit strenuum,
mortuo hostium adversario.
Ruens in prælia Knutus, fidens
animi, cum forti principe
contendit armis, fervidis eum Gothis
ad capessendum imperium hortantibus[1].

Præfecti ac Birkibeini, qui in Vika erant, nova bella post mortem Sigurdi non oritura arbitrati, his cognitis rebus in sua quisque provincia copias contraxerunt. Nulli in Vika coloni multitudini peregrinæ se submittere voluerunt. Knutus Osloam profectus est, ibique regium sibi nomen dari jussit. Provinciam Osloensem id temporis tenuerunt Guttormus Erlendi et Klæmitus Holmensis, qui Lidis ad occidentem versantes provincias suas administrabant[2]. Coloni comitia in-

---

[1]) Constructio: *ógnmildr flokk a), sá er ekki vildi friðast, tók enn dáðfinginn höfðingja eptir dauðan dólgstriði. Geystr, böðtraustr Knútr rèð at brjóta bág við hraustan gram, því at geðbráðir Gautar fýstu landráða.*

a) accipio pro nom. apocopato, pro *flokkr*, et intelligo Ribbungos. Hoc malui, quam jungere: *ógnmildr* (i. e. Knutus) *tók flokk*, tum enim sententia, *sá — friðast*, non commode de Knuto intelligendum foret.

[2]) Quicunque bas res cognovissent, omnes qui in vicinia erant Birkibeinos ad se arcessiverunt, *add. F.*

dixerunt, et constituerunt ex pagis homines, qui Ribbungos Osloæ adgrederentur. Hi præfecti colonis erant: Steinrodus sacerdos, Thorbjorn Slodius, Eirikus Ignarbakkius[1], qui signum colonorum gestabat. Quod ut cognoverunt Ribbungi, adversum eos profecti sunt; congressi sunt ad occidentem Akri in pratis quibusdam; hic acerrimum inter Gothos et Nordmannos prælium ortum. Coloni ad primum congressum cunctatione aliqua retenti, ægre progrediebantur; quo animadverso Birkibeini ex equis desiluerunt, et audacter progressi sunt. Hos Ribbungi, [fortitudine ducis[2] confisi, vehementer incesserunt, et primo statim impetu Eirikum Ignarbakkium, signiferum colonorum, dejecerunt. Ut vero animadverterunt coloni, Birkibeinos audacter pugnare, ex equis suis disiluerunt, et eis operam strenue navarunt. Paulo post Ribbungi terga verterunt, magnaque pars lectissimorum militum eorum, omnesque ferme Gothorum ductores ceciderunt. Knutus in equo cum [tribus Ribbungis[3] effugiens, cum pontem aliquem admissis habenis transmitteret, collapso equo, ægerrime evasit, et in mediterranea profugit. Eo tempore Ribbungi maximam Uplandorum partem, omnesque naves in lacubus, tam in Mjorso, quam aliis locis, tenuerunt; eorumque locorum provinciis præfectos præfecerunt, nulli enim Birkibeini in Uplandis versabantur.

De colono quodam.

147. Rex Hakon meridiem[4] versus in Vikam navigabat, navem ducens, Draconem[5] appellatam. Prævectus ceteras naves, cum ad Areyas

[1]) Ognarbakkius, *B.* [2]) numero et strenuitate militum *B.* [3]) duobus hominibus, *G, H.* [4]) orientem, *B, G, usitatius, ut puto.* [5]) ingentem, *add. G.*

appulisset[1], conscensa scapha, ad oppidum trajecit, et quid novi perquisivit. Cui colonus aliquis: rem novam nuntio, tibi forte gratam, mihi vero ingratissimam; erant mihi duo gnati, qui in exercitu Ribbungorum militabant, quorum uterque jam mortuus est. Dein regi de prælio Akrensi reque ibi gesta ordine narravit. Rex naves suas oppertus Osloam navigavit; advocatis ex Vika præfectis, in Uplanda[2] profectus, naves tres*) et triginta ex oppido pertrahendas curavit. Coloni autem, ex quo Knutus aufugerat, in cogendis[3] copiis occupati erant, res suas diligenter curabant, atque ita regem exspectabant. Arnbjorn Jonis et Simon Kyra tredecim naves ex Albi[4] (Romorum) perducendas curarunt. Rex Hakon duas noctes in itinere consumsit; primum isthmum Stavnsbjarga[5] usque transiit, spatio duorum longorum milliarium, qua naves per paludes et silvas pertrahendæ erant, antequam in lacum venirent[6]; inde eas per isthmum[7] milliare longum traxerunt, antequam in Albim venirent. Birkibeini paulo turbulentius iter faciebant. Hic rex Hakon, vituperatus, quod in puniendo parcior esset, unum ex speculatoribus, qui turbulentissimus fuerat, interfici jussit; quo facto nulli maleficiorum rumores ferebantur. Mane ejus diei, quo rex Eidum pervenit, aliquot levia navigia præmisit; qui captos [in palude[8] sex[9] speculatores Ribbungorum interfecerunt. Ejusdem diei vespere rex cum omnibus suis ad lacum[10] ad-

[1]) et navis in stationem venisset, *add. F, G, H.* [2]) mediterranea, *G, H.* *) quatuor, *B;* quinque *F.* [3]) per totam provinciam Osloensem, *add. B, F, H.* [4]) præter Albim, *F.* [5]) Stavbjarga, *B, F.* [6]) hic ei occurrerunt Arnbjorn Jonis, Simon Kyra, Lodin Gunnii, *add. B, F.* [7]) amplius, *add. F, H.* [8]) ad ostium (vel prædium Mynnium), *F, H, rectius, ut puto.* [9]) septem, *B, F, G.* [10]) ostium lacus, *H.*

scendit, nullumque certum nuntium de Ribbungis acceperat[1]; viderunt unam navem Ribbungorum remis advehi, protinusque ad terram appellere, quam navem rex intercepit. Dein suos allocutus monuit, ne Knutum, cognatum suum, etsi ejus copia fieret, interficerent, Hakonis dynastæ patris ejus causa. Postero die mane, ubi illuxerat, Birkibeini naves Ribbungorum contentissimo remigio adversum se ferri conspexerunt; quos prælium committere velle putabant, quod naves multo majores, quam Birkibeini, habebant. At Ribbungi, conspecta classe regia, appulsis ad terram navibus, in tractum Hunam dictum aufugerunt; rex autem omnes naves eorum cum commeatu magnaque præda cepit. Quo facto orientem versus Hamarem contendit. Hic multi ex Ribbungis, qui Akri pugnaverant, ægri vulneribus jacuere, quibus omnibus rex vitæ gratiam fecit. His rebus confectis colonos ad se arcessivit, societatem cum eis adversus Ribbungos fecit. Knutus in Hadalandum profugerat; cui rex, missis legatis[2], bonas etiam nunc conditiones, si facere pacem vellet, obtulit. [Quo cognito, Ribbungi[3] observarunt, ne Knutus aufugere posset; qua de re legati[4] regem certiorem fecerunt. Post hæc rex, cum præfectos in Uplandis constituisset, omnibus navibus in Mjorso relictis, custodibusque impositis, profectionem septemtrionem versus Bergas apparavit, ut archiepiscopum et dynastam, quos[5] a borea advenisse cognove-

[1]) quare negotium sic instituit, ut ipse secundum ripam lacus occidentalem cursum dirigeret; qui regia navi vehebantur, *add. B, F, G, H.* [2]) Gudleiko Askeusi, cognato suo et aulæ magistro (Thorleivo, *B*; Arnbjorne, *H*), viroque, cui nomen Arnthor (Baugus, *add. B, G*), *ceteri.* [3]) cumque legati Knutum convenissent, Ribbungique animadverterent, proponi Knuto conditiones pacis, *F.* [4]) re infecta reversi, *add. F.* [5]) ad conventum ab se indictum, *add. H, F, G.*

rat, conveniret; qui ut se opperirentur, signiferum suum Thorsteinem Heimnesum septemtrionem versus misit, qui novem[1] diebus iter absolvit. Archiepiscopus et dynasta[2] id consilii ceperunt, ut ille boream versus reverteretur, dynasta regis adventum exspectaret. Rex Hakon, Osloæ et Tunsbergi comitiis habitis, societate cum colonis adversus Ribbungos confirmata, septemtrionem versus profectus, Thorsteinem Heimnesum[3] ad Portyriam obvium habuit, qui renuntiavit, archiepiscopum pollicitum, se adventum regis exspectaturum, postquam collocutus cum dynasta fuisset, [iter septemtrionem versus convertisse[4]; multos ab occidente per mare advenisse, regem conventuros; quare iter accelerandum esse. Cum rex Bergas pervenit, aderant ibi Skulius dynasta, Jon dynasta Orcadensis, Simon episcopus Hebudensis, abbas ab insula sancta; quorum[5] negotia rex, dynasta in consilium adhibito, primo expedivit.

Knuti opes crescunt.

148. Knutus, ubi ex navibus in Mjorso aufugerat, occidentem versus in Dalos (valles) profugit, sed cognito, multitudinem iter sibi interclusuram cogi in Heidmarka et Hadalando, septemtrionem versus in Gudbrandsdalos[6] indeque in Vermalandum iter convertit, ubi denuo comparatis copiis in Norvegiam reversus est. Deveniens in provinciam Arnbjornis Jonis, locis qui Skauna et Heggina dicuntur, effuse popula-

---

[1]) octo, *F*, *G*; undeviginti, *H*. [2]) succensere sibi regem, rumore edocti, *add. G*; qui rumoribus audivissent, regem literas prolaturum, dubiæ in se fidei testes, *add. B*, *F*. [3]) qui biduo in oppido consumto, cursum a borea triduo absolverat, *add. F. G.* [4]) fidem deseruisse et profectionem summo studio properasse, *F*. [5]) omnia ab occidente delatorum, *F*, *G*, *H*. [6]) inde in valles orientales (occidentales, *H*), *add. F*, *H*.

tionem fecit; colonorum, res suas defendere cupientium, multi strenuique viri ceciderunt. Itaque Arnbjorn, missis ad regem literis, petiit, ut in Vikam proficisci maturaret, opes enim Ribbungorum magna incrementa capere. Quibus rebus cognitis, rex in orientales regni partes proficiscitur, dynasta septemtrionem versus in Thrandheimum concessit. Rex Tunsbergum delatus, relicto in arce Erlingo Ljodhorno, qui convivium jolense appararet, Osloam contendit [. Hic præfecti ad eum venerunt ab Hadalando[1], nuntiantes, Ribbungos naves[2] per silvam Eidensem in Mjorsum pertraxisse, præfectos regios[3], Guttormum Fjonkum et Arnium Aholam, qui ad custodiendas naves in insula (lacus) se continuissent, imprudentes oppressisse; Guttormum in ædibus interfectum esse, Arnium tectis erupisse et in agro [cum[4] manu eorum[5] cecidisse; dein Ribbungos omnes naves, quæ in Mjorso aliisque lacubus fuerint, cepisse, quo cognito colonos, pago hostibus dedito, pacem ab Ribbungis accepisse, jamque Ribbungos tota Uplanda [ad Osum[6] usque[7] ditione tenere. [Eo tempore coloni et oppidani amplius ducenti quadraginta Osloæ fuerunt[8]. Hic rege verba apud multitudinem faciente, coloni, cum significassent, se ex eo tempore, quo [prælium Akri factum esset, Birkibeinos adjuvisse[9]: jam te oramus, domine,

---

1) et per noctem proxime insequentem ad Jarlseyam stetit, ubi Thorgeir episcopi miniater et Fridrekua Slavsius, qui provinciam Hadalandensem administrabant, ad eum venerunt, *F, G.* 2) ab oriente, *add. H, G.* 3) Birkibeinorum, *F, G.* 4) universa ferme, *add. G.* 5) *ab* [: multosque alios, *H.* 6) Osloam, *H.* 7) *ab* [*omitt. F.* 8) Rex Hakon die insequenti Osloam navigavit, ubi ingens aderat colonorum multitudo, oppidanis adnumeratis amplius mille quadringenti quadraginta homines, *F, H*; *omitt. G.* 9) Akri cum Ribbungis conflixissent, copias non dimiaisse, eos vero nune

inquiunt, ut instanti hieme hoc loco te contineas ad pagos nostros custodiendos; nos vero omnes impensas bellicas[1], elapso festo jolensi, libenter pendemus, et si quid tibi deesse visum fuerit, dimidium pecudum domesticarum dimidiumque omnium cibariorum addemus; sin vero hic commorari nolis, ad pacem cum Ribbungis faciendam descendemus. Rex pro oblata ab iis conditione gratiis actis, se responsum daturum, suis in consilium adhibitis, declaravit. Cum vero rex consiliarios[2] suos hac de re compellaret, omnes dehortati sunt, ne fidei colonorum tantum tribueret, ut Osloæ commoraretur, quam commorationem perniciosam regi Sverreri fuisse, colonis Osloam ad eum opprimendum profectis. Itaque rex colonis renuntiat, se in arce commorari velle, ibi vero præfectos ad res eorum custodiendas relicturum. Coloni colloquio iterum inter se habito, polliciti sunt, se colonos amplissimos e parœciis delecturos, qui regi obsides darentur, si quid de fide sua dubitaret. Igitur rex iterum cum suis colloquitur, omnibus, ne colonis crederet, hortantibus; quare decretoriam sententiam dixit, se nullius hac in re consilio usurum, sed apud colonos commoraturum, qui conditiones tam honestas obtulissent, quique vitæ fortunarumque periculum pro sua vita adire non detrectent. Itaque rex in ædibus Hakonianis, [tempore festi jolensis in ædibus episcopi[3] se continebat[4], res necessarias Bergis Tunsbergoque advehendas curavit. Hæc decima fuit hiems imperii ejus. Arnbjorn Jonis ea hieme regni custodiendi hostium-

sibi ultima quævis pagorumque inflammationem, si ipsis non potiantur, denuntiare, *F.*

[1]) alterasque, *add. F, H;* alterasque dimidias, *add. G.* [2]) aulicos, *G.* [3]) *omitt. H.* [4]) ibique convivia celebravit, *add. H.*

que speculandorum gratia in Valdisholmo excubabat.

Pacis conditiones ab rege Hakone propositæ.

149. Dominus Knutus orientem versus in Gothiam concessit, ibique, dum adolevit hiems, se continebat, relictis in Mjorso aliquot catervis Ribbungorum, qui interea naves in totis Uplandis contrahebant. Hac bieme rex Hakon literas clam ad centuriones compluresque alios in exercitu Ribbungorum versantes misit, pacem pollicitus, si ad se transissent. Quam conditionem primus accepit Erlingus Rumstavus, vir fortis[1]; qui cum ad regem venisset, æquis conditionibus pacem adeptus est. Rex aliquot cohortes, præfecto Erlingo Rumstavo, in Soleyas[2] Ribbungos quæsitum misit; hoc loco quadraginta[3] Ribbungi ceciderunt; ex quo tempore rex Erlingum pro homine fideli habuit, eumque re præclare gesta præfecti dignitatem meruisse testatus est. Mox altera caterva in equis orientem versus in Vikam missa, trecentorum et sexaginta militum, præfecto Sigurdo[4] Kyra. Qui cum orientem versus ad Beviam delati essent, multi qui eo loco se continebant Ribbungorum, de adventu Birkibeinorum per speculatores certiores facti, extemplo aufugerunt, quorum haud paucis diversis locis interceptis, Sigurdus[4] ad regem rediit. Proxima post obitum[5] Sigurdi Ribbungi æstate, Gudolvus[6] se a factione Ribbungorum subtraxit, domumque suam[7] se contulit, seque in templo prope ab ædibus sito, loco ad defensionem idoneo custodivit; nam in eo territorio, cum Ribbungorum partes sequebatur, multa hostilia fecerat. Otryggus nomen colono fuit, quem ve-

[1]) et bene moratus, *add. B, F, H.* [2]) Seleyas, *F.* [3]) sexaginta, *G.* [4]) Simone, Simon, *cet., rectius.* [5]) cædem, *H.* [6]) Blakkastadensis, *add. B, F, H.* [7]) Blakkastados, *add. G.*

hementer pulsaverat bonoque equo spoliaverat; is duos filios habuit, quorum alteri nomen erat Asolvo, altero Gudleivo. Hi manu comparata Gudolvum adorti sunt, scalisque templo admotis tectum supra eum ferro discusserunt, ea irruperunt, ipsumque interfecerunt; cujus mors parum luctuosa fuit.

De legatione.

150. Eodem autumno Skulius dynasta legatos ad regem Valdemarum misit[1], Kolbeinem Kettoryggum et Grundium quæstorem; qui hieme proxime insequenti revertentes, glacie intercepti Mastrandis[2] detinebantur. Quod cum Knutus, eo tempore Ljodhusis versans, cognovisset, Ribbungi, sumtis levibus navigiis, ad eos opprimendos profecti, imprudentibus supervenerunt. Multi quidem mercatores, qui in his portubus stabant, opem iis ferre voluerunt, sed illi se fortiter ac strenue defenderunt, eoquo loco cum omnibus pæne comitibus[3] interierunt. Quo cognito, rex Hakon glaciem ab Osloa trans Holmium[4] usque intercidendam curavit; quod biduo administratum est. Dein multa levia navigia milite completa[5], ut orientem versus Ljodhusa navigarent, præfectis Lodine Gunnaris, Simone Kyra, Halvardo Brattio, Gunnbjorne, Olavo Ingæ filio[6]. Qui cum, quo studuerant, pervenissent, Knutus cum [omnibus militibus[7] discesserat, paucis tantum relictis, præfecto Bjorne Barkio[8], qui in castello ab septemtrionali oppidi parte sito se continebant. Castellum, a Birkibeinis obsi-

[1]) *hoc loco incipit Fragmentum tertium.* [2]) Marstrandis, *F, G, Fragm.* 3. [3]) magna strenuitatis et fortitudinis laude, *add. F, Fragm.* 3. [4]) Slidholmium, *B, F, G;* Slidurholmium, *Fragm.* 3. [5]) complevit, *Fragm.* 3. [6]) qui cum evasissent, aqua ut antea glacie concrevit, *add. H.* [7]) maxima parte militum, *F, Fragm.* 3. [8]) Bakkio, *G;* Thakkio, *F;* Pakkio, *B, Fragm.* 3.

dione circumdatum, celeriter se dedidit; insidentes vita donati. Eo loco Birkibeini magna præda potiti sunt, castellum[1] incenderunt, colonos, qui ab Knuto steterant, ingenti pecunia multarunt; quibus rebus gestis ad regem reversi sunt. Sic Sturla:

Peritus Norvegici populi rex
situm ad orientem munimentum
Ljodhusense destruendum curavit,
bellicosis præfectis virtute fidentibus.
Scio, generosum præfectorum ducem
rapinæ vindictam ab Gothis petisse;
iram regis experti sunt incolæ;
id quod, ut exspectari poterat, accidit[2].

De rege et Knuto.

151. Ribbungi in Uplandis se congregabant, et frequentes in Mjorso convenerant. Itaque rex Hakon naves aliquot ab Osloa in Albim pertrahendas curavit, his præfectis, Ivare Skedjuhovensi et Saxio Bladspjoto, qui [se navibus diligenter custodiebant[3]; tum plurimi Ribbungorum [ex Mjorso Knutum comitati abscesserant[4]. Rex Osloa profectus in campum Eidensem adscendit, conventumque colonorum habuit, qui denuo societatem cum eo fecerunt; inde in Raumarikum descendit, et orientem versus converso itinere Albim trajecit, audiverat enim, Knutum pertrahi ex Hellisfjordo naves jussisse, in Mar-

---

[1]) diruerunt et, *add. B, F, Fragm.* 3.

[2]) Constructio: *vitr valdr norrænnar aldar lèt brjóta virki Ljódhúsa austr, þar er ógnfúsir jöfrar treystust. Ek veit þat, at göfugr oddviti jöfra gallt Gautum rán; þjóð fèkk reiði ræsis; slíkt gekk at vánum.*

[3]) in Albim delati, navibus firmissimo præsidio instructis, ibi sese custodiebant, *B, F.* [4]) omnibus navibus in Mjorso relictis, ex lacu orientem versus in Markas ad Knutum profecti erant, *F, Fragm.* 3.

kas adscensurum, indeque Albi se commissurum. Quem rumorem falsum esse, cum deveniens in pagum Hegginam dictum audivisset, [1]Osloam reversus est, dimidio mense ante[2] festum paschatis. Knutus, cum reversum[3] regem audisset, naves ex Hellisfjordo pertrahendas curavit, qua nunquam antea naves tractæ fuerant; quibus in[4] Markas, indeque boream versus in Albim pertractis, Birkibeinos[5] improviso oppressos [ex navibus in terram expulerunt, Osloamque redire[6] coegerunt.

De tractu navium.

152. Quibus rebus cognitis, rex naves triginta quinque ab Osloa pertrahendas curavit, ipseque præsens negotio adfuit; nuntium Asbjorni Jonis filio ceterisque præfectis misit, ut naves in Albim pertraherent[; qui regem in Eyavatno convenerunt[7]. Hic cognito, Haraldum Lauftunensem[8] multosque Ribbungos in pago Skauna dicto versari, rex aliquot cohortes adversum eos misit. Congrediuntur in silva quadam; fit prælium; Ribbungi fugiunt, suorum quinquaginta interfectis; Birkibeini ad regem redierunt. His confectis rex naves in amnem Kinnam[9] dictum, indeque per isthmum unum milliare longum, antequam in Albim pervenirent, pertrahendas curavit. Tum audivit, Ribbungos ab Albi recessisse orientem versus; quare Birkibeini eos insequuntur, naves per isthmum Fundæum[10] pertrahunt, et ad villam Falam dictum perveniunt. Hic audiens rex, Rib-

---

[1]) in Foldam descendit, indeque, *add. F.* [2]) post, *H, F, Fragm.* 3. [3]) boream versus profectum, *Fragm.* 3 [4]) superiores, *add. B, Fragm.* 3. [5]) illos, *F;* Ivarem ac suos, *Fragm.* 3. [6]) ad regem Hakonem, *add Fragm.* 3; ab [: fugere, *F.* [7]) ibique regi occurrerent, *G, F.* [8]) Laotuoensem, *G;* Lautyoensem, *F;* Latynensem, *B, Fragm* 3; Laufeosem, *H.* [9]) Kinam, *Fragm.* 3; Kermam, *B;* Kemjam, *H.* [10]) dictum, *add. Fragm.* 3.

bungos Vingrii[1] ad orientem esse, cum maxima copiarum parte navibus egressus est, relictis custodibus navium Gunnare[2] colono et Saxio Bladspjoto[3]; hoc [die dominica[4] accidit. Postero mane diluculo secundum templum, quod Vingrii[5] erat progrediens, cum audisset[6], Ribbungos trans lacum esse[7] et quotidie per[8] lacum [ad sacra celebranda[9] remigare, suos in silva supra villam delitescere jubet. Ubi vero splendere sol incepit, Ribbungi, conspectis militibus in silva considentibus, cursum navium secundum ulteriorem ripam prono amne converterunt. Birkibeini, veriti, ne Ribbungi navibus eorum potirentur, iter properarunt; [Amundium Folavallensem imprudentem oppresserunt[10], cujus comitum alii interfecti, alii in aquas desilire, [11]omnes arma abjicere coacti. Mane proxime præcedenti, cum Birkibeini[12] procucurrerant, quod Ribbungis copiæ majores, quam revera erant, videbantur, Haraldus Lauftunensis[13] in ripam amnis procurrens, quis copiis præesset, interrogavit. Respondit Haraldus Stangarfylja: agnoscimus, credo, inter nos, cognate; adsumus hic vitelli[14] et præfecti ab Uplaudis. Cui Haraldus: raro tantas tamque ornatas copias

---

1) *sic H;* Vigrii, *A*; Vigrini, *B*; *omitt. G.* 2) Gunnbjorne, *F, H.* 3) quos ad eandem ripam, qua ipse progrediebatur, manere jussit, *add. B, F.* 4) nocte diem dominicam præcedente, *H, B, F, Fragm.* 3. 5) *sic F, G, H;* Vigrii, *A, B, Fragm.* 3. 6) a colono ejus prædii, nomine Gunnare, regi amico, *add. B, H, G, Fragm.* 3. 7) e regione, *add. F, H, Fragm.* 3. 8) transversum, *Fragm.* 3. 9) ad nova perquirenda, *B, F, G, H, Fragm.* 3. 10) Rex navibus suis egressus aliquot cohortes miserat in eum locum, ubi Amundium Folavallensem versari audiverat, *F, H, G.* 11) plerique, *B, F, H.* 12) ex silva, *add. B, F, H.* 13) Latunensis, *Fragm.* 3; Lautensis, *H.* 14) colonos intelligit, a *Kusli*, vitulus anniculus; bestiæ excornes, *B, H, eodem sensu.*

habere soletis, aut ubi est rex Hakon? Adest hic, inquit Haraldus. Ille contra: qui voluit [tantam miseriam[1] gratuito suscipere, ut nos Ribbungos persequens orientem versus in Markas usque aberret. Potius necessitate compulsus, credo, inquit Haraldus, quam nimia lascivia[2] ductus, ut multitudinem hominum turbulentorum, [quam ducitis[3], e regno expellat. Quibus dictis utrique iter, quam maxime potuerunt, contendere, telaque, qua alveus amnis angustissimus erat, inter se conjicere. Hic Deus, ut sæpius, insigne beneficium regi Hakoni præstitit: nam, qui per silvam incedebant, egressi qua præceperat rex, eo loco in catervam Ribbungorum inciderunt, hosque omnes interfecerunt. Hic animadvertentes, robur copiarum Ribbungicarum in ea ripa amnis versari, trajecto amni regi occurrerunt, utrisque mutuo congressu lætantibus. Ribbungi vero, ut regem navibus potitum animadverterunt, iter orientem versus converterunt. Eo loco, quo rex naves suas est assecutus, magna erat rapiditas fluminis alveusque exstantibus saxis impeditus, itemque quo loco Ribbungi versabantur; hinc utrique in ripam egressi naves suas ducebant, alii cursum longuriis dirigebant, tanto loci periculo, ut quæcunque navis, in qua aliquis funis[4] rumperetur, e vestigio in summo discrimine[5] versaretur. Delati qua angustissimus[6] amnis erat, utrique conquiescebant, rexque cibum sumere parabat. Sed Ribbungis tela[7] mittentibus[8], utrique iter summo studio continuare cœperunt. Ribbungi ad prædium supra memoratum, [in quo

[1]) tantos labores, *G.* [2]) audacia, *F.* [3]) quales estis, *H.* [4]) scalmus, *H.* [5]) cum omnibus hominibus (rebus, *Fragm.* 3) qui intra navem erant, *B, F, G, Fragm.* 3. [6]) maximus (maximæ altitudinis v. rapiditatis), *Fragm.* 3. [7]) in eos, *add. B, H, Fragm.* 3. [8]) cœna interrupta est, *add. B, H, Fragm.* 3.

templum erat, se contulerunt, multaque verba contumeliosa in Birkibeinos jecerunt. Rex monuit, ut nugas istas mitterent[1], potius exspectarent[2], donec naves ejus advenissent, ut plura inter se quam sola verba commutare possent. Quod se Ribbungi lubenter facturos ostenderunt[3].

De rege Hakone.

153. Cum quatuordecim naves advenissent, has rex diligentissime ornavit[4]; in quo dum erat occupatus, Ribbungi naves suas ab oriente templi, per amniculum ex transverso labentem, in lacum Vingsjor[5] dictum, qui[6] ad silvam usque Eidensem porrigitur, perduxerunt. Birkibeini amnem remis trajicientes, cum in medium flumen venissent, Ribbungos aciem ex adverso instruxisse conspicati, tela in eos vehementer conjecerunt, quod putabant, eos se exspectaturos, cum locum occupassent defensioni perquam idoneum, in ripa consistentes trium hastilium altitudine, subjecto alveo tam lutoso, ut alter pes fixus hæreret, donec alter fundum attigisset. Qui locus etsi oppugnantibus periculosissimus erat, tamen Birkibeini summa audacia adremigarunt[7]. Ut vero naves ad terram appellebant, Ribbungi aufugerunt. Birkibeini navibus egressi sunt, Ribbungos in locis superioribus exspectare opinan-

[1]) *ab* [: ubi antea fuerant, se contulerunt; hic iterum progressus Haraldus Lautensis (Latyoeosis) et plures Ribbungi, multa oefaria dieta in Birkibeioos jecerunt; tum rex misso Asbjorne Jonis talibus verbis absistere Ribbuogos jussit, *F, H;* (rex, advocato Olavo Sundrammo, contubernali Asbjornis Joois filii, Birkibeinos tam vanis verbis abstioere jussit, *Fragm* 3). [2]) eo loeo, *Fragm.* 3, *quod h. l. desinit.* [3]) posthæc utrique iter continuarunt, decreseente vero rapiditate fluminis, rex naves conscendit, *add. G.* [4]) iostruxit milite, *F, H.* [5]) Fingursjor, *B*; Vingursjor, *F, G*; Vigursjor, *H.* [6]) orientem versus, *add. H.* [7]) loeum aecesserunt. *H.*

tes, sed cum in ripam evasissent, procul abfuerunt Ribbungi. Quam ob causam rex Hakon ad naves rediit, cursumque orientem versus per lacus[1] continuavit, qua naves Ribbungorum præcedebant, utrisque quam maxime potuerunt remigantibus. Rex per superiora[2] secundum lacum orientem versus iter faciebat; cum vero Ribbungi ad extremum lacum pervenissent, ex navibus excurrerunt; quos rex insecutus, aliquot eorum dejecit, omnes naves cepit[3]. Hæc acciderunt die lunæ sextæ post pascha hebdomadis. Rex suos cibum sumere jussit, quod post diem Saturni proxime præcedentem nihil comederant. Hic [rex cognovit[4], Knutum recto itinere in Markas contendisse; quare septemtrionem versus in Heidmarkam reversus est, navibus per isthmum Fundæum in Mjorsum pertractis. Rex [festo ascensionis[5] apud Halvardum, tum temporis episcopum Hamarensem, a quo liberaliter exceptus est, versabatur, tumque omnes provincias Uplandorum præfectis distribuit, hominesque navibus custodiendis præfecit. Quibus rebus confectis[6] Osloam profectus est, ubi per dimidium mensem se continebat, antequam iter [orientem versus[7] in Albim pararet.

De literis ad regem datis.

154. Cum rex Hakon profectionem ad fines regni orientales apparavisset, allatæ sunt literæ a Knuto, itemque dominæ Kristinæ et prætoris, qui pacem Knuto ab rege petierunt, affirmantes,

---

[1]) lacum, *H.* [2]) silvas superiores, *F, H.* [3]) et reversus est, dieique proxime sequentis diluculo eo pervenit, ubi pridie ex navibus exierat (in naves conscenderat, *F, H*) *add. B, F, H.* [4]) speculatores ad res Ribbungorum explorandas missi ad regem venerunt, nuntiantes, *B, F.* [5]) die Jovis sancto, *F, eodem sensu.* [6]) in campum Eidensem, indeque, *add. B, F.* [7]) iterum, *F.*

eum in potestatem[1] regis, cum orientem versus venisset, se tradere statuisse. Hæc se celata velle monuerunt, ne Ribbungi certiores fierent, qui Knutum, [ni suis consiliis obtemperaret[2], interficere voluerunt. Quibus rex lætus, missis vicissim literis, Knuto cognato suo si in potestatem suam venisset, pacem et honores pollicitus est. Delatus in Albim cognoscit, Ribbungos in (lacu) Vænere se continere; itaque mittit ad dominam Kristinam, qui perquirerent, an ea, quæ Knutus pollicitus esset, pro certis haberi deberent. Domina vero Kristina significavit, se ipsam adfuturam, ut pacem Knuto filio ab rege impetraret. Erat cum rege episcopus Ormus multique præfecti, quos huic conventui pacificatorio rex interesse voluit. Ipse Kongelæ per dimidium mensem se continebat, advenientibus quotidie missis ab domina Kristina, qui Knutum primo quoque tempore in potestatem regis se traditurum affirmabant.

De fraude Knuti.

155. Hic dominus Knutus rationem[3] iniit, a patre suo alienam: navibus per silvam Eidensem, qua nunquam antea tractæ naves fuerant, in orientales Norvegiæ partes pertractis, regios in[4] Verma e regione campi Eidensis se continentes necopinato oppressit[5]. Hic aderant[6] Ivar Skediohovensis, Jon Catulus, Erlingus Rumstavus, Thorgeir affinis episcopi, Andreas Albus, multique Birkibeini[7]; coloni vero copias in campo Eidensi continebant. Tum Birkibeini de adventu Ribbungorum per speculatores certiores facti[.

---

[1]) congressum (— venire), *G.* [2]) si eos deseruisset, *F.* [3]) dolis plenam, *add. cet.* [4]) fluvio, *add. G.* [5]) ubi ingentes opes regis, quæ in Uplandis erant, pervertisset, nisi benignitas divina perfidiam Ribbungorum superasset, *add. F, H.* [6]) ex regiis, *add. F.* [7]) navibus vecti, *add. F, H, G.*

Birkibeini magnas naves habuerunt[1]; cumque congressi essent, acerrimum prælium ortum, in quo acies Birkibeinorum[2] adeo premebatur, ut in fugam inclinare cœpisset. Sed succurrentibus Jone Catulo et Erlingo Rumstavo, corbita vectis, Birkibeini inclinatam aciem restituerunt; mox strages in Ribbungos versa, neque post multo terga verterunt. Knutus in aquas desiliens ægre saluti consuluit; eo loco multi ex Ribbungis lecti viri cecidere, multi quoque Birkibeinorum vulnerati: Ivar colonus, pede vulnerato, semper exinde claudicabat. Birkibeini omnibus navibus eorum potiti sunt. Post hæc coloni audaciores adversus Ribbungos facti, eos crebris aggressionibus fatigarunt, magnumque numerum[3] interfecerunt.

Seculi Ribbungici finis.

156. Hinc Ribbungi, undique se premi sentientes, [obsides regi in fretis Hornboricis versanti miserunt. Rex eodem die ab oriente navigavit et ab orientali sinus parte ad terram appulit[4], legatisque denuo ad Knutum missis, omnibus Ribbungis, qui se dedere in ejus pote-

---

[1]) nuntium colonis miserunt, quo facto strenuissimi ex multitudine collecta in naves ad Birkibeinos se contulerunt. Ribbungi magnas naves habuerunt, unam quatuordecim transtrorum et præter haoc duodecim alias naves; Birkibeini minores (sed plures, *add.* G) naves habuere, *B, F, G, H.* [2]) primo congressu, *add. B, F, G, H.* [3]) in hoc opere non commemoratum, *add. G.* [4]) legatos in Uplanda ad Birkibeinos miserunt, pacemque facere voluerunt. Quo probato a Birkibeinis, obsides inter se commutarunt. Birkibeini omnes Ribbungorum obsides ad regem miserunt, deducente Klemito Holmensi et Guttormo Erlingi, qui regem in fretis Hornboricis convenientes, quo loco res essent, exposuerunt (omnia ejus potestati ac fidei permissa esse, item quomodo consuli in obsides vellet, *F*); rex, obsidibus liberaliter acceptis, eodem die in insulas Usvikenses navigavit, *cet.*

statem vellent, pacem pollicitus est. Quo facto Osloam se contulit. Post paulo Haraldus Lauftunensis, ab Knuto missus, ad regem venit, ut pacem et compositionem cum Birkibeinis perficeret. Itaque rex Hakon[1], advocatis in concionem aulicis, sic locutus est: plerisque hominibus notum est, quantos errores laboresque in persequendis Ribbungis exantlaverimus, quot damna amissu excellentium virorum fecerimus, etsi illi plures a nobis interfectos amiserint, de quo nobis gratulamur. Hi ipsi nunc pacem a nobis petunt[2]. Quibus si concedere pacem velimus[3], eos nullarum rerum, quæ in nos deliquerunt, accusari a nobis oportet, qui mos est principum excellentium; aut nullam eis pacem concedamus, sed quam acerrime[4] insistamus, cum opes eorum jam fractæ sint; quo etsi mea sententia minus[5] inclinet, tamen res vestri arbitrii esto. Birkibeini declarabant, se Ribbungis jacturam fortunarum cædesque hominum[6] libenter condonaturos, potius quam persequendorum causa se in novos errores conjecturos. Itaque rex[7] misit, qui Knutum suosque[8] arcesserent[9]; illique[10] Osloam profecti magno cum numero lectissimorum Ribbungorum, in potestatem regis se tradiderunt. Quo facto rex omnes provincias Uplandorum suis dispertivit. Qui vero Ribbungorum nullam sibi pacis copiam fore prævidebant, ex Norvegia in Markas profugerunt. His qui ducem se præbuit, vir quidam nomine Magnus Blad-

---

1) certis obsidibus et conditionibus postulatis, *add. cet.* 2) et nostræ potestati se lubenter submittere volunt, *add. F.* 3) hoc ita demum nobis faciendum est, ut (— oporteat), *F.* 4) donec penitus devicti fuerint, *add. H.* 5) potius, *B.* 6) cognatorum, *F, G.* 7) Eysteinum Roii, Guttormum Erlingi, Fridrekum Slavsii, *add. B, F, H.* 8) cum omnibus Ribbungis, *add. iid.* 9) Missi eos in Eyavatno repererunt, *add. iid.* 10) Birkibeinos comitati, *add. F.*

stakkus, regem se appellavit. Quo cognito, rex Hakon Haraldum Lauftunensem misit ad Magnum comprehendendum. Qui, cognito adventu Haraldi, se peti suspicatus, eum oppressum necavit. Rex quoque literas orientem versus in Vermalandum miserat, ut coloni aut hanc turbulentorum hominum colluvionem ex pagis suis expellerent, aut se domus eorum non minori quam antea sævitia inflammaturum[1]. Quibus cognitis literis, coloni manu facta Magnum aggressi sunt, prehensumque cum aliquot suorum suspenderunt. Hic fuit ævi Ribbungici finis.

De Ivare Grettere.

157. Rex Hakon Osloa Bergas profecturus iter paravit; Knuto cognato suo duas naves longas[2], omnesque res, quæ ei opus erant, dedit[3]. Cum in Seleyas pervenit, [aderat eo loco[4] Skulius dynasta, multas magnasque naves ducens; qui cum meridiem versus in Daniam proficisci statuisset, ubi regem conveuit[5], septemtrionem versus cum eo Bergas iter convertit. Horum uterque in ædibus regiis se continebat, magnam secum habens hominum multitudinem, tam intima inter eos familiaritate, ut alternis diebus alter [ad alterum sui oblectandi gratia iret[6]. Eo tempore magnæ in oppido compotationes agitabantur, præfectique ingentes secum globos militum habebant. Erat Paulo Vagaskalmæ filius, cui nomen Ivar Gretter; hic[7] vespere quodam, post cantum vespertiuum, veteranum quendam Birkibeinum interfecit, criminatus, quod hujus filius

[1]) a qua re Vermalandenses abhorrebant, *add. G.* [2]) quarum altera erat duorum et viginti transtrorum, *H* (*B, F*); cum omnibus armamentis, *G.* [3]) Inde rex in partes regni boreales profectus, *add F.* [4]) occurrit ei, *F, H.* [5]) decretum est, ut (— converteret), *F.* [6]) apud alterum animi causa potaret, *F.* [7]) eo temeritatis processit, ut (— interficeret), *add. F.*

cædis Arnii Herjardali socius fuisset; illi nomen erat Eiriko Baggio, hæc vero cædes in Vogis in parte regni boreali patrata fuerat[1]. Ubi vero aulici de cæde Eiriki certiores facti sunt, omnes regii satellites armis se induerunt. Paulus et Nicolaus, pater et filius, nuntio de hac re allato, factum ægre tulerunt, quod, qui culpa vacabat, pœnas dedisset, atque in turrim ædis Nicolai confugerunt, eoque loco defensionem pararunt. Aulici ad ædem accesserunt, et effringere parabant; res regi, apud quem Skulius dynasta forte cœnabat, nuntiata; ambo confestim ad ædem Nicolai se contulerunt. Tum aulici comprehensum Ivarem Nevum, cognatum Pauli[2], interficere cogitabant[3]. Quem rex statim in tutelam suam recepit, aulicosque aggredi templum vetuit. Postero mane rex, aulicorum concione habita, demonstravit, nolle se, hujus facinoris culpam in Nicolaum, neque conscium neque auctorem facinoris, recidere. Qua re factum, ut Nicolaus templo egressus potestati regis se traderet; Ivarem vero fratrem ejus rex in monasterium transmittendum curavit, ubi se continebat, quoad regno excederet. Multæ eadem æstate turbæ, nimiæ vinolentiæ causa, extiterunt; inter regem vero et dynastam intima familiaritas mansit.

Natus Olavus Hakonis filius.

158. Skulius dynasta veniam ab rege petiit in Daniam proficiscendi ad regem Valdemarem, et ex Thrandheimo meridiem versus in Vikam[4] equitare constituit; qua venia ab rege impetrata, profectionem in partes boreales apparavit. Dominus Knutus, magno honore ab rege habitus[5],

[1]) ut ante scriptum est, *add. F, H*; redi ad cap. 102. [2]) Nicolai Pauli filii, *F.* [3]) resque ante adventum regis ad magnum discrimen spectabat, *add. F.* [4]) eo vere, *add. B, F.* [5]) per internuntios, *add. F.*

uxorem petiit virginem principem Ingiridam, filiam dynastæ; eamque auctoritate regis sibi despondit, dynastam domum comitari decrevit, nuptiasque suas, antequam rex ac dynasta digrederentur, celebravit. Tum natus est Olavus, regis Hakonis filius. Dynasta, amicissime ab rege digressus, septemtrionem versus in Thrandheimum profectus est.

Sacerdos Thorer archiepiscopus eligitur.

159. Petrus archiepiscopus superiori autumno obierat, in cujus locum sacerdos Thorer Thrandheimensis electus peregre abierat. Hoc anno obiit Honorius pontifex Romanus, cui Gregorius pontifex successit. Ea hieme rex Hakon Bergis se continebat; quæ undecima fuit hiems imperii ejus. Vere proxime insequenti, tempore jejunii quadragesimalis, iter orientem versus in Vikam paravit, Tunsbergum post festum paschatis pervenit, indeque Osloam profectus est. Quo cum venisset, aderat ibi Skulius dynasta et dominus Knutus[1], multique alii [excellentes viri, qui dynastam ab septemtrione comitati erant[2].

Cædes Olavi Albi.

160. Cum rex ac dynasta paucas noctes in oppido egerant, Thorer archiepiscopus nuper inauguratus eo Roma venit; cui rex obvios homines ad Hofodeyam misit, quibus comitatus archiepiscopus in ædes regias se contulit. Cum vero rex satis rerum necessariarum secum ab septemtrione navibus advexisset, dynasta autem cibariorum inopia laboraret, plurimum vesperis dynasta apud regem cœnabat. Rex in domo, Crasso triclinio dicta, dynasta in Skarthælo hospitabatur. Accidit, ut vir, nomine Roius Halkelis[3] filius, ex satellitibus dynastæ, vespera

[1]) Gregorius Jonis, Asolvus dynastæ cognatus, *add. cet.* [2]) amici Skulii dynastæ, *G.* [3]) Askelis, *F.*

aliqua aulicum regium, Olavum Album, interficeret, cædeque facta profugiens, ædes, in quibus rex ac dynasta versabantur[1], ingrederetur, seque in potestatem regis traderet, quæ patravisset, professus. Cui rex: quandoquidem in nostram venisti potestatem, pacem ab nobis impetrabis[2]. Neque multo post, ad sonitum tubæ aulicæ[3], satellites[4], qui in oppido erant, ad ædes, in quibus stipatores dynastæ versabantur, concurrerunt, [hique præfecti[5], Arnbjorn Jonis, Simon Kyra, Lodin Gunnii, Gunnbjorn colonus. Quæ cum rex ac dynasta cognovissent, hic a rege petiit, ut aliquid expediret, quo res in meliorem locum, quam quo spectabat, deduceretur. Rex confestim surrexit, dynastamque exspectare se[6] jussit. Cumque ad portam areæ venisset, tanta eo loco erat turba armatæ multitudinis, ut progredi non posset; itaque [per humeros[7] hominum[8] enitens ad satellites dynastæ pervenit, sedatisque adventu suo turbis, omnem multitudinem ad colloquium secum in cœmeterio ædis Halvardi adesse jussit[9]. Egressum dein ex ædibus tota multitudo ad Palos[10] in boreali oppidi parte prosecuta est[11]; nam omnes Birkibeini satellites dynastæ aggredi cupiebant. Post hæc rex in-

[1]) adiens admitti postularet, foribusque jussu regis apertis, *add. F.* [2]) neque patiar, immerentes hujus facinoris pœnas dare, *add. B*; dabunt vero pœnas, qui in nulla culpa sunt, *add. G, H.* [3]) regiæ, *F, H.* [4]) præfectique regii, *add. B, F, H.* [5]) his præfectis ducibus, *F.* [6]) quoad rediret, *add. F.* [7]) in capita, *F, H, G.* [8]) suorum, *G.* [9]) Vir quidam, nomine Sigurdus (ex satellitibus dynastæ, *add. G*) hæc forte verba jactavit (regem allocutus est, *F*): tum haud gratuito turbas istas, quæ nobis fiunt, perferremus, si regem primo occideremus, quod facile facere possemus. Quod socii ejus (satellites dynastæ, *B*) prohibentes: væ tibi, inquiunt, qui nos nefarium scelus in regem committere velis, qui nobis auxilio venit, *add. cet.* [10]) montes, *add. F.* [11]) ægreque cohiberi potuit, *add. F.*

ducias fecit, easque per noctem, quoad res exploraretur, manere jussit. [Postero mane Roium[1] in ædem Halvardi duxit, utque ipse sibi caveret, præcepit; quo facto ad dynastam reversus, sese oblectabat[2].

Obitus Gregorii Jonis filii.

161. [Dein Skulius dynasta, comitatus domino Knuto, Gregorio Jonis, Asolvo dynastæ cognato[3], ad regem Daniæ profectus est. Regem Danorum Havniæ convenerunt, qui dynastam liberaliter excepit. Hi multis de rebus secreto inter se[4] collocuti sunt; cumque dynasta aliquantum temporis apud regem Danorum magno habitus honore consumsisset, digredienti rex [multa eximia[5] munera dedit, dimidiamque[6] Hallandiam[7] concessit. Dynasta septemtrionem versus in Norvegiam rediit, cumque Tunsbergum venisset, rex boream versus Bergas[8] concesserat. Dominus Knutus et Gregorius[9], septemtrionem versus proficiscendi cupidi, cum veniam ab rege impetrassent, unam uterque navem conscendit; [extremum vero Hvarvsnesum prænavigantes[10], in exæstuantes fluctus inciderunt, eoque loco Gregorius cum aliquot hominibus periit; is præfectorum illustrissimus, amplissimisque Norvegis[11] oriun-

[1]) Dein rex domum rediens Roium prehensa dextra, *F.* [2]) a [: tum rex ad ædes regressus est, ubi aderat dynasta; indeque aliquamdiu consederunt et se oblectabant, *G.* [3]) Skulius dynasta ideo a borea advenerat, quod, cum nullas naves haberet, navibus mercatorum proficisci ad regem Danorum statuerat; cui rex naves suas commodavit, stipendiaque duodecim præfecturarum maritimarum dedit; itaque dynasta, *B, G, H, F, Fragm.* 4. [4]) remotis arbitris, *add. F, Fragm.* 4. [5]) magna, *F, G, Fragm.* 4; ampla, *H.* [6]) *omitt. Fragm.* 4. [7]) jure fiduciario, *add. F, G, H, Fragm.* 4. [8]) *omitt. F.* [9]) Jonis filius, *add. F, Fragm.* 4. [10]) septemtrionem versus ad Hvarvsnesum navigantes, *Fragm.* 4. [11]) familiis Norvegicis, *F, G, H, Fragm.* 4.

dus fuit. Sic exstincta est illustrissima Sunnmæriæ præfectorum familia, qui Blindheimenses[1] appellati fuere. Dominus Knutus ægre elapsus, multas eo loco res pretiosissimas et rarissimas amisit; reliqui[2] deinde Bergas delati et ab rege liberaliter excepti sunt. Skulius dynasta per autumnum in Vika commoratus est, procedente vero autumno septemtrionem versus in Thrandheimum reversus est, ibique hiemavit.

De legatis Jonis dynastæ.

162. Hac æstate legati Jonis, dynastæ Orcadensis, per mare occidentale advecti sunt, multa eximia dona afferentes, regi Hakoni ab dynasta missa. Insequenti vero autumno rex dynastæ navem longam eximiam multaque alia munera remisit. Hieme proxime sequenti rex Hakon se Bergis continuit; quæ hiems duodecima imperii ejus fuit. Eo tempore res domi quietæ, bonaque regem inter et dynastam concordia. Hac hieme Thorer archiepiscopus omnibus Norvegiæ episcopis nuntium misit, ut æstate proxime insequenti septemtrionem versus ad se venirent. Qua æstate ex terris in mari occidentali sitis allatum est, Hebudas gravi bello vexari.

De Aleine dynasta.

163. Dynasta quidam in Skotia, nomine Alein[3], filius dynastæ Rolandi Galveiensis, hujus temporis bellator famosissimus, ingenti stipatus copiarum naviumque numero, Hebudas et Hiberniam infestabat, multaque loca terrarum occidentalium depopulabatur. Olavus Gudrodi filius, id temporis Monæ rex, hoc regnum magna fortitudine insignique in regem Hakonem fide ab dynasta defendit: sed reges Hebudensium, ab familia Sumarlidii oriundi, regi Hakoni per-

[1]) Blundheimenses, *G, Fragm.* 4. [2]) Knutus (*m. m.*), *F, G, Fragm.* 4. [3]) Alin, *G, Fragm.* 4.

quam infideles fuerunt. Reges Hebudum erant Duggal Skrækus[1], hujusque frater Dungadus, pater Jonis, qui postea rex fuit; hi filii erant Duggalis[2], nepotes Sumarlidii. Ospakus nomen erat viro, qui diu apud Birkibeinos fuerat versatus; quem filium Duggalis, horumque fratrem esse, indiciis patefactum est. Qui eorundem fratri[3] nomen erat Sumarlidio, qui item eodem tempore rex Hebudensium erat.

De Andrea Skjaldarbando.

164. Rex Hakon insequenti autumno[4] orientem versus in Vikam[5] Osloam profectus est. Proxima hieme Andreas Skjaldarband, cognatus regis[6], peregre abiturus Hierosolymaque petiturus, profectione apparata, meridiem versus in Hallandiam equitavit, inde in Selandiam trajecit, inde Hvitsandum[7], inde via, qua religionis ergo peregrinantes commeare solebant, ad mare (mediterraneum v. Adriaticum) profectus est, ibique dromonem conscendit. De quo nulla exinde fama allata est; et quanquam rex Hakon literas ad imperatorem Fridrekum aliosque sibi amicos in exteris regionibus dedit, ut fata ejus percontarentur, tamen ad hunc diem frustra fuit. Ingibjarga, uxor ejus, et Petrus, [filius eorum[8], remanserunt; cumque Andreas decessisset[9], Ingibjarga significavit, Petrum ab Skulio dynasta procreatum esse; quem pro filio suo agnitum receptumque magno amore dynasta prosecutus est.

---

1) Skrogus, *B*; Skruggus, *Fragm.* 4; Skorkus, *H.* 2) Dungalis, *G, H.* 3) eognato, *B, F, G, H, Fragm.* 4, *forte rectius*, vide cap. 167. 4) Bergis, *add. F, B.* 5) concessit, aliquamdiuque Tunsbergi commoratus, inde, *add. B, F, H, Fragm.* 4. 6) qui ibidem versabatur, *add. B, F, Fragm.* 4. 7) Hnitsandum, *B, H.* 8) qui filius ejus et Andreæ appellatus erat, *B, G, H, Fragm.* 4. 9) mortuus esset, *F*; obiisset, *H*; non redisset, *B.*

Regium nomen Ospako datum.

165. Eadem hieme rex Hakon Osloæ se continebat; quæ decima tertia fuit hiems imperii ejus. Procedente hac hieme rex conventum in oppido habuit, in quo conventu Ospako regium nomen dedit; is appellatus fuerat Ospakus Hebudensis[1]. Cui rex se copias æstate proxime insequenti traditurum, quas per mare occidentale traduceret, palam fecit. Eodem die, quo habitus hic conventus est, Magnus Brokius[2], filius Knuti dynastæ, filii Birgeris Brosæ, cognatus regis Hakonis, ex Svecia[3] advenit; is Sigridam, Knuti Svionum regis filiam, in matrimonio habuit; horum filio Knuto nomen. Hic ab rege Hakone liberaliter exceptus, cum aliquantum temporis apud eum commoratus esset, amicissime ab eo digressus est. Proximo insequenti vere, prima feria festi paschatis, Thorer archiepiscopus in Thrandheimo obiit, in cujus locum Sigurdus Sinius[4] electus est, qui proxima æstate peregre profectus est.

Rex copias mare occidentale trajecturas apparat.

166. Eodem vere rex Hakon septemtrionem versus Bergas profectus est, ibique copias, quæ regem[5] Ospakum per mare occidentale comitarentur, apparandas curavit. Ad hanc profectionem Skulius dynasta partem copiarum dedit, hosque navium gubernatores, Sigurdum Sepilem[6], Sigurdum Smidum, Paulum Balkii filium; ex parte regis dati[7], Thormodus Thingskauna[8], Serkus Sygnakjuka[9], Olver Ilteittus[10], Sveinungus

---

1) insuper ei (rex) nomen Hakonis dedit, *add. B, F, G, Fragm.* 4. 2) Brokkius, *B, G, H, Fragm.* 4. 3) in oppidum, *add. F.* 4) filius Endridii Peinii (Pennii, *B, Fragm.* 4), *add F, G, H, B, Fragm.* 4. 5) *omitt. B, Fragm.* 4. 6) Sætilem, *B.* 7) Ospakus rex, *add. F, G, H.* 8) Thingskomma, *F*; Thingskorin, *B, H.* 9) Svignakjuka, *H, Fragm.* 4; Syknakjuka, *G.* 10) Ylteittus, *F.*

Svartius, Paulus Gasa; hi undecim[1] naves ab Norvegia duxerunt. Qui cum parati essent, Olavus Svartius, rex Monæ, ab occidente[2] venit, insulasque gravi bello vexari narravit; se quoque ab Mona profugisse, quod Alein dynasta ingenti contracto exercitu Norvegos[3] adoriri statuisset: idem multa superba verba retulit, ab dynasta[4] in Norvegos jacta[5]. Rex Olavus, quatuor noctibus in oppido consumtis, occidentem versus rediit[6]. Cum (Norvegi) ab Orcadibus solvebant, viginti naves habuerunt. Quo cognito, [Paulus Balkius, filius regis junioris[7], et Ottar Snækollus meridiem versus in Skidam profecti, in Vestfjordo invenerunt Thorkelem Thormudi filium, cum quo prælium commiserunt; eo loco Thorkel duoque filii ejus ceciderunt; Thormudus[8] vero filius ejus eo pacto evasit, ut in [vas aliquod, quod religatum ad navim aquis innatabat[9], insiluerit, coque vectus ad litora Skotiæ ab Hattarskoto[10] in boream versa appulsus sit. Quo facto (Ottar et[11]) Balkius ad regem Ospakum reversi sunt.

De Norvegis et Hebudensibus.

167. Deinde universam classem[12] in freto

---

[1]) duodecim, *G.* [2]) ex Hebudibus, *add. F.* [3]) Monæ incolas, *B.* [4]) occidentalium regionum incolis, *G.* [5]) nimirum dixit dynastam jactare, iter maritimum ab Skotia in Norvegiam non difficilius esse, quam ab Norvegia in Skotiam, ibique portus non incommodiores esse populationem facere cupientibus; verum ista dicta, non facta sunt, *add. F, H, Fragm.* 4. [6]) conscensaque nave, qua Paulus Balkii filius vehebatur, in Orcades trajecit, ubi Jon dynasta navem ei dedit Oxium appellatam, *add. B, F, G, H, Fragm.* 4. [7]) Balkius juvenis, *B, G, H, F*; filius Pauli, *add. B, G, H.* [8]) Thormodus, *cet.* [9]) navem quandam, *F, G*; scopulum aliquem, ad quem navigium aliquod stabat, *B.* [10]) Hatarskoto, *F*; Hakarskoto, *B.* [11]) *add. B, F, G, Fragm.* 4. [12]) ad meridiem, *add. F, G.*

Ilensi[1] conjunxerunt. Aderant ibidem duo fratres Ospaki regis, Duggal et Dungadus, tertiusque præfectus, nomine Sumarlidius, cognatus eorum; qui magnas[2] copias habuerunt. Hi Norvegos ad convivium invitarunt, copiam vini validioris habentes; sed Norvegis iudicatum est, rem dolis non carere[3]. Dungadus[4] in nave fratris Ospaki quiescebat. [Paulo post[5] Norvegi Hebudenses adorti, Sumarlidium magnumque hominum numerum interfecerunt, Duggalem comprehenderunt et in vincula conjecerunt; pauci ex Norvegis ceciderunt. Ospakus[6] huic rei non interfuit, re autem animadversa, Dungadum fratrem dimisit, fratrem Duggalem in custodiam suam recepit. Contractis per insulas navibus et copiis, octoginta omnino naves nacti, meridiem versus navigarunt, circumflexoque Satirii (Cantiriæ) promontorio, ad Botam intrarunt, ubi Skoti castellum[7] aliquod tenuerunt, quibus præfuit dispensator quidam Scotus. Norvegi castello subeuntes acrem impetum fecerunt, Skoti fortiter restiterunt, picemque et plumbum ferventia in eos infuderunt, ut eo loco multi Norvegorum caderent, multi vulnerarentur. Norvegi, contextis tabulis ligneis tecti, murum[8] succidebant, lateres enim molles erant, pariesque suffodientibus[9] ruinam dedit. [A candelis ministrorum[10] quidam, nomine Skagius Skitradus, dispensatorem, in parietem arcis procurrentem, eminus telo ictum necavit. Per tres dies cum castellanis pugnarunt, ut[11]

[1]) fretis Ilensibus, *H*; freto Hiberniæ, *G*. [2]) et ornatas, *add* *G*. [3]) ideoque proficisci ad convivium noluerunt; sic utrique, neutris alteris fidem habentibus, copias contraxerunt, *add* *B*, *F*, *H*. [4]) *h. l desinit Fragm.* 4. [5]) Postero mane, *G* [6]) rex, *add.* *G*. [7]) arcem (aliquam), *H*. [8]) securibus, *add.* *G* [9]) murum ad solum excidentibus, *B*, *F*. [10]) *omitt.* *F*. [11]) antequam, *B*, *F*, *G*.

arcem expugnarent; eo loco ingenti præda potiti sunt, equiteque Skoto, qui se trecentis sexaginta selibris argenti puri redemit. Ibidem ex Norvegis Sveinungus Svartius, et ex his una atque Hebudensibus, ad homines trecenti sexaginta ceciderunt. Vehementem nacti tempestatem, tres[1] naves cum hominibus omnibusque rebus quæ in navibus erant perdiderunt. Tum cognito, Aleinem dynastam ad orientem[2] in Nesis esse, classem [centum octoginta[3] navium contraxisse et adoriri se statuisse, septemtrionem versus navigarunt, Satirium subierunt, ibique aliquamdiu morati, crebras excursiones fecerunt. Hic rex Ospakus morbum nactus, cum paulisper æger jacuisset, mortuus est; cujus mors suis admodum luctuosa fuit[4]. Post hæc summa imperii omnium copiarum ad regem Olavum delata est. Inde ad Kaupmannaeyas trajecerunt, eoque loco multum hiemis stantes ad ancoras transegerunt. Inde[5] Monam concesserunt, ubi collecta multitudo, cui vir præerat, nomine Thorkel Njalis filius, eis se opposuit. Monenses, qui adversus regem Olavum pugnare nollent, revocata domum multitudine Thorkelem destituerunt, quem Norvegi captum aliquamdiu apud se in vinculis tenuerunt[6]; dein a Sigurdo Sepile et Sigurdo Smido, militum quibusdam haud parum offensis, dimissus est. Appetente vere Norvegi ex Mona solverunt, remanente rege Olavo; boream versus navigantes Satirium accesserunt, et in terram egressi sunt, Skoti vero occurrentes prælium commiserunt, instabili pugnæ genere, jam incur-

[1]) quatuor, *H.* [2]) meridiem, *B, F, G, H.* [3]) ad ducentarum quadraginta, *G, H.* [4]) cujus funus sui ad templum sepeliendum deportarunt, *add. B, F.* [5]) austrum versus, *add. F, G.* [6]) stipendium Monensibus imposuerunt, tres anglicos denarios in singulas vaccas, et ut totum exercitum per hiemem alerent, *add. B.*

rentes, jam recurrentes, multis utrinque cadentibus. Ut vero Norvegi ad naves suas devenerunt, Skoti omnes lixas eorum, qui cibaria in terra coquebant, interfecerant[1]. Norvegi, crebris in Satirium factis excursionibus, inde septemtrionem versus in insulas profecti, cum in Ljodhusa pervenerunt, ibi Thormudum[2] Thorkelis filium deprehenderunt: quo ex insulis fugato, aliquot suorum interfecerunt, [omnia impedimenta ejus[3] ceperunt, uxorem captivam abduxerunt: quibus gestis boream versus in Orcades navigarunt, remanente in Hebudibus Paulo Balkii filio, qui aliquot[4] post hebdomadibus[5] a Gudrodo Svartio, Rognvaldi regis[6] filio, oppressus interiit. Plurimi Norvegorum statim in Norvegiam revecti sunt, magnamque regi Hakoni gloriam apud terrarum occidentalium incolas rebus hac expeditione gestis comparaverant. Quibus pro navata opera rex singulares gratias egit[7].

Reditus Sigurdi archiepiscopi in Norvegiam.

168. Hac hieme rex Hakon Bergis se continuerat, quæ hiems fuit decima quarta imperii ejus. Hoc eodem autumno Sigurdus archiepiscopus ab inauguratione domum redux, ad sedem suam archiepiscopalem in regni parte boreali se contulit. Remanserat in Orcadibus, Norvegis digredientibus, [8]Olver Ilteittus, aulicus Hakonis regis, homo valde injuriosus. Is se ad Hanevum juvenem contulit, qui provinciam in his insulis eo tempore ab rege obtinuerat, regique Hakoni a mensis fuerat. Hi tres fratres erant,

[1]) omnesque lebetes coquinarios abstulerant, *add. B, F, H.* [2]) Thormodum, *cet.* [3]) magnam quæ ei erat pecuniæ vim, *F, H.* [4]) paucis; *B, F, G.* [5]) diebus, *B.* [6]) dynastæ, *B.* [7]) hic narratio de Hebudensibus explicit, *add. B.* [8]) aliquis navis gubernator, *add. B.*

Hanevus juvenis, Kolbein et Andreas. Hanevus magnam circa se manum habuit, [et nimium quamférociebat[1].

De Snækollo.

169. Vir erat in insulis, nomine Snækollus Gunnii filius; cujus mater Ragnilda filia fuit Eiriki Stagbrelli et Ingigerdæ, dynastæ Rognvaldi sancti filiæ. Snækollus postulabat prædia quædam, in insulis sita, quæ cognati ab Rognvaldi familia oriundi olim possederant, tum vero ab[2] dynasta possessione tenebantur. Quem cedere prædiis detrectantem cum Snækollus crebro interpellasset, ille cum indignatione respondere cœpit, et quærere, utrum vestigiis institurus esset Haraldi avunculi, qui Orcades ab se repetisset: ego vero, inquit, certus sum, contra te regnum meum defendere[3]. Cui Snækollus: ego vero credo, te exiguam partem Orcadum mihi concessurum, qui id[4] concedere nolis, quod ad me jure hæreditatis pertinet. Hinc factum, ut dynasta grave in Snækollum odium conciperet. Ille, existimans, eum locum sibi minus tutum ob potentiam dynastæ, ad Hanevum[5] se contulit, ejusque contubernio ac societati se adjunxit.

De Hanevo.

170. Proximo autumno utrique Thorsoam Katanesiæ concesserunt, et dynasta et Hanevus ac socii, sua quisque sibi hospitia habentes, utrique magna manu stipati; inter utrorumque socios, quotiescunque vespertino tempore vino inebriati convenirent, crebra dissidia intercesserunt. Accidit vespere quodam, cum Hanevus ac sui considentes potabant et lætitia gestiebant, ut aliquis ad Hanevum accurrens loqueretur: rebus vestris

[1]) *omitt. F.* [2]) Jone, *add. F.* [3]) quemadmodum pater meus fecit contra avunculum tuum, *add. B, F.* [4]) eas possessiones (quæ — pertinent), *F.* [5]) et socios, *add. B.*

consulite, Haneve ac socii, nam dynasta, longiorem vestram consortionem suspectam habens, vos instanti nocte aggredi, remque in casum ancipitis eventus committere cogitat.

Cædes Jonis dynastæ.

171. Quo audito Hanevus rem cum fratre Kolbeine et Snækollo communicat; de veritate rei non dubitantes, temporis opportunitatem præoccupare student, contubernales arma induere jubent; et ebrietas tantum valuit, ut hæc ratio omnibus probaretur. Ubi arma induerant, accedunt ad[1] ædes, in quibus dynasta dormiebat[2], ferro invadunt eos qui intus erant. Dynasta, animadvertens hostes irrupisse, in hypogeum aliquod confugit, ut ibi se occultaret; illi vero ut resciverant, quo se loco contineret, protinus in hypogeum irrumpunt, Snækollus, Sumarlidius Rolvi, Olver Ilteittus, Thorkel[3] et Ravn, plures-que adhuc socii, dynastam ab Sumarlidio apud dolium quoddam inventum extemplo letalibus vulneribus afficiunt[4]. Ceciderunt et aliquot ex Hanevianis; dynasta novem plagis sauciatus. Hoc patrato facinore Haneviani domum ab Kataneso[5] revertuntur, Vigrum se conferunt, arcemque, quam Kolbein Ruga[6] faciendam curarat, insident; copiam rerum necessariarum, quæ satis esset, [in arcem conferunt[7]. Quibus rebus cognitis amici dynastæ[8], magna manu collecta, Vigrum profecti arcem circumsederunt. Qui locus cum difficilis oppugnatu esset, cognati Hanevi, Kolbein Reindalensis compluresque alii congregati pacem inter eos facere conati sunt. Et factum

[1]) ferro igneque aggrediuntur, *B, F, G.* [2]) ignemque confestim tectis injiciunt, *add. H.* [3]) Bækil, *B.* [4]) eo loco aliquot ex dynastæ satellitibus ceciderunt, *add. G.* [5]) in Orcades, *add. B.* [6]) Kuga, *H, B.* [7]) magnumque boum numerum comparant et in arce exteriore custodiunt. *F, B.* [8]) qui in Orcadibus erant, *add. F.*

est, ut de pace conveniret, sic, ut instantem hiemem in Orcadibus agerent, proxime vero insequenti æstate in Norvegiam ad regem Hakonem proficiscerentur, qui[1] de omnibus his rebus decerneret. Quo facto collecta multitudo dilapsa est, hiemsque sine ullo maleficio exiit. Æstate proxime insequenti Hanevus ac socii, altera nave cognati et amici dynastæ[2] in Norvegiam profecti sunt.

De Orcadensibus.

172. Hac hieme rex Bergis se continebat, quæ hiems imperii ejus decima quinta fuit. [Haneviani in ædes Aura-Pauli concesserunt. Paulo post Skulius dynasta [ab septemtrione advenit[3]; tumque[4] omnes satellites ad concionem aulicam classico convocati sunt. Cum Haneviani sociique in concionem venissent, fratres Hanevus et Kolbein, Snækollus[5] et filii Rolvi Catuli, Sumarlidius et Andreas, a pincernis comprehensi, in arcem deducti, ibique in vincula conjecti sunt; Olver Ilteittus ceterique, qui interficiendi dynastæ socii fuerant, in Toloholmum[6] deportati. Bjorn, speculatorum aliquis, horum in cæde consors, iturus in concionem, cum eo ipso momento, quo missa cani cœpta est, ædem Mariæ præteriret, infit: officii necessitatem postulare existimo, ut me potius ad missam celebrandam, quam in concionem

[1]) pro lubitu, *add. F.* [2]) omnesque ferme amplissimi Orcadensium, *add. B, F, G, H.* [3]) *a priori signo:* vere autem proxime sequenti orientem versus in Vikam ad negotia regni procuranda profectus erat, neque ab oriente redierat, cum Orcadenses (Haneviani) ab occidente (Bergas) advenerant, *H.* Orcadenses in ædibus Pauli se continebant, *B, F.* [4]) *ab* [*:* ex Thrandheimo (Bergas) venit, parumque commercii cum Hanevianis habuit. Aliquanto post rex ab oriente advenit, domino Knuto inter alios comitatus, cumque paululum in oppido commoratus esset, ejus jussu, *B, F, H, G.* [5]) *omitt. B.* [6]) Totaholmum, *H.*

aulicam conferam. Hæc fatus converso itinere templum ingreditur; nondum peracta missa, ei nuntiatur, Olverem Ilteittum cum sociis occisos[1] esse. Sic huic saluti fuit, quod sacram ædem ingressus est. Sigvaldius Skjalgi filius, affinis[2] dynastæ, cædis vindicandæ acerrimus exactor, comprehensum Thorkelem Svartium[3] per plateam rapuit. Cumque ædes, in quibus Skulius dynasta versabatur, præterirent, dynasta ad fenestram[4] stans eum inclamavit: Sigvaldi, inquiens, Thorkelem, nisi nimium reus sit, ne occidendum cures. Cui Sigvaldius: atqui ille eo majoris criminis reus agitur, quod dynastam jam mortuum ferro appetivit. Thorkel cum Olvere in insulam deductus est, eoque loco quinque homines, Ravn, [Olver et Thorkel[5], aliique duo, qui cædi Jonis dynastæ adfuerant, decollati sunt.

Naufragium.

173. Hoc eodem autumno Orcadenses occidentem versus profecti sunt, virique ex insulis illustrissimi unam navem omnes[6] conscenderunt; quæ navis cum omnibus hominibus, qui ea vehebantur, interiit, damno, quod inde multi homines acceperunt, sero reparato. Skulius dynasta eodem autumno septemtrionem versus in Thrandheimum rediit, comitantibus Hanevo, Kolbeine et Snækollo. Hanevus ac frater Dynjarnesi apud Paulum Vagaskalmam hiemabant. Vere proxime insequenti Hanevus ad regem profectus est, veniamque domum proficiscendi impetravit; sed navi ad Hernas rejecta, eo loco in morbum implicitus decessit; Kolbein vero, frater ejus, paulo post in Thrandheimo obiit. Snækollus diu postea

[1]) comprehensos, *B, F.* [2]) Jonis, *add. H, G.* [3]) in (tabernis) Svartabudis versantem, *add. B.* [4]) porticus, *add. B;* in porticu quadam, *H;* in cœnaculo aliquo, *B.* [5]) *omitt. F, B.* [6]) ferme, *add. G.*

apud Skulium dynastam [et regem Hakonem[1] versatus est.

Dissidia inter regem Hakonem et Skulium dynastam.

174. Autumno, quo rex ac dynasta Bergis digressi erant, [nocte festum Martini præcedente[2] natus est Hakon, filius regis Hakonis; hiememque proxime insequentem rex Hakon Bergis egit, quæ hiems decima sexta fuit imperii ejus. Hac hieme varia dissidia et discordiarum semina inter regem Hakonem et Skulium dynastam jacta sunt, [a verbis præfectorum maxime orta[3]. Eadem hieme Skulius dynasta in navibus fabricandis magnopere occupatus erat, multaque alia cœptavit, quæ inimici ejus suspecta habuerunt, et infidelitate in regem profecta judicarunt. Tum obierat domina Ingirida, filia dynastæ, quam dominus Knutus in matrimonio habuerat; quæ res omnem inter eos amicitiam dissolverat. Eo tempore dominus Knutus dimidiam Rygensem provinciam Sognumque dimidium tenebat, quam præfecturam optatis suis non respondere judicabat. Demonstrare regi cœpit[4], partitionem regni, Bergis factam, haud æquabilem esse, partemque, quam Skulius dynasta haberet, propius ad dimidium regni, quam ad trientem, accedere. Eadem hieme Sigurdus archiepiscopus omnibus Norvegiæ episcopis nuntium misit, ut æstate proxime insequenti Bergas ad se convenirent.

De nuntio regis Hakonis.

175. Rex Hakon vere proxime sequenti orientem versus in Vikam profectus est; nuntium

---

[1]) *omitt. B.* [2]) ipso festo Martini, *B.* [3]) et erat vulgaris opinio, ea a malorum hominum pravis calumniis oriri, *G*; a quibus amicitiam eorum perpetuo plus, quam æquum erat, dissociatam esse constabat, *add. B, F, H.* [4]) et prætèr eum præfecti quoque, *add. B, F.*

misit Skulio dynastæ, ut æstate proxima meridiem versus Bergas veniret[1]. Ubi vero rex orientem versus in Vikam pervenit, omnes præfectos[2] cum ingenti hominum multitudine ad se convocavit[3]. Reversus Bergas, interioris oppidi pontes, quantum in longitudinem patebant, navibus longis occupavit.

De Paulo Vagaskalma.

176. Skulius dynasta hac æstate in Thrandheimo agebat. Præcedenti vere magnam navem in Eyris instituendam curaverat, nomine Langfrjadagum; quæ navis cum ceteras naves magnitudine multo antecederet, opus ea æstate parum procedebat. Provecta æstate dynasta iter meridiem versus comparavit, seroque paratus est; naves duxit [quinque et[4] viginti, plerasque ingentes. [Cum Bergas venisset, tam densi navium ordines pontibus prætexti erant[5], ut naves nullo

---

[1]) ubi de dissidiis eos intercedentibus disceptaretur, *add. F, H, B.* [2]) et præsides provinciales, qui in Vika erant, ad se vocavit, hisque omnibus pro officio injunxit, ut secum Bergas proficiscerentur. Hi præfecti tum apud eum erant: Arnbjorn Jonis, Simon Kyra, Lodin Gunnii, Gunnbjorn colonus. Delatus in conventum Gulensem omnes præfectos, *add. F, G, B.* [3]) Rex magnas ornatasque copias ex Vika duxit, *add. B.* [4]) amplius, *F, G, B.* [5]) Hi præfecti cum eo erant: Alvus affinis ejus, Asolvus cognatus ejus, Paulus Vagaskalma, Nicolaus filius hujus, Bardus Brattius, Eilivus Vallensis, multique præsides provinciales. Autumnus jam multum processerat, cum dynasta in partes meridianas venit. Paulum Vagaskalmam meridiem versus ad regem præmisit. Qui cum Bergas venisset, a præfectis (præsidibus provinciarum) vehementer increpatus est, mirum esse dicentibus, quod ille aliique præfecti a septemtrione delati eum dynasta facerent, sed contra regem starent; hortabanturque, ut destituto dynasta ad regem transirent. Paulus negavit se adversus regem stare, quanquam dynastam jussu regis a borea proficiscentem comitaretur. Verum existimo (inquit) plerosque præfectos, qui ab septemtrione advenerunt, ita esse animatos, ut (sola) vestra importunitate moti Skulium dynastam destituere nolint.

pacto applicari ad terram possent. Dynasta navium ad oppidum adpulsum ita instituit, ut suam navem primam præcedere juberet, deinde duas sequi maximas, tum tres, tum quatuor, eadem ratione aucto numero, quantum multitudo navium pateretur; quæ dispositio perquam spectabilis fuit. Dynasta classem ad Hakarlastrandam extra Monasterium in Nordneso applicuit; quo loco tam mala statione utebantur, ut aliquot naves eorum[1] frangerentur. Sic Olavus Albus poeta:

Probatæ fortitudinis rex nuntium misit
Thrandorum principi, late imperanti.
Bellicosus princeps latam classem a borea
propulit, tabulis per mare volantibus.
Strenuus imperator Hakarlastrandam
navibus occupavit. Homines in celebrem
dynastam gravissima crimina conjiciebant;
præfecti earum rerum satagebant[2].

Congressus regis ac dynastæ.

177. Ubi dynasta breve tempus in oppido moratus erat, ipse et rex in sacrario juxta ædem Christi convenerunt, ubi rex eum vehementer increpuit, multaque crimina ei intulit. Dein comitia in cœmeterio ædis Christi constituta; hic sella, qua rex sederet, collocata, præfectis ac

Dein Paulus regem convenit, inter quos colloquium bene cessit. Inde ad dynastam reversus, oppidanorum quæ mens esset, significavit, navesque tam confertim pontibus adjacere, *B, F, G.*

[1]) dynastæ postremo, *F.*

[2]) Constructio: *afrendr konungr sendi þá orð víða lendum jöfri þrænda. Fólkþrúðr stillir a) keyrði breiðan flota norðan; borð b) flugu c) um haf a). Errinn harri bjó Hákarlaströnd með herskip. Fyrðar mæltu sem harðast á hendr frömum jarli; lendum mönnum hófst önn af því.*

a) hafið, mare, *B*; ceteri male una voce *hafstilli.* *b)* sic cet.; *borg*, A, forte idem. *c) þá*, tum, add. B.

consiliariis ejus circa eum sedentibus[1]. Erat in comitiis Sigurdus archiepiscopus omnesque regni episcopi suffraganei, item dominus Knutus. Dein Skulius dynasta cum suis omnibus in comitia venit. Cui cum nullam sedem [in sella, cui rex insidebat[2], destinatam sui viderent, aliam cui insideret sellam apportarunt. Tum rex multa in dynastam crimina[3] intendit, disertaque oratione usus est[4]. Post hæc præfecti [5]verba fecerunt, unus post alterum crimina in dynastam jacientes, eumque vehementer accusantes. Qui cum declamassent, surrexit dynasta et locutus est[6]:

unam novi cantilenam:
saxo[7] sedit aquila;
alteram illam cantilenam:
saxo sedit aquila;
[omnes uni congruentes:
saxo sedit aquila[8].

Ita quoque hic hodie res se habet, dum a suo quisque principio orationem ordiatur, omnes in eandem sententiam concludant, ut mihi intendant crimina. Post hæc longa ac diserta oratione usus, omnia sibi imputata crimina purgavit, [sui officii esse professus, regis mandatis obsequi, eique cedere[9]; præfectorum autem calumniam et

---

[1]) Gunnar, regis cognatus, juxta sellam pone regem stetit (sedit, *G*, erat, *H*), *add. F.* [2]) apud regem, *G.* [3]) quæ antea protulerat, *add. G.* [4]) Tum surgens Dagfinnus colonus longa usus est oratione, regemque pro more salutavit, itaque orationem conclusit, ut affines ad pacem et concordiam hortaretur. Post hæc rex Hakon surrexit, disertaque oratione usus, crimina ab inimicis prolata in dynastam intendit, *add. B, F, Fragm.* 5, (*quod h. l. incipit*). [5]) surgentes, *add. iid.* [6]) hunc in modum sermonem orsus est, *F.* [7]) plano lapide, *F.* [8]) *ab signo omitt F*; ceteri hos duos versus inserunt post versum secundum; ego ordinem mutandum, verbaque, *eina kann ek vísu*, et, *ok hina aðra,* ad ipsam cantilenam referenda putavi. [9]) eo orationem convertit, ut sui officii esse profiteretur, regi cedere, *B, F, Fragm.* 5.

obtrectationem, ut turpissimam, ita sibi esse ingratissimam. Tum Gunnar, regis cognatus: haud tu nobis videberis debitum regi obsequium præstare, nisi ornatu deposito genibus regis advolvaris, remque tuam omnem in ejus fidem et potestatem tradas. Hic dynasta: tunc ego præstare officia principibus didiceram, cum tu, Gunnar, alio fungebaris munere. Dein surrexit rex, omnibusque, qui sibi præstare obsequium vellent, sequi se[1] jussis, ab comitiis abscessit, totaque simul cum eo multitudo[; dynasta vero[2] cum militibus, qui cum eo ab septemtrione venerant, ad naves descendit. Post hæc archiepiscopus ceterique episcopi intercedentes, eos in gratiam reconciliarunt, conditionibus quæ regi placerent, quas dynasta data stipulatione acceptavit. Sic [Olavus Albus poeta[3]:

Juvenes principes comitia habuerunt;
dynasta regi responsa promte reddidit.
Præfecti, ad certamen instigantes, eximio
principi atrocia crimina intenderunt.
Tum tinctor telorum, paci nocentium,
omnem suam causam tradidit ac permisit
in potestatem moderatoris virorum: qua re
pacem impetravit rerum præclare gestarum
effector[4].

---

1) ad templum, *add. B, F.* 2) templumque ingressus est, *add. G*; remanente dynasta, qui, *F.* 3) Sturla in encomio breviori Hakoniano, *B.*

4) Constructio: *ungir jöfrar stofnuðu þing; jarl veitti ræsi snarla a) svör; hersar báru kaldar sakar á dýran hilmi, þeir fýstu hjaldrs. Vara b) tála c) lituðr d) lagði þá ok seldi allt sitt mál í knè stillir rekka; frömuðr snildar frægða styrs e) fèkk sætt f) af því g).*

a) varla, B, H. *b) vora,* H; *varrar,* B, vide mox *e.* *c) stála,* Hk. T. 6, quod mihi maxime placet, adsumta lect. *varrar,* i. e. *stála lituðr lagði þá allt sitt mál í knè stillir rekka, ok seldi varrar* (id. q. in prosa, *seldi festu*). *d)* sic B; *litaðr,* id., F,

Quo facto in speciem quidem blanda familiaritas inter eos renovata est, alterque alterum cœnæ adhibebat, nunquam vero exinde fides inter eos coaluit[1].

Nata Kristina regis filia.

178. Skulius dynasta eodem autumno septemtrionem versus in Thrandheimum reversus est, rex Hakon ad finem festi jolensis Bergis se continebat; hæc hiems fuit imperii ejus decima septima. Hac hieme, post festum jolense, nata est princeps Christina, regis Hakonis filia. Sub tempus jejunii rex Hakon boream versus in Sognum, indeque in mediterranea profectus est. Cum in Uplanda pervenit, dissensio orta est inter eum et Paulum, episcopum Hamarensem, cum rex insulam, in Mjorso sitam, quæ insula Sancta dicitur, suæ ditioni adsereret; quam insulam Ingius, quem Bagli regem suum appellarunt, sedi episcopali Hamarensi dederat, Birkibeini autem eum falsum regem appellarunt, Thorgilsem Thuvuskitum nominari Danumque esse contendentes. Itaqne rex judicavit, ei non licuisse patrimonium suum abalienare, episcopus vero se insulam concessurum obstinate negavit. Rex Hakon Tunsbergum concessit, ibique ver transegit. Paulus episcopus literis ad archiepiscopum Skuliumque dynastam datis, eos de hoc negotio consuluit; quibus literarum commerciis factum est, ut Paulus episcopus, profectione apparata, [iter in curiam pontificis Romani suscepit[2].

G, H; *liðtuðr*, A, prave; si *tála* vera lectio est, eam sic intelligo: *varar*, promissum, sponsio, pactio, *vara tál*, noxa pactionis, pacis; arma, tela. *e*) *skírr*, B, i. e. *snildar skírr* (eximius). *f*) *svõr*, H, vix recte. *g*) add. G. H.

[1]) coaluisse putatur, *H*; (fidem) coaloisse putant, qui utriusque ingenium nosse sibi videbantur, *B*, *F*, *Fragm.* 5. [2]) primo in Gothiam, inde in Daniam, inde meridiem versus in Saxoniam iter

Obitus Ingæ regis matris.

179. Hoc vere, quo se rex Hakon Tunsbergi continebat, murum lapideum novis adstructionibus firmandum, ibidem [ædes regias ædificandas, et[1] navem magnam, [2]dictam Olavsudam, faciendam curavit. [3]Æstate insequenti boream versus Bergas se contulit; tum Skulius dynasta eodem ab septemtrione advenit, ibique uterque una conversabatur[4]. Etsi vero se alter alteri familiarem præbebat, tamen [mali homines[5] ita dissidia inter eos calumniando alebant, ut res interdum[6] prope a discrimine[7] abesset, ut eventu postea comprobatum est. Domina Inga, mater Hakonis regis, apud filium versata est, quam ille magno amoris affectu est prosecutus. Illa [proxime insequenti hieme morbum nacta[8] ante jejunium adventus obiit[9]. Hæc duodevicesima hiems erat imperii Hakonis regis.

De Islandis et facta inter eos compositione.

180. Squalorum carchariarum autumno[10] Sturla Sigvati filius ab Islandia in Norvegiam venit, unde statim peregrinatione suscepta hieme proxime insequenti ad pontificem Romanum pro-

---

fecit, neque prius destitit ab itinere, quam Papam conveniret, *B, F, Fragm.* 5.

[1]) *omitt. iid.* [2]) postea, *add. iid.* [3]) Cum aliquamdiu in Vika commoratus esset, *add. B, F.* [4]) bona inter eos concordia, uti semper, quando una versabantur, *add. B, F, Fragm.* 5. [5]) inimici eorum, *F.* [6]) brevi interjecta mora, *F, H, Fragm.* 5. [7]) præsenti periculo, *iid.* [8]) in gravem morbum (autumno, *add. G*) incidit, quo ingravescente, *cet., B, F, Fragm.* 5. [9]) Dynasta autumno septemtrionem versus in Thrandheimum rediit, rex orientem versus in Vikam profectus, Osloæ hiemabat, *add. F, H, B, Fragm.* 5, *quæ abesse non posse, sequitur ex initio cap.* 181. [10]) sic dictus est autumnus, quo conventus Bergensis habitus est (cap. 176—77); *þetta var kallat hákarla haust*, hist. Sturlæorum l. 5. cap. 23.

fectus est. Hoc eodem autumno redux regem Hakonem Tunsbergi convenit, qui Sturlam convivio adhibuit, et de multis rebus cum eo collocutus est. Referente Sturla, Islandiam gravibus domesticis dissensionibus laborare, rex iniquo animo rem tulit, atque interrogavit, quanti negotii esse putaret, insulam sub unius potestatem redigere, nam si rerum summa penes unum esset, res insulæ pacatiores fore. Sturla rem parvi fore negotii dixit, si suscepisset is, [qui aliquantum opibus valeret[1]. Quærente rege, an procurandum id negotium suscipere vellet, ille se sub regiis auspiciis periculum facturum ostendit, si effectis his rebus honores, quibus dignus judicaretur, adipiscendi sibi spes foret. Rex monuit, ne insulam cædibus hominum sub potestatem redigeret, sed homines caperet et in Norvegiam[2] deportaret[3], aut provincias eis subjectas aliquo modo occuparet[4]. Æstate[5] proxime insequenti Sturla in Islandiam revectus est, proximamque hiemem Grundæ apud patrem suum se continebat. Dum vero peregre fuerat, Orækja Snorrii filius, patruelis ejus, in provincias ejus vi et armis invaserat. Sequenti vere cum Sturla unam hiemem in Islandia transegerat, ipse ac pater[6] Snorrium, Reykjaholti habitantem, magna manu aggressi, postularunt, ut pro maleficiis ab Orækja patratis satisfaceret. Snorrius, [cum copias adversus fratrem contrahere nollet, Thordusque Sturlæus[7] internuncium agens [pacem in-

[1]) qui strenuitate et consilio valeret; hae de re assidue locuti sunt, Sturlam hujus negotii procuratorem futurum, *H.* [2]) ad se, *add. H.* [3]) mitteret, *H*, *G*, *Fragm* 5. [4]) Sturla sæpius hac hieme coram rege se sistebat, atque de hac re colloquebantur, *add. F, H, Fragm.* 5. [5]) hiemem, qua rex Osloæ sederat, *add. iid.* [6]) Sigvatus, *add. Fragm.* 5. [7]) frater eorum, *Fragm.* 5.

ter eos componere[1] non potuisset[2], aufugit, Sturla vero omnibus ejus bonis occupatis Reykjaholtum insedit. Post hæc Sturla in Vestfjordos profectus est Orækjam oppressurus, sed illi in speciem inter se reconciliati sunt, quanquam ea compositio brevi durabat; quos intercedentia negotia hoc loco commemorare non est opus, is vero exitus fuit, ut Orækja ea æstate, auctore Magno episcopo[3], in Norvegiam proficisceretur. Quo facto Sturla Thorleivum Gardensem invasit, hique ad Bæum in Borgarfjordo conflixerunt; quo facto prælio Thorleivus, potestati Sturlæ parere coactus, proxima post peregrinationem Orækjæ æstate in Norvegiam trajecit; qua eadem æstate Snorrius Sturlæus, Thordus Kakalius, Olavus Albus poeta Thordi[4] filius in Norvegiam profecti sunt. Tum Sturla Gizurem Thorvaldi et Kolbeinem juvenem Arnoris[5] bello persecutus est, inter quos gestæ res eum qui infra memorabitur exitum habuerunt.

Rex dynastæ scripsit.

181. Rex Hakon, ut antea dictum est, Osloæ hiemavit; tum varia dissidiorum genera inter eum et Skulium dynastam orta sunt[6]. Rex Hakon [Skulium dynastam arcessivit, ut ab septemtrione ad se veniret; dynasta vero[7] amicos in consilium adhibuit, [eosque, qui sui obtrectatores essent, neque utrisque obsequium jurejurando obstrinxissent, suspectæ fidei esse judicavit[8];

---

[1]) eos in gratiam inter se reducere, *Fragm.* 5. [2]) *a priori* [: nullam reddere satisfactionem voluit, et, *G.* [3]) Skalholtensi, *add B.* [4]) Sturlæi, *add. F.* [5]) cognatum suum, *add. Fragm.* 5. [6]) iisdem auctoribus, qui amicitiam eorum pervertere consuerant, *add. B, F, Fragm.* 5. [7]) *ab signo* [: proximo vere dynastæ scripsit, ut se insequenti æstate Bergis conveniret, ubi de iis, quæ inter eos non convenirent, disputarent; quibus allatis literis, dynasta, *F.* [8]) *ab signo* [: utrum in edictum conventum veniret, an non, *F*; illisque

quem multis se rationibus ab itinere avocantem amici, ut proficisceretur, magnopere hortabantur, quorum hortatibus factum est, ut profectionem appararet[1]; qua serius parata, naves ducens[2] viginti meridiem versus in Mæriam navigavit, diuque[3] in Steinavogo stetit. Rex Hakon iter ex Vika paravit, magnum militum numerum multosque[4] præfectos secum habens, Olavsudam[5], navem magnam et pulcram, [duo[6] et triginta[7] interscalmiorum, deducendam curavit. Cum in conventum Gulensem venit, copias ex omnibus ejus conventus provinciis[8] evocavit, Klæmitum Holmensem septemtrionem versus in Thrandheimum misit, qui[9] nuntiaret, se boream versus eo[10] profecturum, nisi dynasta ab septemtrione[11] ve-

---

demonstravit, se autumno squalorum carchariarum, hortantibus præfectis, acrius petitum sibi videri: et mihi nuntiatum est, hos nunc non minori vehementia, quam tunc, fore, et intervenere, uti nostis, quæ faciant, ut magis quam antea invitus in congressum eorum veniam; nam autumno squalorum carchariarum, quo Bergis convenimus, Asbjorn Jonis, Gregorius et dominus Andreas, qui me ab oriente comitati erant, regi ministeria sua addixerunt, eique soli jusjurandum aulicum dixerunt, cujus jurisjurandi longe alia ratio fuit, cum antea omnes in utriusque nostrum verba jurassent. Idem fecit Brynjolvus, filius Jonis Stali, multique alii idem jusjurandum dixerunt, ejusque ministeriis se postea addixerunt; quibus minorem fidem habeo, quam iis, qui utrique nostrum amici sunt et in utriusque verba jurarunt; nam magnam circa se manum habent Gregorius ac Brynjolvus, *B, F, Fragm.* 5.

1) nuntiumque mitteret præfectis suis, qui in borealibus regni partibus erant, *add. Fragm.* 5. 2) ferme, *add. F;* amplius, *add. G.* 3) magnamque partem autumni, *F.* 4) omnesque qui ibi erant, *Fragm.* 6. 5) quam Tunsbergi faciendam curaverat, *add. F, Fragm.* 5. 6) unius, *Fragm.* 5. 7) *ab signo:* viginti novem, *F;* viginti sex, *G.* 8) Bergas ad se, *add. G, Fragm.* 5. 9) ad comitia Frostentia profectus, *add. F, Fragm.* 5. 10) in Thrandheimum hoc ipso autumno, *F, H, Fragm.* 5. 11) ad se, *add. F.*

niret. Procedente autumno rex Hakon, [1]quadraginta naves magnas ducens, Bergis septemtrionem versus profectus est[2]. Skulius dynasta, ut antea commemoratum est, in Steinavogo stetit; huc ad eum[3] venit Paulus Vagaskalma, qui nuntiavit, regem magnis contractis copiis septemtrionem versus in Thrandheimum proficisci statuisse. Itaque dynasta rem ad consilium retulit, utrum[4] obviam regi tenderet, an boream versus in Thrandheimum reverteretur. [Quod cum plerique hortarentur, fuere nonnulli, qui svaderent[5], ut boream versus in Thrandheimum ad coalumnos suos proficisceretur, ibique, si ei videretur, regem exspectaret. Hoc[6] captum consilium est, ut dynasta Nidarosum reverteretur, quo delatus, equis adduci jussis, profectionem in mediterranea paravit, Paulo pluribusque dehortantibus, dicentibus, si ipse ac rex convenissent, rem bene cessuram. Decretum itaque est, ut Paulus obviam regi in Mæriam proficisceretur; qui classi regiæ ad Solskelam occurrens, conveniendi regis, tum ventis vela daturi, facultatem nactus non est. Quare omnes una boream versus in Thrandheimum navigarunt; cumque Leirangros ventum esset, Paulus regem convenit, qui verba ejus benigne excepit, sperans, si ipse ac dynasta convenissent, rem bene cessuram.

---

1) ad, *add. F, B.* 2) Hi præfecti regem tum comitabantur: Arnbjorn Jonis, Lodin Gunnii, Simon Kyra, Halvardus Brattius, Eirikus Stilkos, Ivar Nevus, Gautus Melensis, Nicolaus Pauli, Petrus Giskiensis, multique alii excellentes viri, *add. cet., Fragm.* 5. 3) ex Halogia, *add. F.* 4) meridiem versus pergens, *add. F.* 5) Paulus aliique plures hortabantur, ut obviam regi procederet, rem enim optime exituram, si convenissent. Quidam ex intimis dynastæ hoc dissvadebant, consultius esse dicentes, *F, G.* 6) quod dynastæ maxime placuit, *add. H.*

De Skulio dynasta.

182. Ea nocte, qua rex in Leirangris erat, Skulius dynasta Medalhusis se continebat, indeque in Orkadalum equitavit, trajecto monte in meridiana profecturus, magnas tum ducens ornatasque copias. Cum autem [ad pontem Orknæ[1] venisset, complures, qui ejus se ministeriis addixerant[2], amicique, [qui antea se athletas ejus appellarant[3], eum deseruerunt. Tum aliquis hos versus lusit:

Aulici Skulii ornati sunt laudibus,
ampulla plena minime pedem referebant;
isti e Dania heroes (fortiter) potabant,
per montes silvasque iter non faciebant.
Ubi vero expeditiones susceperunt, extitit
malus fremitus, circaque signa raritas.
Jusjurandum, fratri Ingii datum, est
ruptum, nemine longius iter facere volente[4].

Sic Olavus Albus poeta:

Alacres (viri), neutrius amici, suspicionem
mature ortam inter principes resuscitarunt,
dicebantque homines isti, regis promissa,
eximio populi domino data, non servari.
Rex, bona memoria præditus, jumenta fretorum

---

[1]) in Dalskogum (*silvam Dalensem*), *G.* [2]) a mensis ministri, *add. F.* [3]) quidam in silva Updalensi; hi (centuriones) eum deseruerunt, Andottus (Ondottus) Skakalokkus (*omitt. Fragm.* 5), Elju- (Elvi-, *B;* ælu-, *G;* Hellu-, *Fragm.* 5) Bjarnins, et Reidar Dyn, multique alii (eximii) viri, qui antea se athletas vocarant, *cet.*

[4]) Constructio: *hirðmenn Skúla gæddust a) hóli; hrukku lítt, meðan skukka b) var full; þeir rekkar af Danmörk drukku, drógust lítt um fjöll ok skóga. Síðan varð ill sangvan ok þunt um stangir, er* (þeir) *slóst í ferðir; eiðar rufust við bróður Inga, engi vildi fylgja lengra.*

a) glöddust, delectabantur, gandebant, *Fragm.* 5. *b) skrukka, id., F, G.*

strenuo milite instruxit, a meridie profecturus.
Dynasta vero, superato monte, orientem versus fugit,
viris fidem erga fortem principem fallentibus[1].

Rex legatos ad dynastam mittit.

183. Rex Hakon, in Thrandheimum[2] delatus, cum dynastam avectum cognovisset, [3]misit qui eum revocarent. Hi cum eum in Updalo invenissent, dixerunt placere regi, ut reverteretur, ipsique inter se rem componerent, et ambo una hieme proxime sequenti in Thrandheimo sederent. Dynasta hanc iterum ad amicos referente, plerique hortati sunt, ut reverteretur; alii dicere, inconstantis esse, rationem consilii tam celeriter mutare. Ad quæ dynasta: revertendi quidem consilium præstare video, eorum tamen valebit auctoritas, qui in meridiana proficisci malunt. Post hæc monte superato in meridiana contendit. Præfecti regii, qui in Uplandis erant, cum dynastam ab septemtrione advenisse cognovissent, omnes naves, quæ in Mjorso erant, sumserunt, quas novem centuriones[4] conscenderunt. Skulius dynasta[5] emporium Hamarense ingressus,

---

1) Constructio: *Snæfrir, vinir hvárskis, drógu enn árskapðan a) grun meðal jöfra: aldir kváðu heit öðlings varla haldast við mætan alldvald b). Minnigr siklingr bjoggi c) sunnan sunda vigg með snjalla drengi; en jarl stökk undan austr um fjall: ítar brugðust mætum jöfri.*

a) árskaptan, id., *cet.* *b) allvald*, id., *cet.* *c) bygði*, *B*; *bjó*, F, eod. sensu.

2) Nidarosum, *F, Fragm.* 5. 3) auctoritate amicorum Paulum Vagaskalmam et Ivarem Nevum, *add. cet. et Fragm.* 5. 4) [Gregorius (Jonis, dominus) Andreas, Havardus Sundbuensis], Aslakus Smjorstakkus, Jon Catulus, Amundius Folavallensis, Dagus Grovæus, Oddus Eiriki, Saxius Bladspjot, cum numerosis catervis, *add. B, F, G, H, Fragm.* 5. 5) continuato in Heidmarkam itinere, *add. F, Fragm.* 5.

ibi aliquantum temporis cum omnibus suis commoratus est.

De Sigurdo archiepiscopo et Hakone rege.

184. [Quibus rebus cognitis[1] rex, rem in anceps discrimen adductam arbitratus, quod dynasta monte superato in provincias, quæ in meridianis partibus solius regis erant, invasisset, suos[2] in consilium adhibuit. Archiepiscopo hortante, ut aliquo bono consilio provideret, ut manere pax posset, rex Bjornem abbatem[3] aliosque misit, qui dynastæ tertiam partem omnium provinciarum Uplandensium[4] pacis servandæ gratia in instantem hiemem offerrent. [5]Cum vero abbas ceterique legati Hamarem pervenissent, dynasta Nicolaum Morsensem[6] in Heidmarkam miserat, ut omnes reditus regios exigeret; quo per speculatores cognito, præfecti arma adversus Nicolaum ferre statuerant; quare si abbas duabus noctibus serius advenisset, bellum inter dynastam et regem erupisset. Cum vero abbas dynastam convenisset eique conditiones ab rege oblatas proposuisset, ille acceptis conditionibus pacem vicissim[7] pollicitus est[8]; itaque tertiam

---

[1]) Cum Paulus Vagaskalma et Ivar Nevus ad regem redissent et de profectione dynastæ exposuissent, *B, F, Fragm.* 5. [2]) Sigurdum archiepiscopum suosque consiliarios, *B, F, Fragm* 5. [3]) Holmensem, Ivarem Skedjuhovensem, Vilmundum Piltum, *add. F, H, Fragm.* 5. [4]) et Vikensium, quoad utrorumque amici intercederent, *add. F, G, Fragm.* 5. [5]) Abbas et legati in Heidmarkam delati, præfectos missis nuntiis certiores fecerunt de conditionibus a rege oblatis, monueruntque, ne pacem turbarent, priusquam ipse Hamarem pervenisset exitumque negotii cognovisset, *add. cet. et Fragm.* 5. [6]) Mjorsensem, *H;* Njorsensem, *B*; Moensem, *Fragm.* 5; a mensis ministrum, *add. F, G, H, Fragm.* 5. [7]) donec amici eorum de pace intercederent, *add. F, H, Fragm.* 5. [8]) Posthæc abbas et legati boream versus redierunt, pars vero eorum in Vikam ad procuranda regis negotia concessit, *add. F, H, Fragm.* 5.

partem omnium provinciarum Uplandensium et Vikensium præfectis ornavit[1]. Quo facto dynasta Osloam, indeque Tunsbergum se contulit[2].

De imperatis regis Hakonis.

185. [Cum rex Hakon Bjornem abbatem per montem in meridiana miserat[3], Arnbjornem Jonis omnesque[4], qui ex Vika erant, domum remisit, eosque si dynasta res Vikenses turbare cœpisset, provincias defendere jussit[5]. Illi[6] in Vikam paulo serius, quam dynasta, delati, naves in freta Grindholmensia direxerunt, dynasta Tunsbergi versante[7]. Ubi vero intellexerunt præfecti, dynastam pacate iter facere, [8]digressi, in suam quisque provinciam concesserunt[9]. Arnbjorn ad Valdisholmium appulsus, misso ad præfectos, quos ibi dynasta constituerat, nuntio, abscedere eos jussit, neque enim se ullam partem provinciæ Borgensis cum quopiam communicaturum, priusquam ipse auribus accepisset regem ita jussisse. Quo cognito, præfecti ad dynastam profecti hæc ei nuntiarunt[10]. Skulius dynasta

[1]) provinciæ Borgensi Arnium Rovam et Finnum Knattum præfecit, *add. F, G, H, Fragm.* 5. [2]) ubi aderant regii, qui abbatem a borea comitati erant, *add. F, Fragm.* 5. [3]) Statim ut rex in Thrandheimum venit, *G.* [4]) præfectos, *add. F, G, Fragm.* 5. [5]) eis Arnbjornem præfecit, hortans, ut ei quam strenuissime operam navarent, si quid opus esset, *add. F, G.* [6]) secundis ventis usi, *add. F.* [7]) Tum dynasta ad eos mittere voluit homines, qui cum abbate ab rege missi fuerant, petiitque ab eis, ut præfectos Tunsbergum convocarent, illi vero dicebant regem præcepisse, ut Eirikus Stilkus dynastam conveniret, hunc enim solum, non ceteros præfectos, literas regias perferre, *add. cet. et Fragm.* 5. [8]) in freto Grindholmensi, *add. F, G, H, Fragm.* 5. [9]) Eirikus vero literas ad dynastam pertulit, *add. F,* G. [10]) Legati regii, Tunsbergi versantes, magnam pecuniæ summam, dynasta insciente, ex æde Laurentii ablatam in Thrandheimum (ad regem) reportarunt; hi, prima vespera festi jolensis Osum (Nidarosum, *B, Fragm.* 5) delati, regi, quod novi ex Vika cognoverant, retulerunt. Amici

post festum jolense orientem versus ad Albim profectus, ibi diu Kongelæ commoratus est. Iis locis complures ministeriis ejus sese addixerunt: Alvus Leivastadensis[1], Thorgils Slydra, Vesetius juvenis, Asgautus[2] frater ejus[3]. Hos homines[4] Birkibeini Varbelgos appellarunt. Alvus satelles Arnbjornis antea fuerat. Hi maxime dynastam ad pacem turbandam concitabant[5], nev regem Hakonem præripere sibi fraternam[6] hereditatem pateretur. Quorum adhortationibus dynasta nimium paruit, ut postea docuit eventus[7]. Hæc undevicesima fuit hiems imperii regis Hakonis[8].

regis, qui ab oriente venerant, nuntiarant, complures cum dynasta versari, qui enm ad bellnm regi faciendum concitarent, hortarentorque, ne diutius a possessionibus suis et bonis avitis (justa hereditate fraterna, *G, Fragm.* 5) se dejici pateretur, neque se satis scire, utrum servari pax (per hiemem) posset, an non, *add F, G, H, Fragm.* 5.

1) enm aliqua hominum caterva, *add. F, G;* cum multis hominibus, *Fragm.* 5. 2) Algautns, *H*; Algautius, *B, F, G.* 3) antea ad dynastam venerant, *add. F, B.* 4) qni tum se ministeriis dynastæ addixerunt, *add. F, H, B, Fragm.* 5. 5) ut primo præfectos, qui in Vika erant, deinde ipsum regem adgrederetur, *add. Fragm.* 5. 6) *sic B, F;* paternam, *A*; *omitt. G.* 7) Rex Hakon per festum jolense (hiemem) in Thrandheimo se continebat, *add. F, G, Fragm.* 5. 8) Archiepiscopus regem orare perseveravit, ut aliquos nuntios ad dynastam pacis servandæ gratia mitteret, sibi enim res Vikenses ad bellum spectare videri (iniquos enim nuntios ex Vika a Varbelgis afferri, *add. H*). Itaque Bjorn abbas et Vilmundus Piltus (Tiltus, *H*) cum pacis conditionibus ad dynastam missi sunt. Tum rex Hakon nuntium misit Munani, episcopi filio, præfectisque Uplandensibus, ut omnes se ad Arnbjornem Jonis conferrent, eoque loco copias continerent, quoad de exitu negotiorum, quæ abbas ad dynastam perferenda habebat, cognitum esset. Abbas dynastam vere tempore jejunii Kongelæ convenit, eique mandata exposuerunt; et utrorumque amicis intercedentibus factum est, nt animus dynastæ flecteretur (sedaretur, *G, H*), cum ante horum adventum maximum periculum esset, ne dynasta bellum ultro inferret, *add. B, F, G, H, Fragm.* 5.

Pax inter regem et dynastam tentata.

186 [Insequenti vere[1] Skulius dynasta Kongela profectus est; nuntium misit[2] Arnbjorni Jonis filio, ut se [in campo Eidensi[3] conveniret. Arnbjorn ad comitia profectus est[4], trecentis sexaginta viris perbene armatis stipatus. Qui cum priores[5] advenissent[6], quam dynasta, Arnbjorn præcepit, ut prius cum dynasta armis decernerent, quam ad coactas[7] conditiones descenderent. Skulius dynasta in comitia venit, quadringentis viginti[8] militibus, non æque[9] ornatis, stipatus, pileum album ex coacta lana capite gerens, pulcro equo insidens; is[10] locutus est: cur præfectos meos ex provincia Borgensi, Arnbjorn, expulisti, quos trienti, mihi hieme proxime antecedente ab rege tradito, præfeceram? Eo, inquit Arnbjorn, quod mihi certum fuerat, nemini præfecturam cedere, mihi ab rege collatam, priusquam abrogatam mihi esse certo cognovissem. Tum dynasta: nonne ego te prius[11] provinciæ[12] præfeceram, tuque mihi pulcras pollicitationes feceras?[13] Tu vero etsi ceteris Norvegis antecellis, tamen nimia audacia est, vestrum quem-

[1]) Tempore jejunii, *G;* elapso tempore jej., *F,* provecto tempore jej., *H.* [2]) præmisit, *F.* [3]) in comitiis Eidsbergi (Heidbjargis, *H*) habendis, *F, G, H, Fragm.* 5. [4]) comitatus Eiriko Stilko, Munane episcopi filio, multisque aliis præfectis Uplaudensibus, amplius, *add. F, Fragm.* 5. [5]) Eidsbergum, *add. F.* [6]) et extra cœmeterium templi consedissent, *add. F, G, H, Fragm.* 5. [7]) inhonestas, *F, G.* [8]) octogiuta, *F, Fragm.* 5. [9]) ac illi, qui prius advenerant, *add. F.* [10]) Arnbjorn suis prædixerat, se unum singulis dynastæ postulationibus responsa daturum. Cum comitia paulisper durasseut, dynasta, *B, F, G, Fragm.* 5. [11]) primo, *F, G, H.* [12]) Borgensi, eique dimidiæ, *add. iid.* [13]) sed qua fide? Id quidem verum est, inquit Arnbjorn. Dynasta: at eo tempore Hakon non minus rex erat, quam nunc, etsi jam plus adoleverit, cujus ego præcepta de præfecturis mihi demandatis non minoris hoc tempore facio, quam illo, *add. B, F, H, Fragm.* 5.

quam retinere ea, quæ volente[1] rege acceperim. Arnbjorn reposnit: hoc verum esse fateor, me neutiquam passurum, quemquam præfectorum mihi id eripere, quod rex dederit, meque nemini Norvegorum[2], præterquam regi Hakoni, ne albo quidem illi pileo, qui nunc his in comitiis adest, collum subditurum. Tum Bjorn abbas significavit[3], regem dynastæ concessisse tertiam partem[4] provinciarum[5] Vikensium et Uplandensium[6] instanti hieme, gratumque ei fore, si quis ad conciliandam inter illum et dynastam gratiam bona verba interponeret. Quo dicto Arnbjorn mollioribus verbis uti cœpit. Post hæc dynasta triente provinciæ Borgensis in potestatem redacto in Vikæ partes boreales se contulit, abbas septemtrionem versus in Thrandheimum cum pacis conditionibus rediit, tunc enim decretum erat, ut rex ac dynasta æstate proxime insequenti, datis inter se obsidibus, Bergis convenirent.

Pax inter regem Hakonem et Skulium dynastam.

187. Skulius dynasta [hoc vere[7] in Vika se continebat, multis etiam tum ejus ministeriis se addicentibus; magnum copiarum numerum contrahebat, naves comparabat, quarum magnum numerum invitis colonis occupavit[8]. Comitia Bor-

---

1) concedente, *F, G, H.* 2) *omitt. F.* 3) se literas habere, quas sibi et illis solis præsentibus recitari jussisset rex; eosque rogavit, ut templum ingrederentur, et colloquerentur. Cum ingressi essent, abbas exposuit de mandatis, quæ sibi ad Arnbjornem aliosque præfectos dedisset, dixitque regem velle omnes id agere, ut gratia inter se et affinem reconciliaretur, certoque confirmavit, *add. F, B, G, H, Fragm.* 5. 4) omnium, *add. Fragm.* 5. 5) *h. l. explicit Fragm.* 5. 6) tam provinciæ Borgensis, quam aliarum, *G, B;* quem dynasta in sumtum haberet, *add. F.* 7) insequenti æstate, *F.* 8) et apparavit boream versus profecturus, *add. F.*

gensia[1] festo Margaretæ habuit; tum navem Arnbjornis[2] occupavit et septemtrionem versus ducere statuit; sed Arnbjorn navem perforandam statuminaque excidenda curaverat, quare, cum aquis commissa statim compleretur, extemplo subducta est. Circa hoc tempus venerunt ab septemtrione obsides ab rege Hakone dynastæ dati, Sigurdus filius regis et Ingimundus Puss, cum antea regi traditi fuissent obsides Asolvus dynastæ cognatus et Jatgeir poeta. Ut dynasta paratus erat, septemtrionem versus Bergas profectus est et naves in portu regio constituit. Tum internuntii inter eos commeare cœperunt. Dynasta se naves oppido appulsurum negavit, nisi constitutum esset, ut ea Norvegiæ pars, quam ipse haberet, ad Petrum filium se mortuo perveniret. Quod cum ad regem delatum esset, aperte negavit, sicque declaravit, ejus progeniem nunquam hæredem fore Norvegiæ, nisi eam, quæ Margareta filia ejus prognata esset. Post hæc pacis internuntii, in quibus archiepiscopus, inter eos intercedebant; tum dynasta naves ad oppidum appulit, et[3] auctoritate excellentium virorum pax convenit; uterque Bergis hieme proxime insequenti una considerent, eandemque mensam participarent, ita ut dynasta tertio quoque die victum apponeret. Ea hieme de omnibus rebus bene inter eos convenit, ut semper, cum una essent; tunc enim calumniæ rarius interserebantur, et si quæ intervenissent, statim examinari potuerunt. Hac æstate Orækja Snorrii filius ab Islandia venit, et multas ibidem turbas a Sturla, cognato suo, concitatas esse nuntiavit. Quem rex majori, quam præcepisset, vehementia usum esse judicavit.

---

1) hac æstate, *add. F.* 2) Jonis filii, *add. F, G.* 3) habitis conventibus, *add. B, F.*

Compositio inter episcopum Paulum et regem.

188. Hæc imperii regis Hakonis vicesima hiems fuit, qua ipse ac dynasta Bergis una se continebant. Insequenti vere[1] profectionem in Thrandheimum apparaverunt; vespera diei dominicæ Caritatis Stadum prænavigantes, cum adversa tempestate impedirentur, in Angrium appellere coacti sunt. Dynasta vero die dominica e Silda solvit[2], et festum paschatis Reinii egit, ipseque ac rex vere in emporio se continebant. [Tum eo advenit Paulus episcopus Hamarensis, qui cum rege de negotio inter eos intercedente collocutus est[3]. Qui etsi se in conventibus, quibus dynasta interesset, obstinatiorem præberet, tamen res eo adducta est, ut in gratiam redirent his conditionibus, ut rex insulam obtineret, aliasque possessiones, quæ ipsi liberent, quasque episcopus habere vellet, sedi episcopali retribueret.

Discordiæ inter regem et dynastam concitatæ.

189. Eodem vere regem inter dynastamque, in Thrandheimo agentes, parva intervenit res, ex qua potuit intelligi, quales[4] essent, qui familiaritatem eorum pervertere voluerunt. Quæ res tali modo accidit: Gunnar, regis cognatus, eo tempore cum rege versabatur; ei rixa fuerat cum dynastæ speculatoribus, qui se inclementius ab eo acceptos existimabant. Post non ita multo Gunnar in Nesum profectus, provinciam sibi ab

---

1) tempore jejunii, *add. F, G, H.* 2) tamque ferenti vento secundo usus est, ut ad Sandolvstados appelleret, *add. B, F.* 3) Tum auctoritate Sigurdi archiepiscopi nuntius ad Paulum episcopum Hamarensem missus, ut septemtrionem versus proficisceretur ad conventum pacificatorium cum rege Hakone celebrandum; cumque episcopus advenisset, conventus de negotiis eum inter et regem intercedentibus habiti sunt, neque cito de conditionibus propter pertinaciam episcopi conveniebat, *F.* 4) quam prope, *F, G, H.*

rege traditam adire statuit. Sequenti nocte, postquam Gunnar discesserat, regi nuntiatum est, interfectum esse, dynastamque speculatores, qui eum interficerent, emisisse. Rex confestim tubicinem acciri jussit, ipse vestes induit; omnes sui ad arma concurrerunt, in aream exierunt, vexillumque sustulerunt. Dynasta, qui in alia domo haud procul inde dormiebat, strepitu excitatus stratis exsiliit, et in porticum exiit; reginam in area stantem conspicatus, interrogavit, [quæ hujus tumultus[1] causa esset[2]. Illa [rem, ut erat[3], narravit. Dynasta eam bono animo esse jussit, remque sine periculo fore dixit[4]. Paulo post cognitum est, hæc non nisi commenta malorum hominum fuisse.

Dynasta dux creatus.

190. Hoc eodem vere rex comitia Eyrensia indixit, quo magnus convenit hominum numerus, his comitiis Skulio Ducis nomen dedit. Quem honoris titulum nemo ante id tempus in Norvegia[5] consecutus erat. Sic Olavus Albus poeta:

Eximii viri internuntios inter affines
agebant. Principes, copias cogere celeres,
binis in vicem datis obsidibus, congressi
pacem æquis conditionibus fecerunt.
Custodiens Norvegiam, prole decorus,
principem ad prælia promtum ornavit
clementis Ducis splendido nomine, et
titulos honoris pulcris muneribus auxit[6].

---

[1]) rei, *F.* [2]) *a* [: cur ibi versaretur, aut quid rei esset, *H.* [3]) quid rei esset, *F*, *G.* [4]) Tum dynasta se vestibus induit; interea Sigurdus regis filius in cubiculum (ad eum) venit, hique ambo exierunt, *add. B*, *F.* [5]) ab rege vere christiano, *add. G.*

[6]) Constructio: *snjallir menn fóru í milli mága. Bragningar, snarir at magna her, seldust þar tvenna gisla: tóku a) sýnni b) sætt, er funnust. [Sá er c) gætir Noregs, prýddr*

Huic honoris titulo rex multa adjecit splendida munera, quæ dynastæ dedit, quo facto intima familiaritas inter affines denuo incepit.

De legatis, ab imperatore ad regem Norvegiæ missis.

191. Imperantibus Norvegiæ Hakone rege et Skulio dynasta, imperator Romani imperii fuit Fridrekus, filius[1] Fridreki[2], egregius[3] princeps, cujus amicitiam multi[4] principes exterarum regionum [5]petebant. Imperator homines in regiones boreales[6] ad regem Hakonem et Skulium dynastam misit; quod longo ante tempore, quam nuper memorata, accidit. Horum legatorum principi Vilhjalmo nomen erat. Hi regi et dynastæ multa munera obtulerunt; illi vero vicissim miserunt res, quæ apud imperatorem raræ erant et pretiosæ existimabantur. Ex quo tempore legationes inter imperatorem et regem inceperunt. Primo parte regis profectus Gudleikus Askensis, imperatorem in Sicilia convenit, a quo bene exceptus est. Post hunc Nicolaus Pauli filius, qui diu in aula imperatoris versatus, eximia ab eo munera[7] accepit, neque ex Norvegis eo tempore fuit quisquam, qui æque bene, atque ille, exceptus esset. Paulo post, quam hoc accidit, legatione fungebantur Roius, regis cognatus, et Bardus, filius[8] Isaki Bæensis; Bardus ducis nomine, [quod eis Roius[9] negotia regis

---

niðjum, skrýddi böðvar-fljótan sikling björtu heiti blíðs d) hertoga, ok jók nafnbætr friðum gjöfum.

a) sic B, F, G, H; *tók þá*, A. *b) svinnir*, F. *c)* omitt. F. *d) blíðt*, B, prave.

[1]) *rectius:* nepos. [2]) imperatoris, *add. F, G, H*; Konradi imperatoris, *B, prave h. l.* [3]) et illustris, *add. F.* [4]) eximii, *add. F, G.* [5]) eo tempore, *add. F.* [6]) in Norvegiam, *add. F, G.* [7]) magnos — honores, *F, H, G.* [8]) frater, *F, G, H, ut in cap, sequ.*; cognatus, *B.* [9]) qui Roio, *F, G.*

Hakonis ac ducis haud satis diligenter et accurate exponere videbatur. Post hæc legatum imperatorem inter et regem[1] egit vir, nomine Henrikus, in Norvegia natus[2], sed natione Germanus, Henrikus Legatus appellatus[3]. Hinc factum est, ut imperator et rex Hakon intima amicitia jungerentur.

De Bardo.

192. Proximo post vere, quam rex Hakon et Skulius dux in Thrandheimo se continuerant, provinciam in Heidmarkia ducis nomine administrarunt Bardus Isaki frater et Hakon Duva; sic enim divisum regnum erat, ut dux dimidiam partem haberet omnium Norvegiæ provinciarum. Ea regione mala res evenit; nam Bardus, auctore et conscio Hakone Duva, uxori [Thordi, filii[4] Fridreki Slavsii, qui perpetuo amicus[5] regi Hakoni fuerat, vim intulit. Quod cum in Thrandheimum ad regem Hakonem et ducem allatum esset, rem, ut exspectari poterat, iniquo animo tulerunt, quanquam dux eam rem crebrioribus[6] sermonibus palam jactavit.

Cædes Bardi Isaki fratris.

193. Æstate proxime insequenti rex Hakon et Skulius dux meridiem versus Bergas proficisci parabant. Quo antequam proficiscerentur, rex Jonem, præpositi filium, cum aliquot viris in mediterranea misit, ut facto per superiora itinere in partes orientales descenderet. Rex et dux, ut parati erant, Bergas profecti sunt; quo antequam pervenissent, oppidani Germanos Bergis[7] clade affecerant, alios interfecerant, alios in mare deturbaverant, multi vulnerati erant; ea

1) maxime, *add. B, F.* 2) educatus, *B, F, G.* 3) qui multas legationes obiit, cum eximiis muneribus ultro citroque missis, *add. F, G.* 4) *omitt H.* 5) amicissimus, *B, F.* 6) quam rex, *add. F.* 7) magna, *add. F, G.*

autem dissidii causa fuit, quod Germani mercatorias suas grandiores pontibus Bergarum applicuerant, quo loco noluerant oppidani, navesque aliquot, quæ ibi antea constitutæ erant, fregerant. Quam rem[1] rex et dux, cum advenerant, compositione transegerunt. Jon præpositi filius in mediterranea profectus, cum in Heidmarkam venisset, Bardo Isaki fratri in nave sua excubanti in Mjorso occurrit; quem prehensum interfecerunt, indeque in Vikam contenderunt. Eadem æstate Thordus Fridreki filius Hakonem Duvam Tunsbergi ob crimina ab eo et Bardo commissa necavit. Cum fama hujus rei ad regem ducemque pervenit, hic rem tacite tulit, et vulgo existimatum est, ei [cædes horum hominum[2] valde displicere.

De rege et duce.

194. Præcipiti æstate[3] rex et dux Bergis orientem versus in Vikam profecti sunt, resque ad hiemandum necessarias Osloam deportandas curarunt. Festum jolense proxime sequentis hiemis una celebrarunt; quæ prima et vicesima fuit hiems imperii regis Hakonis. Post festum autem jolense sua quisque sibi hospitia conducebant, et tamen quolibet vespere ambo una potabant. Æstate proxime præcedenti advenerant ab Islandia Snorrius Sturlæus, Thordus Kakalius, Thorleivus Gardensis, Olavus Albus poeta, qui in Thrandheimo hiemem transegerunt. Sequenti vere dux Skulius iter in Thrandheimum paravit, quo statim tempore jejunii profectus est. Hic gener ac socer amicissime digredientes condixerunt, se proxima æstate Bergis conventuros; intelligebant enim, cum ambo una essent, semper melius inter se convenire. Dux in partes

1) controversiam, *F.* 2) hæc facta, *G.* 3) sic, *F, G, H;* vere, *A.*

boreales ante festum paschatis venit, ibique[1] principio æstatis se continebat. Orta est dissensio inter Skulium ducem et Asolvum Ostrattensem de jure possessionis fundi Ostrattensis; nam domina Sigrida abbatissa, soror ducis, quam Jon Ostrattensis in matrimonio habuerat, hanc dotem suam esse contendit, Asolvus vero contendit, hereditatem esse Baugeidæ[2], uxoris suæ, Jonis filiæ, a patre acceptam. Qua de re cum multi conventus haberentur, inter eos non convenit. Asolvus quidem, duce non negante, se alios fundos monasterio Reinensi attributurum pollicitus est, sed tamen hanc ob causam eorum amicitia dissoluta est; et post hæc Asolvus studia sua ad regem Hakonem convertit[3]. Rex hac hieme[4] Tunsbergi commoratus est; tum natus est Magnus, filius ejus[5]. Inde boream versus Bergas profectus est, ibique se[6] continebat. Tum[7] quoque dux Skulius ab septemtrione venit, amboque una versabantur, satis bona inter eos familiaritate, neque tamen uti tum, cum intima erat. Dux[8] principio hiemis profectionem boream versus apparavit, [neque prius paratus est, quam[9] circa festum Martini. Roaldus nomen fuit viro, fratri Asolvi Stryki; is, cum ob concitatas turbas in iram regis incurrisset, rexque eum in regno manere nollet, eo tempore Bergis versatus, se perpetuo in æde sacra continebat. Alter vir, nomine Sigurdus Kærer[10], qui homicidium in Halogia patraverat, aliasque præterea turbas exciverat, quod metu regis et satellitum ejus sub dio ambulare non ausus est, in æde Christi se servabat.

[1]) vere et, *add. F, H.* [2]) Ragneidæ, *B.* [3]) et ad eum profectus est, *add. H.* [4]) *malo:* æstate. [5]) et festo Crucis (*i. e.* 14. *Sept.*) baptizatus est, *add. cet.* [6]) per æstatem, *add. F, G.* [7]) et autumno, *F, G.* [8]) in navibus suis se perpetuo continebat, et, *add. F, G.* [9]) et in Thrandheimum pervenit, *H.* [10]) Kerra, *B.*

Dux, antequam ex oppido solveret, cum exiens ædem Christi præteriret, Sigurdus æde egressus navem ducis conscendit, et cum eo profectus est; item Roaldus ducem tum comitatus est, hique utrique ab eo tempore apud illum versati sunt. Cum dux in Thrandheimum perveuisset, sui crebris sermonibus jactabant, præfectos Hakonis regis familiaritati inter eum ac ducem multum offecisse, hocque maxime Gauto Jonis filio imputabant. Aliquo die dux, Snorrium Sturlæum per jocum allocutus: numquid verum est, quod dicitis, eum[1], qui [priscos reges in certamen commiserit[2], alio nomine Gautum esse appellatum? Hoc verum est, domine, inquit Snorrius. Jam stropham pange in hoc argumentum, ait dux, et expone, quo[3] hic similis sit illi. Tum Snorrius hos versus pronuntiavit:

Unicus ille pugnæ arbiter Ringum
et Hilditannum ad tegumentorum
militarium clangores invitavit. Gautus
eum Odinis strepitum excitavit.
(Sic hic) artifex belli nimium diu
discordias commovet principum;
sed iste evocator multitudinis melius
ab gladiorum judicio abstineret[4].

---

[1]) Odinem, *add. cet.* [2]) priscis regibus imperaverit, *F.* [3]) quam, *F, G.*

[4]) Constructio: *einsköpuðr a) hjaldrs bauð Hringi b) ok Hilditanni c) herfanga galdra d); Gautr hvatti þann þróttar þrym e). Völundr rómu veldr f) of lengi úsætt Yngva g), en herstefnandi mætti vel hafna hjördóm h).*

a) sic B, F, G; *einsköput*, A; intelligitur Odin. *b*) *Ringi*, id., *H.* *c*) sic *F, G, H*; *Hilditannar*, A, quod constructioni h. l. repugnat. *d*) i. e. prælium. *e*) i. e pugnam. *f*) *velkti*, traxit, duxit, *H.* *g*) *yngvi*, F. *h*) *hans dóm*, *B, F, G.*

Tum multa [in amicos regis invidiosa[1] jactata sunt.

Legati ab rege ad ducem missi.

195. Hac hieme rex Hakon Bergis se continebat; quæ hiems imperii ejus secunda et vicesima fuit. Ea hieme nuntium septemtrionem versus ad ducem misit, ut insequenti æstate a borea[2] veniret, navesque leviores adduceret[3]. Homines Islandos, qui apud dynastam versabantur, vetuit in Islandiam[4] redire, [priusquam de mandatis eo dandis constituisset[5]; [præcedenti enim autumno allatum erat, Kolbeinem juvenem et Gizurem cum Sturlæis in Skagafjordo conflixisse, Sturlæosque cecidisse[6]. Insequenti vere rex Hakon orientem versus in Vikam profectus, diuque Tunsbergi commoratus est[7]. Tum audivit, ducem Snorrio Sturlæo, Orækjæ[8] et Thorleivo[9] veniam in Islandiam trajiciendi concessisse navemque[10] dedisse. Quibus rebus cognitis, literas septemtrionem versus misit, vetuitque, ne in insulam reveherentur. Quæ literæ cum ad eos ad oceanum excubantes perlatæ essent, nihilo tamen minus contra vetitum regis solverunt. [Paulo post cognovit rex, ducem iter ab septemtrione parare, Langfrjadagum, Holmbuzam, Strin-

---

[1]) ex quibus intelligi facile potuit, rem in alium quam par erat locum deductam esse, ab asseclis ducis, maxime in amicos regis, *F, H.* [2]) Bergas ad se, *add. H.* [3]) nec colonos stipendiis ad hoc iter imperandis gravaret, *add. F, H.* [4]) ea æstate, *add. G.* [5]) priusquam (ipse ac dux), quæ illis mandata perferenda essent, constituissent, *F*; *omitt. G.* [6]) ab [: præcedenti æstate Sturlæi in Islandia ceciderant in prælio adversus Gizurem Thorvardi (*rect.* Thorvaldi) filium, *H.* [7]) ubi amici ejus ex Vika et Uplandis ad eum venerunt; hic rex nuntios ex borealibus et meridianis regni partibus accepit, *add. F.* [8]) filio ejus, *add. H, G.* [9]) Gardensi quos ipse antea domum redire vetuerat, *add. H.* [10]) cujus pars dimidia ipsius, dimidia Gudleiki Skattastadensis erat, *cet.*

dakollam, multasque alias naves majores mari commisisse, seque majoribus copiis, quam ipse præscripserat, munivisse[1]. Itaque nuntium[2] præfectis suis misit[3], magnumque numerum militum contraxit; quo facto profectionem boream versus Bergas apparavit. Dux Skulius iter ab septemtrione ex Thrandheimo paravit, navesque viginti, et plerasque magnas, habuit. Ipse Langfrjadagum duxit, sex et triginta interscalmiorum, navem perpulcram[4]; copias habuit splendidas pulcreque ornatas. Sic Olavus Albus poeta:

Nunc est, ut navis strenui ducis,
solutis oris, ingrediatur mare;
qua non præstantior sinuum equus
vento turgidum æquor percurrit[5].

Dux ea æstate Bergas delatus, cum in Florovogis cum classe staret, cognito, regem Hako-

---

[1]) ab [: Rege Hakone Tunsbergi commorante, ab septemtrione advenit Bjorn abbas, a duce missus. Quærenti, an dux a borea adventurus esset, significat abbas, eum certe affuturum, ut rex præcepisset, ea in re obsecuturum jussis regiis simulans. Interrogatus, quanto militum numero iter ingressurus esset, scire dissimulavit. Abbas diu apud regem commoratus est, dum conscriberentur literæ boream versus mittendæ: ut vero paratus erat, advenit ex Thrandheimo Asolvus colonus Ostrattensis, nave vectus domesticis stipatoribus instructa, qui nuntiavit, ducem Langfrjadagum — commisisse, copiasque ingentes ex toto Thrandheimo evocare, vulgoque jactari, Bergas profecturum, neque omnia alieno arbitrio permissurum. Hinc profectio abbatis retardata, dum novæ conficerentur literæ, *add. F, G, H.* [2]) Arnbjorni Jonis filio aliisque, *add F, G, H.* [3]) hisque nuntiari jussit, ducem ingentes in Thrandheimo copias contrahere; tum rex multo majorem militum numerum evocavit, omnesque præfectos ac præsides provinciales ad se vocavit, *add F, G.* [4]) omnium navium pulcherrimam, *F.*

[5]) Constructio: *nú er þat, er flaust hins nýta hertoga flýtr or festum; nè kom betri vika fákr* a) *á veðrsollit ver* b).

a) i. e. navis. *b) hic vacuum spatium reliquit A; ab [omitt. cet.*

nem [ab oriente[1] magno cum copiarum numero profectionem parare[2], classemque quadraginta navium habere, ad consilium retulit, utrum regis adventum exspectaret, an septemtrionem versus reverteretur. Cumque suspicio esset, regi incepta eorum displicitura, id captum consilii est, ut rege non exspectato totam classem septemtrionem versus reducerent.

Rex Bergas venit.

196. Rex Hakon post paulo, quam dux septemtrionem versus concesserat, Bergas delatus, ibi archiepiscopum Sigurdum convenit[3], [spemque pacis ad irritum cecidisse intellexit. Archiepiscopus[4] regem hortatus est, ut rebus suis aliquo novo consilio provideret. Itaque constitutum est, ut archiepiscopus inducias[5] in instantem hiemem pacisceretur[6]; cujus rei potestas cum ei ab rege demandata esset, confestim literis ad ducem datis oravit, ne pacem, antequam convenirent, violaret[7]. [Post aliquanto[8] rex Hakon præfectis et præsidibus provincialibus*) domum redeundi veniam dedit; ex quibus hi in provincias suas boream versus profecti sunt: [Petrus, filius archiepiscopi Sigurdi[9], Asolvus Ostrattensis, Petrus Giskiensis[10], Ogmundus Kræ-

---

[1]) ex Vika, *F, H.* [2]) omnes præfectos suos adducere, *add. F, G.* [3]) et legatos ad ducem misit, Bjornem abbatem et Jatgeirem poetam, *add. B, F.* [4]) *ab* [: Archiepiscopus, spem pacis ad irritum cecidisse demonstrans, *B, F.* [5]) inter eos, *add. F, G.* [6]) quo facto legati septemtrionem versus profecti sunt, *add. F.* [7]) quemcunque postea exitum res haberet. Archiepiscopus insequenti autumno in Mæriam australem, in diœcesin suam rediit, *add. B, F, G, H.* [8]) Aliquantum temporis Bergis commoratus, *F.* *) tam ex orientalibus quam borealibus regni partibus, *add. F, G, H.* [9]) Sigurdus filius Petri archiepiscopi, *F*; Sigurdus, filius archiepiscopi, *G*; Sigurdus, filius episcopi, *H.* [10]) Thorer Borriensis, *add G, H*; Thorer abbas, *F.*

kedansus, Arnius Blakkus[1], de quibus postea mentio fiet.

Stipendium ab duce Skulio imperatum.

197. Dux[2] Nidarosum delatus, naves suas[3] subducendas curavit; moxque ingens hominum numerus, quem ex mediterraneis[4] advocaverat, ad eum venit. Quoniam vero propter hominum multitudinem magni sumtus erant faciendi, literis per totum Thrandheimum missis universales in militiam pensiones imperavit. Cum vero, colonis tanta onera subire recusantibus, missi ab dynasta nulla stipendia acciperent, iter in interiores Thrandheimi regiones apparavit, ipseque classe, multi suorum[5] pedestri itinere profecti sunt[6]. Dux naves suas ad Vagsbruam applicuit; cui coloni magnam pecuniæ summam, quidam selibram auri, alii libram pondo, alii omnem rem suam familiarem pependerunt.

De duce Skulio et canonicis.

198. His confectis rebus dux Skulius Nidarosum rediit, et colloquia cum militibus et consiliariis[7] habuit. Hi præfecti cum eo erant: Alvus Thornbergensis[8], Ivar Sunnbuensis[9], Bardus Brattius, Bardus Vargus, Olavus Vigdeildensis, Erlingus Ljodhorn, Vesetius Parvus[10]. Dux [suis significavit[11], se regio nomine donari velle. [Nonnulli suorum eum ad hoc magnopere hor-

---

[1]) Klakkus, *B.* [2]) circiter tribus hebdomadibus in itinere consumtis, *add. B, F.* [3]) omnes majores, *F, H, G.* [4]) et ex Vika missis nuntiis, *add. F, G, H.* [5]) centurionum, *F.* [6]) cum magnis copiis, his præfectis, Alvo Teinastadensi, Vesetio Parvo, Algauto (Asgauto) filio ejus, *add. F.* [7]) assidue, *add. F.* [8]) Thorubergensis, *F;* Alvus Leivastadensis (v. Leinastadensis) *add. G, confer cap. præced. not. ult.* [9]) Sundbuensis, *G.* [10]) Clemens (Klemetus) pater, Guttormus Sudurheimensis (Clemens, pater Guttormi Sudurheimensis, *B*), *add cet.* [11]) cum his sæpe collocutus est de iis rebus, quæ postea evenerunt, *F.*

tati sunt, dicentes, eum legitimum esse Ingii fratris sui heredem, librosque[1] recitarunt, qui testarentur, non minus regium nomen, quam possessiones et fundos avitos, hereditatis jure ad eum pertinere[2]. Atque sua ipsius cupiditate, aliorumque[3] adhortationibus permotus, comitia Eyrensia indixit, colonosque amplissimos ex interiori[4] Thrandheimo arcessivit. Proxima post festum omnium sanctorum die dominica, quæ in festum Leonardi incidit, missæ officio pulsatis campanis indicto, universa concio pro more ad ædem Christi se contulit. [Paulo post[5] dux, magno numero comitatus, ædem ingressus, extemplo in chorum ascendit, canonicosque ad se arcessi jussit[6], sed hi inter se non consenserunt.

---

[1]) *ab* [*:* Interdum solos inter se colloqui jussit, ut de singulorum sententiis certior fieret; sed utrumque genus hominum fuit, et qui eum ad injusta hortarentur, ostendentes, eum fraterna hereditate spoliatum esse, regiique nominis, mortuo rege Ingio, jus habere, et qui his nonnihil obloquerentur, *F, G*; Sæpe quoque cum canonicis colloquia habuit, eosque consuluit, ex quibus fuere, qui eum incitarent, regnumque, quamvis alio regium nomen gerente, jure ad eum pertinere contenderent, eique libros recitarent, *F*; (Sæpius cum canonicis de his rebus collocutus est, quorum quidam eum legitimo jure imperii Norvegici gaudere contenderunt; semper aliquem ex canonicis secum habuit; quidam ei libros recitarunt, qui eam vanitatem testarentur, *G*). [2]) Dux semper aliquos ex canonicis secum habuit, cum quibus colloqueretur, qui ejus verbis nimium movebantur, *add. H;* jam rumore cognitum est, eum aliqua nova consilia agitare, et ipsius animum iis hominibus, qui ei res vanas proponebant, nimis assensus est, *add. F, G*; (Multi quidem suspicati sunt, ducem inter suosque de magnis rebus deliberari, sed quænam essent nesciebant, *H*). [3]) et consiliariorum ejus, *F*. [4]) et exteriori, *add. F;* toto, *G*. [5]) cum missa cani cœpta est, Bergus, clericus (scriba) ducis, ædem ingressus circumspexit speculabundo similis: cumque pericope dominicalis recitaretur, *cet.* [6]) quibus inter se in choro colloquentibus, missæ officium intermissum est, *add. B, F, G*.

Eo ipso tempore audiverunt tubam in oppido sonare, colonos, mercatores et omnem populum ad comitia Eyrensia convocantem. Eystein Syrius[1] nomen erat canonico, cui archiepiscopus curam maximarum rerum explicandarum[2] demandaverat. Hic, cum dux a canonicis veniam peteret, ut scrinium sancti Olavi regis (ex æde) efferretur, illique, quo res spectaret intelligentes, in respondendo hæsitarent, interrogavit dux, cur sermoni suo responsa dare cunctarentur. [Illi, significantes, se gravissimæ rei expediendæ difficultate premi, sibi de hac re secreto colloquendum existimabant[3]. Tum dominus Eystein declaravit, optimum esse, ut hæc res ad archiepiscopum rejiceretur[4]. Cui dux: qua re perpetuo meis rebus, nostræque voluntati et honori, tuorum vero collegarum auctoritati obsistere vis?[5] His dictis dux exiit ex æde, et in ædes regias se contulit, Petro ducis filio et Arnfinno[6], multisque aliis[7] in æde remanentibus, qui accedentes scrinium tollere voluerunt. Quo viso dominus Eystein, ante[8] altare progressus, infit: omnes homines scire volumus, quod, quicunque scrinium sine meo ceterorumque canonicorum consensu extulerint, hos excommunicationi obnoxios esse declaramus. Cui Petrus: ita existimamus, ut si nos ad mulsam potandam invites, quod tibi bene vertat! Jam scrinium tollite et exportate! Cum manus admovissent, scrini-

---

1) Surins, *B, G, H.* 2) se absente, *add. H.* 3) tum in australem chori partem secesserunt, neque inter se bene consenserunt; neque vero nos quicquam de eorum colloquio referre habemus, nisi quod missam cantari jusserunt, *add. H*; *ab* [*omitt. F, G, H.* 4) quidam vero canonicorum scrinium efferri voluerunt, *add. B, F.* 5) posthæc ex choro recesserunt et intro ad altare se receperunt, *add. B, F.* 6) Thjovi filio, *add. F, G, H.* 7) Varbelgis, *H.* 8) summum, *add. B, F, G, H.*

umque immotum hæreret, Petrus in altare subsiliit, genibusque obnixus vix tandem loco movit[1]. Tum quoque elata crux, ex ligno domini facta, securis et hasta regis Olavi. Cujus negotii primas partes peregerunt Petrus[2] et Arnfinnus Thjovi filius, plerisque ceteris aliqua sollicitudine affectis.

Skulio duci regium nomen datum.

199. His sanctis reliquiis elatis et in plateam ante ædes regias deportatis, dux cum omnibus aulicis armatis occurrit, indeque per oppidum descenderunt et in comitia Eyrensia exierunt. Amundius Remba[3] surrexit, duceque et aulicis salutatis, longam orationem habuit, [genus ducis ad sanctum Olavum regem retulit[4], ipsumque per fratrem Ingium regem in altero, regem Hakonem in nono[5] successionis gradu esse; quod paucis, præterquam ducis asseclis, veritati consentaneum visum est. Deinde ipse dux surrexit, et exposuit, quantam pro sua benevolentia contumeliam et ignominiam ab rege accepisset, qui cum sibi provincias et subditos transdidisset, ita se nunc remuneraret, ut trientem regni sibi destinatum abrogare vellet; multaque alia regi crimini dedit. Cum dux finem dicendi fecerat, surgens Ivar prætor, primo genus ducis recensuit, hancque clausulum orationis addidit, duci soli legitimum jus esse imperii Norvegici, simulque ei regium nomen dedit, regnum civesque cum omnibus provinciis tributariis, quæ imperio regis

[1]) deinde ornamentis sumtis scrinium pro more adornarunt, *add. B, F, G, H.* [2]) ducis filius, *add. F, G.* [3]) primus, *add. F.* [4]) dein Arnfinnus Thjovi filius orationem habuit, plerisque existimantibus, quæ locutus esset, vero haud esse similia. Post eum surrexit Erlingus Ljodhorn, iisdem fere verbis, quibus Arnfinnus, utens; nimirum horum orationis argumentum erat, quod genus — retulerunt, *B, F, H.* [5]) undecimo, *F.*

Norvegiæ subjacent, addixit, adjecitque postremo[1], se ex hoc faciendo magnam capere voluptatem. Post hæc Skulius, qui tunc rex appellatus fuit, surrexit, et brevi habita oratione, manus scrinio imposuit, jusjurandumque dixit, se[2] leges sancti Olavi regis[3] civibus inviolatas servaturum. Dein præfectos suos nominavit, hosque jusjurandum in verba sua adegit, tum ministros a mensis et aulicos[4], postremo colonos omnium provinciarum[5]. Post hæc dimissa concione, Skulius scrinium domum prosecutus est, nullo obviæ pompæ aut pulsatarum campanarum honore affectus. Duo canonici obviam scrinio[6] processerunt, et Skulium duxerunt[7]. Ille eo die milites suos convivio excepit. Sic Olavus Albus poeta:

Adparentibus tandem dolis virorum
potentium, turbari pax incepit.
Multitudo hominum, etsi valeat
consilio, fatis resistere nequit.
Strenuo populo gravis accidit dolor, cum principes
inter se contenderent; utriusque enim bellicæ virtutis,
magnificæ contentionis et potentiæ memoria erit
superstes, dum terra aquis cincta erit[8].

---

1) ex quo parum utilitatis cepit, *add. B, F, G.* 2) ut bonum regem, *add. B, F, G, H.* 3) juraque, *add. iid.* 4) et speculatores, *add. G.* 5) et quanquam hoc loco pauca referantur, tamen multa sunt acta, quæ memoria digna sunt, *add. B, F, G.* 6) secundum (prope, *H*) ædem Olavi, *add. F, G, H.* 7) canonici minus, quam vulgo est exspectatum, offensi Skulio videbantur; finitis vero his officiis, suam quisque domum repetiit, *add. B, F, G, H.*

8) Constructio: *fláræđi ríkra a) manna kom fram um síđir; þá hófst b) friđbann. Jöfra c) sveit, þótt heiti ráđug, má eigi bægjast viđ örlög. Ramri þjóđ var stórr harmr, [þá er d)*

Idem sic:
Tunc animosus præfectorum moderator
altius, quam modicum esset, nomen sumsit.
Thrandi principem expertæ virtutis adjuverunt,
gravia hominum dissidia invaluerunt[1].
Sic Sturla[2]:
Sine vanitate potest
prædicari, Skulium
excellentem virum fuisse,
etsi fallacissima
fortuna humana,
inter vitam gloriosam,
rotam suam
in eum convertit[3]:
[Idem sic:
Cum infector
clypeorum
sinistro omine
immodica affectaret,
et excellens
procerum adversarius
regium nomen
Eyris sumeret[4].

---

harrar striddu: þvi at stála hregg, rausnarkapp ok ríki beggja man æ uppi, meðan jörð heldr flóði.

a) *öfund-*, invidorum, *F, G.* *b*) *hóf*, F, G, impers. *c*) *jöfurr* h. l. aut de viris potentibus, aut in genere de hominibus, intelligo. De regibus sumi non placet. *d*) *þor*, B, H.

1) Constructio: *haukснjallr hersa stillir tók þá hæra nafn, en mundang væri. þrændir efldu reyndan þengil; þungr agi bragna magnaðist.*

2) Snorrius Sturlæus, *H.*

3) Constructio: *þat er skröklaust, at Skúli var frægðarmaðr, þó at hvarbrigð aldar gipt sneri á hann auðnu hveli í frömu lifi.*

4) Constructio: *þá er a) randa rjóðr knátti reisa ofrausn öfgu heilli, ok úlágr b) jöfra bagi tók öðlings nafn á Eyrum.* Ab [omitt. H.

De Grimo Keikane.

200. Dum comitia habebantur, pauci[1] aulici regis Hakonis in oppido fuerunt. Grimus, cognomine Keikan, aulicus Hakonis regis, post comitia ex oppido profectus[2], in Syrnadalum[3] descendit, inde Thingvallum contendit, ubi Asolvum colonum convenit, eique has res narravit[4]. Inde ad Arnium Blakkum perrexit, eumque de iisdem rebus certiorem fecit, indeque ad Petrum Giskiensem[5].

De emissariis Skulii ducis.

201. Postquam dux Skulius regium nomen adsumserat, concilium asseclarum[6] suorum habuit. Alii hortati sunt, ut extemplo cum omnibus, quas nancisci posset, copiis meridiem versus profectus, nulla præcurrente fama, omnibus maritimis terrestribusque itineribus observatis, regem aggrederetur[7]; alii, ut divisas copias in omnes partes dimitterent, regiosque, ubicunque deprehenderentur, interfici juberent; atque hoc factum est, nam ea ratio duci maxime placuit. Hi centuriones septemtrionem versus in Halogiam profecti sunt: Algautius, Paulus Fotus[8], Sigurdus Partinus[9]; hi in mediterranea: Ivar Sunnbuensis, Al-

---

a) omitt. F. *b*) *úlákt*, excelsum (nomen), *H*; *ólágt*, id., *F*; *ofhátt*, nimis celsum, *B*.

[1]) perfectis, pauciores, *add. H, G.* [2]) cognito ducis consilio, equum nactus in Gaulardalum ad villam suam cursu citatissimo properavit; nactus ibi contubernalem, qui cum eo pactus erat, si quid novi rescivissent, ut extemplo ad regem Hakonem proficiscerentur, cum is ire nollet, nihilominus iter continuavit, *add. cet.* [3]) Surnadalum, *B, F*; Svinad., *H.* [4]) hortans ut secum proficisceretur, sibique consuleret, *add. F.* [5]) cui eadem narravit, *add. F.* [6]) et consiliariorum, *add. F.* [7]) alii, ut cum omnibus copiis in superiores regiones profectus, ibi se adulta hieme contineret; alii, ut in Thrandheimo esset, ibique, donec ver appeteret, locis idoneis se contineret, *add. B, F.* [8]) Pottus, *F.* [9]) Pattinus, *G*; Pakkius, *F.*

vus Leivastadensis, Vesetius Parvus, Gudinius Geigus[1], Sigurdus Tolii filius, Sigurdus Hita, Ulvus Farius[2], Eirikus[3] Gulveggus[4], cum viris sexcentis. Olavum Vigdeildensem, Guttormum Sudurheimensem, cum aulicis et speculatoribus[5], magnaque parte copiarum[6], meridiem versus ad regem opprimendum misit.

Cædes Ivaris Kornii et Gunnaris.

202. Rex Hakon præcedenti autumno duos aulicos suos, Ivarem Kornium[7] et Gunnarem[8] Mirmannum, qui utriusque eorum ministri erant, assidueque inter eos commeare consveverant, septemtrionem versus ad ducem cum literis miserat. Qui cum literas duci tradidissent, [brevi temporis spatio ibi consumto[9], proficisci inde parabant. His dux, præcedenti die invitatis ad cœnam, veniam abeundi concessit[10], et centum viginti ulnas panni promercalis in pænulas dono dedit. Dein in Folsnam trajecerunt, ubi aliquamdiu in [prædio regio[11] commorati sunt, nihil periculi metuentes. Die vero, quo dux regium nomen sumsit, tabellarios suos, præfectis Gauto Varbelgo et Sigurdo Saltsado, celoce vectos ad Ivarem opprimendum in insulam misit. Hi Folsnam delati, necopinato supervenientes extemplo Mirmannum[12] in cubiculo dejecerunt, ibidemque plures homines ceciderunt. Ivar qui in cœnaculo quodam extra ædes constitutus erat, solo indutus indusio et braccis linteis per fenestram evasit, et in templum confugere cogitavit; quod cum

1) Geingus, *F.* 2) Fasius (s. Fusius), *F.* 3) Eilivus, *G.* 4) Gulvægus, *G.* 5) et ministris a candelis, *add. B, F.* 6) de quibus infra mentionem faciemus, *add. B, F.* 7) Kjorninm, *B.* 8) *add. F, G, H.* 9) cum aliquot ibi noctes magno habiti honore consumsissent, ut primum responsa ducis acceperant, *B, F.* 10) eisque literas meridiem versus ad regem perferendas tradidit, *add. H.* 11) templo, *F.* 12) Gunnarem, *F, G, H.*

clausum esset, conscensis quæ ad templum forte stabant scalis, in tectum enisus ibi noctem agebat, templo ab hostibus[1] custodito. Postero die, frigore semianimis, vitæ veniam petiit, neque impetravit. Dein homo aliquis in scalas adscendit, hastaque Ivarem appetivit, qui mortuus delapsus est, cruore et intestinis in tecto relictis; hoc accidit tertio anno, postquam rex Hakon hoc templum inaugurandum curaret. His confectis Varbelgi meridiem versus Ljoxnam[2] profecti sunt; hic aderant duo fratres, aulici utriusque, regis ac ducis[3], in cubiculo constituti. Qui, Varbelgis cubiculum oppugnantibus, cum se fortiter et viriliter tuerentur, hostes in tectum ascenderunt, stipitesque intro conjecerunt. Tandem fratres, aliquot Varbelgorum vulneratis, [quorum unus mortuus est[4], eximiam fortitudinis famam consecuti occubuerunt. Varbelgi, omnibus eo loco cibariis et vestimentis direptis, in oppidum reverterunt, ducique res ab se gestas retulerunt.

Cædes Thoreris aliorumque regiorum.

203. Skulius dynasta, per speculatores certior factus, Thorerem Bornensem[5], fratrem Vegardi Veradali, ab rege ex meridianis profectum, Sigurdum Fertlium[6] et Eysteinem Eyrensem, quibus in Mæria provinciam administrandam dederat, Thorerem de medio tollere, ubicunque deprehenderent, jussit. Qui cum Nidaroso profecti in Fladkium[7] venissent, de itinere Thoreris certiores facti, in diversa ad quærendum eum discesserunt[8]. Quem cum Sigurdus ante Rau-

---

1) circumdato et, *add. F, G, H.* 2) Losnam, *F*; Lyxiam, *G.* 3) dieti juvenes Ljoxnæi (Losnæi, *F*; Lyxæi, *G*), *add. B, F, G.* 4) tribusque dejectis, *G.* 5) Borriensem, *F, H, G.* 6) Petlium, *G* (*H*). 7) *sic F, G*; Flagdkium *A.* 8) hac ratione iter instituerunt, ut Eystein orsm meridianam legeret, Sigurdus Raudabjarga versus tenderet. Thorer cursum secundum oram septem-

dabjarga obvium habuisset, Thorer, pacem petere frustra fore arbitratus, arma sua circumspicere cœpit. Quæ cum omnia in fascem colligata essent, virtutis exserendæ exiguus locus datus est, ibique Thorer, alterque aulicus, cui Hedini nomen, cecidit. Nautis Thoreris vehementer pulsatis, navem cum omni onere ceperunt, capto quoque Thorbergo filio Thoreris, et in oppidum reverterunt. Thorbergus, compluribus deprecantibus, vita donatus, et ab eo tempore apud ducem versatus est[1]. Dux Skulius homines quoque in Halogiam misit. Algautus[2] oram maritimam prænavigavit; Paulus Fotus et Sigurdus Partinus per exteriora nave vecti, primo hominem, nomine Jonem, alterumque Jonem Svartium in Bjarkeya[3] interfecerunt. Inde Torgas profecti, rem familiarem viri nomine Ingjaldi, [celocemque diripuerunt[4]; inde in Brenneyas[5], ubi alteram celocem ceperunt. Inde Garheimum[6] delati omnes fortunas Jonis Silkii occuparunt, ipse vero paterfamilias, ab uxore misso in Vogos nuntio admonitus, confestim ad Guttormum Bjarkeyensem, qui iis locis et meridianæ parti Halogiæ ab rege Hakone præfectus erat, confugit, eumque Hereyis convenit, quæ resciverat nova nuntiat, sed Guttormo de rei veritate du-

trionalem direxerat, domumque recto cursu oppido non adito, contendere cogitarat, *F, G.*

[1]) Sigurdus archiepiscopus sinum Thraudheimicum ingressus, nihil novi, priusquam Leirangros venit, cognovit; jamque rem in pejorem locum, quam opinatus erat, deductam ratus, extemplo misit literas harum rerum nuntias ad regem Hakonem, ipseque oppidum ingressus est. *add. B, F, G.* [2]) trajecto Eldueido, *add. F, G.* [3]) Bjorgeya, *F*; Bjoreya, *B.* [4]) rapuerunt, ipsumque telis confoderunt (vulnera inflixerunt, *B*), *F.* [5]) Bremeyas, *H*; Brimeyas, *G*; Bruuneyas, *B.* [6]) Garheimos, *H*; Tjelgarheimum, *F.*

bitante, [omnes una Sandnesum contenderunt[1]. Eadem vespera in cubiculo sedentibus, aliquis ex speculatoribus Varbelgorum ædem ingressus, cum suspectus haberetur, a Guttormo aversa securis parte percussus est, et sic affectus effugit. Dein templum ingressi sunt[2]. Varbelgi sub noctem huc delati, templum militibus circumdederunt, cumque obsessi exeundi potestate facta egredi nollent, templum se crematuros denuntiarunt. Guttormus, templum violari nefas esse ducens, cum ei talem securitatem, qualem sanctus Olavus rex templo constituisset, polliciti essent, [3]exiit; sed egressus templi limine e vestigio occisus est. Jon Silkius, per fores sacrarii elapsus, [extra templum in agro interfectus est[4]. Eo loco Varbelgi magnam pecuniæ vim, navemque tredecim transtrorum, quæ Guttormo fuerat, ceperunt. Dein in Salptium exteriorem progressi, filios Pauli Dalki, Olavum Dalkum et Jonem Sylgjam, aulicum Hakonis regis, interfecerunt, omniaque eorum bona diripuerunt. Inde profecti in Arneyas[5], Asbjornem[6] Medalbuensem, regi a mensis, interfecerunt, res omnes diripuerunt. Dein boream versus Salptios profecti sunt; hic aulicus habitavit, nomine Einar sacerdos, qui domo aberat. Hoc prædio direpto, septemtrionem versus pergentes Leirnesum venerunt, ubi habitarunt viri, dicti Bollii filii, quibus saluti fuit, quod eodem die in Skrovas[7] profecti fuerant. Eodem vespere Eirikus Albus et Thordus Tanna, contubernales Ivaris Petri filii,

---

[1]) una uterque conscensa nave remigavit ad prædium Sandnesum dictum, *F, G*. [2]) ibique pernoctare statuerunt. Sed, *add. F, G*. [3]) a Paulo Foto manu prehensa eductus, *add. F, G*. [4]) ab orientali templi parte cecidit, *G*. [5]) Erneyas, *B*; Arneyam, *G*. [6]) Nebbium, *add. F*. [7]) Skropardalum, *B*.

eodem delati, interfecti sunt[1]. [Ibidem navem onerariam omnesque res mobiles ceperunt[2]. Postero die in Hamareyam trajecerunt, Hakonem Randam[3] interfecturi, sed cognito[4], Hakoni nuntium de itinere suo venisse, Leirnesum reverterunt, ibique pernoctarunt. Hakon, nuntio de adventu hostium allato, dimissa belli sagitta copias convocavit, septemque celoces milite bene instructas habuit[5]. Postero mane diluculo Leirnesum venerunt, cum jam Varbelgi unam celocem armis onerassent. Hakon suos quam strenuissime adremigare jussit, quo a Varbelgis audito, Paulus Fotus: jam aufugiamus, inquit, adsunt Salptienses[6]. Algautius nondum[7] advenerat, sed ab altera parte promontorii cum celoce tredecim transtrorum stabat; ibidem oneraria Bollii filiorum stetit. Paulus per promontorium transcucurrit, orasque præcidi jussit, socios suos universos interfectos esse nuntians. Illi, recepto Paulo, Leirnesum remigarunt, Hakonianis jam digressis; itaque Bollii filii, missis ad Varbelgos nuntiis, pacem vitamque depacti sunt, ea lege, ut Ivar Bollii filius eos Nidarosum comitaretur; quo ante festum jolense pervenerunt. Dux sibi displicere significavit, quod Guttormum colonum et Jonem Silkium ex asylo[8] templi egressos interfecissent, autoresque in vincula conjici

[1]) ibidem mercator, nomine Jon Smædra, vulneratns est, *add. B, F, H.* [2]) rem familiarem Bollii filiorum ita curarunt, nt deductam onerariam eorum omnibus rebus mobilibns, quæ eis erant, præterquam pecudibns, onerarent; ceperunt ibi lintea, pannos, argentum igne purgatum, factum pariter ac infectum, magnamque vim monetæ trivialis, *add. B, F, G.* [3]) Raudum, *G, H.* [4]) actuariæ cuidam occurrentes cnm cognovissent, *F.* [5]) His nuntiatum est, prædones aliquos Leirnesum delatos bona fratrum diripuisse, *add. F.* [6]) Guttormi necem nlturi, *add. B, F, G.* [7]) tum, *F, G, quod rectius puto.* [8]) sancti, *add. F, H.*

jussit; maximam partem prædæ, quam ab septemtrione advexerant, in fiscum suum redegit. Ivar Bolli filius in gratiam cum duce rediit, ea lege, ut duodecim auri selibras præter rapta penderet; atque sic vitam suam fratrumque redemit.

De Alvo Leivastadensi.

204. Alvus Leivastadensis sociique, sexcentos homines habentes, ut constitutum erat, in mediterranea profecti sunt. Trajecto monte orientali, Olavum Fridæ[1] filium, hujusque gnatum, virumque nomine Ivarem[2] interfecerunt. Sed plerisque regiis nuntius venit, quare in templa et silvas confugerunt. Cum in Dalos venissent, Sigurdus Folii filius ab ceteris digressus in valles orientales descendit, hominesque Leivsonios dictos interfecit; reliqui centuriones Osloam contenderunt, duce Bardo Brattio, præfecto ducis; sed hic pauci regiorum aderant. At Bardus, cum Varbelgi misso nuntio præcepissent, ut quam plurimos regiorum necaret, virum bonum se præstitit, [3]eosque saluti consulere jussit; quare plerique regiorum in templa confugientes saluti consuluerunt. Varbelgi proxima nocte in oppidum insperato irrumpentes, [Sigurdum Paktinum[4], Grimum Magnium, Asolvum[5] et sex alios interfecerunt[6]. Dux hominem[7] misit ad dominum Knutum cum sigillo, quod Hakoni dynastæ patri ejus fuerat, vexilloque[8], eique dynastæ apud se di-

[1]) concubinæ, *B.* [2]) Vegum, *add. G.* [3]) nam certiores eos fecit, quem nuntium accepisset, *add. F*; nam regiis nuntium misit, *G.* [4]) Paktuoum, *H*; Pattanum, *B.* [5]) *ab* [*:* Sæpilgrimum, Asolvum Leppum, *G.* [6]) His confectis Varbelgi aliquamdiu in oppido morati sunt. Vesetius vero (longius) in Vikam progressus, ibi aliquamdiu se continebat, ideo autem nullos homines necavit, quod verebatur, ne multitudo adversus se mitteretur (ne coloni se aggrederentur), *add. F, B.* [7]) a borea cum Vesetio sacerdotem quendam Islaodum, *B, F.* [8]) quod eidem fuerat, *add. H.*

gnitatem detulit; sed dominus Knutus huic conditioni aures præbere noluit, [missosque reverti[1] jussit. Simon Kyra[2] et Vesetius Hellensis, Vesetium cum quinquaginta[3] viris aggressi, septem[4] et viginti ex ejus comitibus interfecerunt, Vesetius vero orientem versus in Markas[5] aufugit, ibique se continebat, donec dux post eadem hieme in partes orientales pervenit.

De emissariis ducis Skulii.

205. Nunc ad eos revertamur, qui orientem[6] versus ad opprimendum regem missi erant, Olavum Vigdeildensem et Guttormum Sudurheimensem. Hi adversis ventis diutius impediti, fama de adventu eorum in multa loca præcurrente, nullos homines nacti sunt, multis vero locis pecudes mactarunt, multaque hostilia fecerunt[7]. [8]Rege Hakone et archiepiscopo præcedenti autumno convenientibus, legati ducis, Bjorn abbas[9], eo (Bergas) advenerunt, decretumque est, ut induciæ inter regem et ducem in instantem hiemem manerent; tumque archiepiscopus[10]

[1]) sacerdotemque abscedere, *F*, *G*, *H*. [2]) de itinere Vesetii certior factus, et a domino Knuto admonitus, Skulium bellum regi Hakoni intulisse, milites coegit, *add. B*, *F*. [3]) septuaginta, *B*. [4]) sex, *B*. [5]) ægre, *add. G*. [6]) meridiem, *F*, *G*. [7]) Cumque intelligerent, se recto cursu meridiem versus navigare non posse, dispersi Fjordos intrarunt, ubi commorari regios nossent. Primo Dromnnesum venerunt, ubi Arnius Ledrungus et Endridius habitabant: hic omnes pecudes conciderunt. Dein promontorio circumnavigato, meridiem versus per freta contenderunt et domum Arnii Blakki venerunt, ubi omnia quibus incidissent rapuerunt, item domi Ogmundi Kodungi (Rostungi) et Andreæ Sjomælingensis. Inde meridiem versus in Romsdalum profecti, ubique pecudes regiorum conciderunt, nusquam homines nacti, quod omnes meridiem versus profugerant, *add. B*, *F*, *G*, *H*. [8]) Jam ab rebus gestis Varbelgorum devertemus, indeque repetemus, quod, *add. B*, *F*, *G*, *H*. [9]) Jatgeir poeta, *add. F*, *G*; et Sonius Sikus, *add. F*. [10]) *sic cet.*; dux, *A*, *prave*.

inducias pepigit, ei, qui violasset, excommunicationem minatus. Tum rex abbati literas ad ducem dedit, ut has inducias servaret, aut si aliter sentiret, se certiorem faceret; præfectos vero, data domum redeundi venia, monuit, ut caute iter facerent, dum cognitum esset, quo pacto induciæ servarentur. Illi, nullos hostes metuentes, septemtrionem versus cursum extra insulas direxerunt, neque prius animum adverterunt[1], quam, Varbelgis a meridiana parte objectis, reditu penitus interclusi essent. Ogmundus Krækedansus, cui provincia[2] Romsdalensis commissa erat, meridiem versus ad regem reversus est. Regii autem, Sigurdus episcopi filius cum suis, occurrerunt Varbelgis in pelago Lyngverensi, unde ille ægre elapsus, meridiem versus ad regem se recepit. Ii vero ex regiis, qui onerariis[3] vehebantur, ubicunque deprehensi essent, interfecti sunt. Petrus Pauli filius Borgundam venerat, cum cognovit, Varbelgos reditum a meridie interclusisse, aliosque ab septemtrione adventare. Petrus, qui plerisque militibus suis veniam domūm eundi dederat, ipse magnam ducens navem vigintitranstrami et celocem, cursu meridiem versus quantocissime converso, cum Hereyas[4] appropinquaret, Varbelgos eo loco cum tribus celocibus[5] stare cognovit; itaque portum prænavigans inflari tubam jussit. Quo audito Varbelgi, demtis[6] navium velamentis, [7]remis aufugerunt. Quæ ratio ejus varie interpretata est[8].

[1]) Birkibeini, *add* *F.* [2]) Orknadalensis demandata erat, cursu in Surnadalum converso, ibi celocem suam submersit. Arnius Blakkus, cui provincia, *add. H, F, G.* [3]) mercibus onustis, *add. F.* [4]) ab septemtrione, *add. F, G.* [5]) in portu, *add. F.* [6]) dereptis, *F, G.* [7]) classem, quam revera erat, majorem opinati, *add. H.* [8]) aliis dictitantibus, eum ideo inflari tubam jussisse,

Rex Hakon primum belli nuntium accipit.

206. Rex Hakon paucis admodum stipatus Bergis se continebat, [semper aliquos a septemtrione nuntios exspectans; quorum cum nulli venirent, rem non omnino in tuto esse suspicatus est. Hortantibus suis[1], ut sibi præcaveret, celocem in mare Sognicum misit, alteram, nomine Vættam[2], omnium navium celerrimam[3], quavis nocte ad Foldhellam stare jussit; qui quotidie in oppidum remigabant, et quavis vespera excurrebant. Hi aliqua nocte[4] animadverterunt, navigium aliquod octo[5] scalmis ab septemtrione secundum litora contento remigio ferri. Quam celocem speculatoriam esse opinati, cursum obviam eis direxerunt. Aderat Grimus Keikan, qui, ut ad regem deduceretur, oravit[6]. Sic fecerunt. Tum tertia pars noctis restabat. Pro cubiculo (ut aperiretur) clamantibus[7], rex confestim surrexit et vestes induit[. Tum Grimus regi nuntiavit, ducem Skulium regium nomen sumsisse: [8]induciasque tecum pactas irritas declara-

quod Varbelgos de adventu suo certiores facere, neque arma adversus ducis asseclas ferre voluisset (eum sic faciendo signum eis dedisse, ducisque amicum esse, *H.*), quapropter domicilia sua Giskii intacta (ea hieme) servasse. (Præfecti regis) Petrus, Asolvus, Arnius Blakkus et Sigurdus episcopi filius, Stadum prætervecti iter lente faciebant, *add. B, F, G, H.*

[1]) nondum apud animum statuerat, orientem versus proficisceretur, nec ne, nuntios enim de rebus, quas ad ducem scripserat, a septemtrione quotidie exspectabat, miratus, nullos advenire; itaque res suspectas esse credens, consiliarios suos advocavit et cum eis collocutus est. Quibus hortantibus, *B, F, G.* [2]) Vætam, *H.* [3]) qua ministri a candelis aliique regii vehebantur, *add. F, G, H.* [4]) excubantes, *add. F, G.* [5]) decem, *G.* [6]) se res graves afferre testatus; naves ad pontem regium applicuerunt, ibique escenderunt, *add F, H, G.* [7]) se regem convenire velle, *add. F, H, G.* [8]) *ab* [: et in curiam ad eos progressus est. Hic aderat Grimus qui regem salutavit. Rex, eo salvere jusso, quid novi interrogavit.

vit. Rex [se credere nolle significavit[1]. Grimus: dux quoque copias in omnes partes dimisit, septemtrionem meridiemque versus et in mediterranea, ad [cives tuos[2] occidendos et ad te opprimendum quatuordecim celoces cum præfectis et aulicis[3] misit; quare aliquo utili consilio tibi, domine, provideas, celeriter enim huc aderunt[4].

Belli nuntius populo significatur.

207. Hunc nuntium cum rex accipiebat, pauci apud eum homines erant. Ille, cum aliquantisper tacuisset, locutus est: divino beneficio accidit, quod novi, quid mihi ex hoc tempore agendum sit, nam hæc, quæ nunc evenerunt, longo ante tempore præcogitata fuerunt. [His dictis ad cubiculum reginæ accedens, fores aperiri jubet; sic factum. Rex cubiculum ingreditur; hic lumen ardebat, famuli aliquot famulæque reginæ ibidem quiescebant. Accedente ad lectum rege, regina, quæ cum indusio serico stabat, rubrum pallium tæniis instructum superinduit, regemque salutavit; ille comiter resalutat. Ea, sumto pulvino serico, regem considere jubet;

(Cui Grimus:) magna affero: dux Skulius, socer tuus, regium nomen sumsit, *B, F, G, H.*

[1]) verum esse negavit, *F;* locutus est: fruatur, ut potitus est, *B, G, H.* [2]) eos, qui in verba utriusque vestrum jurarunt, *H;* ubicunque deprehendantur, *add. F.* [3]) suis, *add. F, G.* [4]) hæc nullo pacto (domine!) refelli poterunt: nam eo tempore, quo in comitiis Eyrensibus erant (dux erat), ego per Asum (Gaularasum) equo vectus sum, dein vero in silvis Gaulardalensibus delitui, donec has res certo cognoveram, ceterum hæc nona nox est, quam a septemtrione sum profectus. Rex de præfectis suis, qui boream versus profecti erant, perquisivit. Grimus se omnes, præter Thorerem, convenisse dixit: omnesque salvi erant, modo in posterum sibi caveant, Thorer autem prætervectus erat; cujus res magno in periculo versari existimo, *add. B, F, G.*

ille se velle negavit. Ea, ecquid novi rescivisset, quærit. Levioris momenti res sunt, inquit, duo simul reges Norvegiæ imperant. Illa: at unus legitimus, nimirum tu, atque ita faxit Deus sanctusque Olavus rex. Hic rex ei narrat, patrem ejus comitiis Eyrensibus sibi regium imponi nomen jussisse. Ea: veriora mox audiemus, puto; per ego te Deum obsecro, inquit, his ne credas, quoad inficias ire queas. Inter hæc erumpente fletu, plura de his loqui non valuit. Rex eam bono esse animo jubet, neque enim cœptorum a patre pœnas daturam. Paulo post rex discessit[1], belli sagittam septemtrionem meridiemque versus Bergis dimittit, eo universitatem populi convocat, hosque præfectos, Gautum Jonis, Gunnarem regis[2] cognatum, Nicolaum Pauli, Brynjolvum Jonis, Isakum Bæensem. Eodem die comitiis in oppido habitis, populo hæc nova retulit, omnes bono animo esse jussit; animo præsagire, rem bonum exitum habituram. Postero die mane armilustrum egit; copias lustravit: præcepit, ut mercatores in suo quisque deversorio in armis cubarent, regii vero in ædibus regiis; se provisurum Deo adjuvante, ne quis repentina vis hostium necopinantibus ingrueret. Deinde naves majores, Hugroam, Olavsudam, Fitjabrandum, Gulbringam, Rygjabrandum, deducendas curavit. Hugroa, infimam partem inter deducendum vulnerata, iterum subducta et per otium refecta est. Ceteræ omnes aquis commissæ, et quam diligentissime adornatæ; naves longæ regiæ secundum pontes, quantum in lon-

---

[1]) *quæ ab signo [sunt, omittunt B, F, G, H, hæc tantum habentes*: die statim illucescente rex sacra celebratum ivit; dein consiliarios suos advocavit, præsente Grimo, qui allatum nuntium renuntiavit. Horum auctoritate etc. [2]) suum, *F.*

gitudinem[1] pertinebant, jacuere. Præfecti et præsides provinciales quotidie cum numerosis cohortibus adfuere; Vorsienses septem naves adducebant. Petrus, Asolvus et Sigurdus episcopi filius, ab septemtrione delati, nuntiarunt, Skulium ducem omnibus provinciis, ab Stado in boream versis, suos præfecisse.

Rex Hakon Varbelgos vita donat.

208. Rex Hakon bos centuriones septemtrionem versus adversus Varbelgos misit: Gunnarem, cognatum suum, Petrum Giskiensem, Asolvum colonum, cum navibus quinque et viginti; [2]præcepit, more omnibus majoribus suis observato, ne templa feminasve violarent. Illi dein septemtrionem versus Borgundam profecti sunt; ubi præsides Varbelgorum, Olavus Kabein, Snækollus, Andreas Skæla se continebant. Hic, antequam in templum confugere possent, aliquot Varbelgorum ceciderunt. Birkibeini commeatum ab iis contractum interceperunt, ipsis pacem, donec regem convenirent, concesserunt. Tum Snækollus bos versus composuit:

Ego nunquam,
si vel semper vixero,
præfecturam petam
in Sunnmæria:
nam hostes me
inde Bergas
jussu regis
deportarunt[3].

---

[1]) per interiorem partem oppidi, *add. F.* [2]) cum his, antequam ex oppido solverent, collocutus, eos tam longe septemtriooem versus progredi, quam sioe periculo possent, jussit, et, *add. F, G, H.*

[3]) Coostructio: *ek skal aldregi biðja a) sýslu á Sunnmæri, þótt ek lifa æ b); þviat fjandmenn fluttu mik þaðan til Björgynjar at boði hilmis.*

a) beiðast, id., *F, G, H.* *b) ey*, id., *G, H; einn*, solus, *F.*

Petrus ac sui, cum cognovissent, ducem Nidarosi se continere, numerosis copiis stipatum, et intelligerent, se eo non sine summo periculo proficisci posse, Bergas cum præda captivisque reversi sunt. Rex Hakon omnibus in potestatem suam se tradentibus veniam dedit; Klæmitum Holmensem meridiem versus in Agdas misit, ut Varbelgos, qui ibi erant, aggrederetur; is Olavum Thoræ filium, Baglum veteranum, interfecit. Bardus Hestbæensis, qui provinciæ Rygiensi a dynasta præfectus erat, cum cognovisset, ducem nomen sibi regium imponi jussisse, extemplo ad regem profectus est, et in ejus potestatem se tradidit; cui rex benignissime veniam concessit.

Consilia regis Hakonis.

209. Rex Hakon cum suis[1] frequenter[2] deliberavit[3], quid capiendum consilii esset, eis, qui ab septentrione advenerant, hortantibus, ut cum omnibus copiis boream versus[4] proficisceretur, quod et homines[5] et bona a Varbelgis capta amiserant; his, qui ad meridiem[6] erant, ut brumæ tempore quietum se contineret. Quod et captum consilii est, ut rex cum copiis Bergis se contineret. Nicolaus Pauli filius apud regem versabatur, minimus quidem natu omnium præfectorum, sed prudentiæ et gnavitatis habita ratione optimæ spei juvenis; is in morbum implicitus est, et paulo post obiit; ejus funus die vigiliam festi jolensis antecedente repositum est. Sequenti mane refectio Hugroæ absoluta erat, quam ante festum deductam voluit rex; itaque dum sacra canebantur, navem adornandam curavit, hominibusque ad deducendam tuba convocatis, eadem oratione navi bene precatus est et

[1]) præfectis, *add. G.* [2]) quotidie, *B, F, G, H.* [3]) collocutus est, *iid.* [4]) adversus Skulium, *add. G.* [5]) cognatos amicosque, *F, G.* [6]) Stadi, *add. G.*

pacem inter homines composuit[1]. Quibus actis funeri Nicolai obviam ibat, ipseque ad sepulcrum stans pro cantu (officio funebri) gratias egit[2]. Quæ dies regem perquam occupatum habuit.

Cometa visus.

210. Ogmundus Krækedansus [ante festum jolense[3] Bergas venit, et cum rege ad nonam feriam commoratus est. Huic rex [centum viginti aulicos et speculatores[4] dedit; quibus ille acceptis [in montana profectus est[5]. Munan episcopi filius, qui præfecturam Heidmarkæ tenuit, inde a Varbelgis pulsus in Valdresum profugerat, ubi se per festum jolense continebat. Hic et Ogmundus ambo una Osloam profecti sunt. [Sed cum intelligerent[6], se copiis minus valere, si dux ab septemtrione veniret, in mediterranea profecti, in Dalis se continebant[7]. Hac hieme rex Hakon[8] convivium jolense[9] apparandum curarat, multo majori quam solitum fuerat apparatu et sumtu. Hæc tertia et vicesima hiems erat

---

[1]) tum navis deducta est, quod negotium ſeliciter cessit, *add. cet.* [2]) dum vero ſunus condebatur, malus rudentibus adoruatns et instructos est, armamentaqne in navem comportata. Qno ſacto rex concionem aulicorum habuit, ipseque aulicos suos salotavit, *add. cet.* [3]) ſesto jolensi, ante octavaio ſeriam, *F.* [4]) magnam manum, *G.* [5]) in Sognum proſectus, inde montana trajecit, *F, G, H.* [6]) Hic multi aderant regii, qui dicebaot, eum metu Varbelgorum in Uplandis non audere versari; ille vero significavit, *F.* [7]) Aruius episcopus clericorom aliquem autumno, antequam eruperat bellnm, septemtrionem versus ad archiepiscopnm cnm literis miserat. Qui cnm Nidarosnm venisset, dux omnes literas intercipi jussit, legatoqoe meridiem versus proſicisci parato suas literas perſerendas dedit, hasque coram eo recitari jussit, in quibus nihil, nisi debita a Bergensium quibusdam exigenda, continebatnr; sed cnm signarentor, dux alias subjecit, qnas clericus meridiem versus pertulit. Quas literas cum rex Hakon intercepisset, de dolis in se suosque structis certior ſactus est, *add. B, F, H.* [8]) amplnm, *add. H, G.* [9]) Bergis, *add. F.*

imperii ejus. Miserat orientem versus in Vikam, qui mercedes prædiorum et impensas bellicas exigerent, ex quibus nihil rediit. Verum rex nihilo minus octava feria festi, vasis et catinis argenteis diffractis, aulicis stipendium cum fide persolvit. Novem noctibus post festum jolense, rex vespere cœlo sereno egressus, mirificam stellam vidit, multo ceteris majorem magisque terribilem, aliquo caudæ simili exstante insignem. Itaque magistrum Viljalmum advocari ad se jussit; qui, conspecta stella: quod Deus bene vertat, inquit, hoc magnum visum est; hæc stella, quæ cometes appellatur, conspecta excellentium principum obitum ingentiave prælia portendit. Quæ stella eadem hieme multis terris conspecta est.

Knuto nomen dynastæ datum.

211. Elapso festo jolensi, præfecti significarunt, se boream versus proficisci magnopere cupere. Quorum vocibus cum rex parum moveretur, magna in se vituperia a multis jactari audivit, dicentium, eum cognomen Somni sibi additum[1] re comprobare. Verum talia rex minime curavit, statim vero circa festum candelarum profectionem apparavit, copias ad se convocavit, quadraginta[2] naves, omnes magnas et bene ornatas, habuit[3]. Antequam ex oppido solveret, reginam et juvenem principem Magnum in arce reliquit, cum præsidio quadraginta aulicorum[4], magnaque adjecta alia multitudine. Hac hieme literas orientem versus in Vikam miserat ad dominum Knutum et Arnbjornem Jonis filium, ut nomen dynastæ Knuto daret, quo facto Vikam

[1]) a Varbelgis, *add. F.* [2]) sexaginta, *B.* [3]) hi præfecti regem comitabantur: Gautus Jonis, Petrus Pauli, Asolvus dynastæ cognatus, Gunnar regis cognatus, Isakus Bæensis, *add. F, G.* [4]) præfecto Gudleiko Askensi, *add. F.*

Uplandaque adversus Varbelgos et ducem, si ab septemtrione adveniret, tuerentur.

Aliquot Varbelgi in Thrandheimo interfecti.

212. Regi Hakoni Bergis proficiscenti nuntiatum est, ducem in provincias, Sunnmæriensem et Romsdalensem suos præfectos misisse: quare in Keilustraumum delatus, constituit, qui boream versus præcurrerent, præfectis Arnio Blakko, Gunnare regis cognato, Sigurdo episcopi filio. Qui maxima adhibita celeritate cum ad ostium Romsdalense pervenissent, cognoverunt, Finnum Knattum[1] cum cohorte sua in Vereya[2] esse; his enim locis a duce præfectus erat. Itaque eo cursum converterunt, et Finnum cum aliquot hominibus interfecerunt[3]. Ubi vero rex Knarrarskeidum perveheretur, vehemens tempestas cum procella nivium orta est; itaque ad Sundolvstados[4] appulit; hic[5] cognovit, ducem in mediterranea profectum. Itaque hoc captum consilii est, ut quindecim naves, præfectis Asolvo[6] ac Gunnare, præmitterentur. Hi directo cursu ad oppidum navigarunt, cui concubia nocte appropinquarunt. Bergthor Ramus[7], ducis satellitum unus, nave cursoria prævectus, nuntium in oppidum pertulit. Gunnar regis cognatus ad Iluvikam appulit, eoque loco escendit; Asolvus vero cum parte classis recto cursu in amnem remigavit, ibique egressus est. Sed, præcurrente adventum eorum fama, homines in templa con-

---

[1]) Gautum, *H;* Knutum, *G;* Snotrum, *B.* [2]) Vereyis, *H;* Vertcyis, *G;* Vceyis, *B.* [3]) Rex Hakon, omnibus itineribus custoditis, ut nemo, quamvis voluisset, proficisci a borea posset, nullum hac hieme nuntium de rebus ducis acceperat. Sed rege septemtrionem versus tendente, percrebuit fama, Skulium, quod opperiri regem nollet, profectionem in mediterranea parare, *add. B, F.* [4]) Söndulvstados, *F.* [5]) pro certo, *add. F.* [6]) Ostrattensi, *add. F, H.* [7]) Tannius, *F;* Tamus, *G, H.*

fugerant. Interim illi aliquot Varbelgorum interfecerunt, quosdam vulnerarunt.

De duce Skulio.

213. Dux Skulius die Saturni, tempore jejunii septuagesimalis, ex oppido profectus, sequenti nocte Medalhusis transacta, in Orkadalum adscendit. Klæmitum Patrem et Guttormum Sudurheimensem, ad naves omnesque provincias Thrandheimicas custodiendas, dato præsidio ducentorum quadraginta militum, in oppido reliquerat. Monte trajecto, cum sexcentis militibus, manu ornatissima et ab armis et vestimentis[1] bene parata, in meridiana profectus est. Alvus Leivastadensis cum suis commilitonibus, ut ante memoratum, prior orientem versus concesserat. Munan episcopi filius et Ogmundus Krækedansus, qui in Gudbrandsdalis se continebant, cognito, ducem ab septemtrione advenisse, in Heidmarkam adscenderunt; Ringisakrum venientes Alvum Leivastadensem, ibidem constitutum, in tantas angustias redegerunt, ut summa urgente necessitate se cum omnibus suis in templum conjicere cogeretur; Munan et Ogmundus templum circumsederunt, eique magnam partem diei adsederunt. Quoniam vero dux a borea adventurus exspectabatur, itinere Osloam versus converso, Knuto dynastæ, Arnbjorni Jonis, aliisque in Vika præfectis nuntium miserunt; quo accepto illi ingentem militum numerum contraxerunt.

Rex Hakon in Thrandheimum venit.

214. Rex Hakon in Thrandheimum navigavit, et ad Holmum appulit. Hic audivit, Varbelgos, Klæmitum Patrem et Guttormum, frequentes in oppido esse; hi enim, cognito, regis in oppidum adventum exspectari, huc confuge-

[1]) et equis, *add. B, F.*

rant, et in templo religiose consederant[1]. Misso ad regem nuntio pacem orarunt, nullis a rege[2] redditis responsis. Dein rex oppidum advectus est, cui advenienti Sigurdus archiepiscopus et canonici obviam iverunt[3]. Fuere ex ducis amicis, qui hortarentur, ut rex et dux pacem inter se facerent, ea lege, ut regnum ex æquo inter se, regiumque nomen communicarent. Quas conditiones, rebus ita comparatis, sibi non placere rex declaravit. Dux dominam Ragnildam et principem Ragnfridam, multaque ex bonis suis Elgisetrum[4] miserat. His cum archiepiscopus pacem ab rege peteret, professus se neminem ex aliis, qui in templa confugisset, nedum illas, violaturum, omnibus, qui in templo Holmensi sederent, pacem pollicitus est. Qui pace donati, partim ad regem se contulerunt, partim ad res suas redierunt. Dux ex Thrandheimo profectus, res familiares comitantium se integras manere jusserat; quam ob rem homines, quorum custodiæ res familiares Varbelgorum erant commissæ, ex omnibus provinciis ad regem venerunt, veniam orantes, ne res familiares diripi juberet. Quibus rex sic respondit, res familiares Varbelgorum ad principium æstatis integras mansuras, seque exspectaturum, si forte secum in gratiam redire vellent.

Bjorn abbas excommunicatus.

215. Præcedenti autumno, cum dux regium nomen sumserat, Sigurdus archiepiscopus Bjorni abbati succensuerat, quum ob crimina, quæ ipse

---

[1]) quare rex egredi in terram noluit, *add. B, F.* [2]) cum suis interea colloquente, *add. iid.* [3]) eumque comiter salutarunt (magnifica pompa exceperunt, *H*), quos aliud loqui, aliud sentire, animadvertit. Rex et archiepiscopus sæpe inter se de rebus gravibus, quibus universum regnum premebatur, collocuti sunt, *add. B, F, G, H.* [4]) in templum Elgisetri, *F, G, H.*

commiserat, tum quod incepta ducis consilio adjuverat; quam ob causam abbatem excommunicavit. Quam rem abbas iniquissimo animo ferens, ab archiepiscopo ad pontificem Romanum appellavit; collatis cum duce consiliis, pecunias ab eo sumsit, monasterio Holmensi pignori opposito; ducisque mandata[1] in exteras terras, Daniam, Germaniam[2], Romamque perferenda accepit. Ea hieme[3] in Uplanda profectus est[4]; cumque in emporium Hamarense venit, a Munane episcopi filio, ibi forte constituto, qui adventum ejus præcognoverat[5], cum omnibus sarcinulis captus, Bergasque[6] deductus est. Hic in arce apud reginam, donec rex ab septemtrione venit, servatus est.

Dux Skulius literas in Sveciam misit.

216. Skulius dux Jatgeirem poetam in Jamtiam, Helsingiam[7] et Sveciam cum literis miserat. Quo cognito rex Hakon Gunnarem cognatum suum ad eum insequendum misit. Qui summo studio contendens, cum multis difficultatibus in hoc itinere conflictatus est; habuit non amplius quam homines quindecim. Thorerem[8], præfectum ducis, in Helsingia interfecit; ibidem Jatgeirem deprehenderunt, omnes literas et res pretiosas, quas dux amicis suis miserat, interceperunt, ipso Jatgeire ægerrime evadente. Ex qua excursione Gunnar magnam cepit gloriam, priusque Nidarosum revenit, quam rex reditui se paraverat[9].

---

1) et literas, *add. F.* 2) vicinasque regiones, *add. F.* 3) ante festum jolense Nidaroso, *add. F.* 4) trajecto monte, iter quam lentissime fecit, ut si mandata nullius momenti procuranda haberet, *add. F.* 5) cui se suspicionis vitandæ gratia percomem præbuit, *add. F.* 6) quatuor aulicis quatuorque aliis traditus, a quibus in Sognum indeque Bergas, *F, G, H.* 7) *omitt. F, G, H.* 8) Risbitum dictum, *add. cet.* 9) Cum rex Hakon Nidarosi se continebat, ex oriente trajecto monte advenientes juvenes aliqui nuntia-

Bellum in Uplandis erumpit.

217. Cum Skulius dux in Heidmarka versabatur, Vesetius parvus ab oriente ex Markis ad eum venit. Secunda hebdomade longi jejunii dux Hamare profectus, in campum Eidensem descendit; Alvum Leivastadensem speculatum præmisit. Qui cum speculatoribus Knuti dynastæ occurrisset, congressi sunt eo exitu, ut Knuti speculatores unum ex Alvianis captum ad dynastam perducerent; qui homo ab aliquo militum dynastæ, quem læserat, interfectus[1] est. Ducem ex campo Eidensi proficiscentem adiit sacerdos quidam Danus[2], qui se ad eum ab Knuto dynasta missum ferebat, dicens, placere dynastæ, ut loco Leiruvallis dicto congrederentur præliumque committerent[. Dux renuntiari dynastæ jussit, se ea conditione usurum, nullaque hostilia cœptaturum, priusquam hujus congressus periculum factum esset. Præcedentem noctem dux prædio Raumariki, Laka dicto, transegerat; postero mane, cum copias paraverat, progressi amnem Leiram transibant, Birkibeinis adversum eos[3] tendentibus per glaciem amnis,

runt, Knutum dynastam et præfectos copias Osloam contraxisse, sexcentos viginti (trecentos, *G*) milites habere, in magnaque spe esse, etsi minus, quam tum, copiis valerent, victoriam ex duce relaturos; ducem in Heidmarka, cum ea transissent, versatum esse; rei gerendæ rationem, a Birkibeinis observatam, magna polliceri, *add. B, F, G.*

[1]) decollatus, *B, F, G.* [2]) paucis (aliqunt) comitatus, *add. F, G.* [3]) *ab* [: utrique se quam diligentissime pararent, nivem induratam proculcando planam redderent, nev alteri alteros clam invaderent, donec hujus congressus factum periculum esset. Dux eum dynastæ ceterisque Birkibeinis nuntiare jussit, sibi hanc conditionem placere, nec ulla hostilia facturum, prinsquam hic congressus finitus esset. Postridie idem sacerdos ad ducem venit, nuntians, dynastæ placere, ut constituerent, quæ cohortes inter se concurrerent;

lingula, quæ Leirnesum dicitur, inter utrosque interjecta. Ex ducis militibus primus equitavit Bardus Vargus [Gudrekstadensis[1] cum suis, filius Thorsteinis Kugadi, præfectus ducis. Qui cum lingulam præterirent, ex Birkibeinis Arnbjorn Posius cum cohorte illis occurrit; tum Varbelgi gradum reflectere et ad suos se recipere voluerunt, cum vero Bardus equum converteret, equo collapso, ab Arnbjorne captus est[2]. Dux ex glacie amnis copias in lingulam eduxit, ibique se comparavit, Birkibeini vero ex alia parte adversum eos ex amne egressi sunt. Hic aliquamdiu tela inter se mittentibus, ex militibus ducis Jon Paris[3] letalem plagam accepit. Bardus Vargus ad Eirikum Stilkum, affinem suum accedens, querebatur, quod vestimenta sua apud se non haberet, petiitque, ut aliquem sibi daret, qui se in glaciem progredientem comitaretur, ut bacillum runicum[4] ad socios suos conjicere posset. Eirikus sic fecit; delatis in glaciem,

petere ut dux suum vexillum dynastæ vexillo opponeret, suos speculatores nigro signo usuros, contra quos signum speculatorum ducis staret; placere, ut ministri a candelis cohortesque eo pertinentes flavo signo uterentur, iisque duci a candelis opponerentur. Oravit sacerdos, ut dux homines secum mitteret, qui hæc eadem verba ex ipso dynasta audirent; ille hominem misit, nomine Karium nuimanum. Dux prædio Raumariki, Laka dicto, pernoctarat. Ut vero sacerdos et Karius ad silvulam aliquam brevi a duce spatio venissent, signa Birkibeinorum adversum se ferri conspexerunt. Sacerdos significavit, dynastam celeriorem, quam vulgo ferretur, esse, Kariumque reverti ducique quo res loco esset nuntiare jussit; quod et fecit. Tum copiæ ducis ex silva in amnem Leiram progrediebantur, utrisque in vicem, *B, F, G, H.*

[1]) cum calonibus, *H*; *ab* [*:* cum suis et Bardus Gudrekstadensis, *B, F, G.* [2]) Bardus vero Gudrekstadensis elapsus est, gravi ictu inter stipulas hasta percussus, firma qua indutus erat lorica, ne vulneraretur, prohibente, *add. B, G.* [3]) Faris, *H*; Pausa, *B.* [4]) in glaciem, *add. F.*

Bardus prior[1] ibat; commilitones ejus trans amnem constituti eo agnito obviam procedebant. Tum ille in pedes se conjecit, et relictis Birkibeinis sociorum cohorti se immiscuit. Dux Skulius, tribus noctibus in Leirneso consumtis, cum eo loco copias diutius sustentare non posset, primo mane diei Veneris secundæ hebdomadis longi jejunii[2] inde abscessit, copiasque Lakam reduxit. Quo cognito, Birkibeini cum insecuti sunt. Varbelgi, Lakam delati, in clivo prope ædes induratam nivem proculcando molliverunt; infra clivum vallis erat, ultra quam collis adsurgebat. Tum visis Birkibeinis[3] dux suique aciem[4] instruere cœperunt.

Prœlium Lakense.

218. Birkibeini ire perrexerunt, donec Lakam pervenerunt, aciemque ex altera parte ad valliculam instruxerunt. Knutus dynasta et Arnbjorn [multas cohortes[5] constituerunt, quæ Varbelgos a tergo adorirentur[6]; quæ post aciem ducis regressæ sunt, ut prædium inter eos interesset. Quo viso, dux suos huic multitudini opposuit[7]. Qui cum congrederentur, acre prælium ortum est, Birkibeinis ob altitudinem nivis viæque difficultatem in aggrediendo impeditis, Varbelgis fortiter resistentibus. Dynasta et Arnbjorn, animadvertentes, copias a tergo concur-

[1]) celerius, *F.* [2]) qui incidit in septimum (tertium, *G*) diem idus Martias, *add. B, F, G, H.* [3]) insequentibus, intelligentes eo loco commissum prælium iri, *add B, F.* [4]) in clivo, *add. F.* [5]) multos centuriones (-qui), *B, F.* [6]) præfectis Lodine Gonnii, Hakone Grise, et Jone præpositi filio, qui ministrorum a candelis agmini præerat, quorum signifer erat Thorer Knappus, multisque aliis centurionibus, *add cet* [7]) his præfectis centurionibus, Alvo Thornbergensi, Olavo (Ogmundu) Vigdeildensi, Alvo Leivastadensi, Vesetio Parvo, Algautio fratre ejus, pluribusque, *add. cet.*

risse[1], in vallem cum suis descenderunt, clivoque adverso contra aciem ducis successerunt. Dux suos monuit, ne nimis festinarent, hostesque longius per acclivia progredi, antequam impetum in eos darent, paterentur. Sed Varbelgi, neglectis præceptis, [celeriter obviam [Birkibeinis procedentes, cum ob nives progredi non possent[2], celeriter eo, ubi primo constiterant, se receperunt.

Fuga Knuti dynastæ.

219. Jam de copiis a tergo concurrentibus narrandum: Hakon Gris ceteros Birkibeinos aliquanto præcedebat; concurrentibus, strages in copias Birkibeinorum versa; cecidit eo loco Hakon Gris, Jon præpositi filius, Guttormus Heggus, multique alii viri excellentes: Birkibeini terga vertunt, multi in fuga cadunt. Lodin Gunnii in cryptam templi cum aliquanto hominum numero confugit. Varbelgi signa capta ad ducem retulerunt. Dynasta et Arnbjørn, suos inferiores discessisse animadvertentes[3], hominem[4] ad ducem de petenda pace miserunt. Cumque missus, comitatus iis, quos una miserat dux, revenisset, clypei in [nivis cumulo[5] steterunt, omnes homines aufugerant. Nam Knutus dynasta et Arnbjorn Tunsbergum profugerant, alii Osloam, alii in Hofudeyam se contulerant, ubi in monasterio sedebant. Ex Varbelgis Kolbein[6], frater Alvi Thornbergensis, cecidit, paucique alii. Sic[7] Olavus Albus poeta:

Heros, prætendens tabulam bellonæ, a borea

[1]) illatis signis, *add. B, F.* [2]) processerunt; Birkibeini, cum — possent, *F*; *a priore signo:* per declivia in Birkibeinos ruebant, quare hi, *G, H.* [3]) consilia inter se contulerunt, et, *add. B, F, G.* [4]) nomine Eilivum Kyram, *add. iid.* [5]) palude, ubi dynastæ milites antea constiterant, *B, F.* [6]) Kabjorn, *B*; Kolbjorn, *F.* [7]) de his rebus, *add. B, F.*

profectus, grave bellum Uplandis intulit;
splendida signa Lakæ dissecta sunt,
miles jacuit acutis ensibus confossus.
Acer in congressu rex teneris perticarum
accipitribus a meridie in Thrandheimum vectus
est;
prudens regni protector naves bellicas
incendit, hominibus vitæ gratiam fecit[1].

Sic Sturla:

Vir præpotens
totius regni
civibus auctor
turbarum extitit,
cum princeps
Lakæ ad orientem
armorum cantum
concelebraverat.
Duxque navium
annonam lupis
facilem reddidit
aquilisque,
hiemem deligens
armorum strepitui
per infestatum
regis regnum[2].

---

[1]) Constructio: *Hilmir hildar borðs a) fór norðan á Upplönd með stóran herskap: ljós merki skárust b) á Láku, ferð lá vegin skörpum sverðum þingfrækn jöfurr reið þunnum c) stinga völum d) sunnan til þrándheims; hyggju gegn hilmir grundar brendi herskip e), en gaf þegnum líf.*

a) i. e. Skulius dux. *b)* desiderantur in hoc versu syllabæ harmonicæ; num legendum *scócust*, concussa sunt? *c) þinnig*, illuc, *B.* *d)* i. e. navibus. *e)* vide finem cap 222

[2]) Constructio: [*öllu fólki innanlands stóð úfriðr af afarmenni a), þá er ynglingr hafði um b) samit sverða seið austr á Láku. Ok viggjálfr c) lèt ár úlfa ok ara ferðar vaxanda, vetr valdan til vápnþrimu of vígskátt vísa ríki.*

Dux hominibus vitam concessit.

220. Dux Skulius vitam Lodini Gunnii filio dedit, eisque, qui cum eo erant. Post hæc Osloam profectus, regem se creari fecit; hominibus in monasterio[1] considentibus, Paulo Gasæ, Gjardari Styris filio, pluribusque centurionibus vitam concessit, multis Birkibeinorum ejus ministeriis se addicentibus; ipse aliquantum temporis Osloæ commoratus est.

Rex Hakon in Thrandheimo agens.

221. Rex Hakon in Thrandheimo, ut ante scriptum, se continebat. Regii ea consvetudine utebantur, ut Elgisetrum ad dominam Ragnildam[2] ejusque[3] ministros[4] itarent. Quo die quodam venientes, animadverterunt omnes[5] se irridentes, quasi cavillando aliquid significare, nihil aperte dicere vellent[6]. Eodem die speculatorum aliquis ad regem venit, [prælium Lakense nuntians, multosque viros excellentes ex ejus militibus cecidisse[7]; quo nuntio rex graviter commotus est. Ducis asseclæ[8] eo magis ludibria jactare, dictitantes[9], omnes fere aulicos Hakonis regis in

a) a [*omitt. F.* b) *of,* id., *H.* c) *vigi álfr, G; viga álfr,* numen cædium, *F; vigálfr,* id., B.

1) Hofudeyæ, *add. B, F.* 2) et filiam, *add. F.* 3) ducisque, *F.* 4) quotidie animi causa, *add. B, F, G, H.* 5) præsentes, *add. H.* 6) Indicant regi, haud dubie aliquid novi ad Varbelgos allatum esse, quo in sinu gauderent, *add. F.* 7) Rege, quid novi afferret, interrogante, ille tacitus stetit. Rex eum eloqui jussit rem, ut accidisset, utque Deo administrante evenisset: te enim non narrante, ex aliis audiemus. Ille: itaque rem paucis expediam; Knutus dynasta præfectique tui et dux in Vika, prædio Raumariki Laka dicto, congressi, prælium commiserunt, tuique priori die superiores discesserunt, postridie vero fugerunt, multis eo loco prostratis viris excellentibus. Tum regi singula, ut gesta erant, narravit, ipse enim prælio interfuerat, *B, F, G.* 8) amici, *B, F, H.* 9) in Birkibeinos, quotiescunque auderent; eoque processit res, ut, qui ab oriente venerunt ad amicos ducis, dicerent, *B, F, H.*

Vika occubuisse, incertumque esse, an dynasta se tueri posset. Omnes regii eo nuntio magnopere perturbabantur. Tum Olavus hos versus composuit:

Fortes ad prælia milites! ab oriente
calamitatem Birkibeinorum audivimus.
Rem inclinatam rex, adjuvante
fortuna, celeriter restituet.
Scio quidem, sinistra Knutum fortuna
usum esse; sed nunc hi, nunc illi
æstimatores Finnicorum armorum
strepitûs stratagematibus triumphabunt[1].

Oratio regis Hakonis.

222. Post hæc rex Hakon præfectis nuntium misit, ut profectionem summa celeritate apparent. [Archiepiscopus regi pollicitus est, se trajecto monte meridiem versus equitaturum, pacemque eum inter ducemque, si vellet, componere tentaturum[2]. Cui rex: te Deus tuam, do-

[1]) Constructio: *böðhraustir! höfum fregit austan tjón Birkibeina; bragningr mun brátt rètta þann bug, ef a)* [*vel hagnar b*). *Ek veit, at Knúti hefir vegnat vart; ymsir virðendr Finna c) vápnglyms munu verða brögðum d) fegnir.*

a) *er*, eum, quando, *B*. *b*) *ve magnar*, F, dubiæ interpretationis, aut, *ef ve magnar* (*konunginn*), si Deus (regem) adjuverit, quanquam non memini, Deum O. M. a christianis poetis *ve* appellari, aut, *ef* (*konungr*) *magnar ve*, si (rex) corroboraverit (i. e. potenter intulerit) signa, ut *magna ve* eodem sensu capiatur ac *knýja ve*. *c*) sic corrigendum putavi; *fima*, A et cet.; *Finna vápn*, arma Finnorum, sunt arcus et sagittæ, hinc *Finna vápnglymr*, sonitus telorum, pugna, cujus *virðandi*, præliator, aut vir in universum. *d*) *bragning*, F; *brögnum*, G, utrumque h. l. minus commode.

[2]) Posthæc aliquo die Sigurdus archiepiscopus, comitatus Lambio, priore monasterii Helgisetrensis, regem in æde Nicolai (Michaelis, *H*) convenit. Hic archiepiscopus regi: audivimus, te, multis tuorum in prælio adversus Skulium ducem in Vika facto amissis, magnum multiplexque damnum accepisse; nec sine ratione

mine[1], benevolentiam remuneret, intelligi enim potest te optimum rei exitum cupere. Quamvis vero amissis nostris cladem acceperimus, cujus tamen fama, supra quam verum est, exaggerata esse potest, sed quamvis ita se res habeat, declaramus tamen, freti benignitate Dei et sancti Olavi regis, nostrum ipsorum comitatum esse nobis firmissimum præsidium; ideoque non placet, ullam cum duce fieri compositionem, priusquam negotii inter nos exitum amplius, quam adhuc factum est, tentaverimus[2]; et sane nos, socer generque, inter nos aspiciemus, et experiemus, utrum sic meliori fortuna utamur, an aliis pro nobis rem gerentibus[3]. Post hæc Varbelgi quotidie ad regem venerunt, Jon Sudurheimensis, cognatus ejus, Thorfinnus Gyrviensis, pacisque veniam ab eo acceperunt. Tum naves, quæ ducis erant, perquisivit, earumque quæ [ei placuerunt[4] sumsit; majores partim incensæ, partim concisæ.

Hakoni juveni regium nomen datum.

223. Rex Hakon, ut omnino paratus erat,

dicentur inimici multum proficere, si qua cœperunt aliquamdiu pergent. Quare imperii totiusque populi necessitatem postulare arbitramur, ut ad pacem inter te et ducem faciendam descendatur. Et nos libenter volumus hujus itineris laborem suscipere, trajecto monte in meridiana proficiscendi, si tibi gratum erit. Nam fieri potest, ut æquis conditionibus eo difficilior locus sit, quo dux meliore fortuna usus fuerit, *cet.*

[1]) quam hac re ostendis, *add. F.* [2]) nondum enim ipsi sumus congressi, neque sub signis nostris pugnavimus. Sin vero dabit fortuna, ut congrediamur, Deusque et sanctus Olavus rex mihi adversam in prælio fortunam destinaverint, pacis inter nos facultas non deerit; rebus vero sic comparatis, congressu non tentato, ad pactionem descendere nullo modo placet, *add. cet.* [3]) His dictis rex et archiepiscopus digressi sunt, *add. F, G.* [4]) usui ejus maxime viderentur idoneæ, *F, G.*

comitia Eyrensia[1] classico indici jussit, elatumque scrinium sancti Olavi regis, et crux e ligno domini facta. Hæc die dominica, dimidio mense ante festum paschatos, acta. Tum Hakoni juveni regium nomen datum per Einarem Smjorbakum, postea archiepiscopum, archiepiscopo[2] optimisque conventus Thrandheimici civibus præsentibus. Rex juvenis jusjurandum ad scrinium sancti Olavi regis rite dixit; dein omnes præfecti præsidesque aulicorum et duodecim[3] coloni e quaque provincia in verba ejus jurarunt. Quibus actis rex Hakon senior verba fecit, dicens, colonos majoribus copiis, quam opinatus fuisset, sibi restitisse, quod erga regem fieri minime oporteat; neque vero se hoc ipsorum culpæ maxime tribuere, et vero sibi simile videri, alterutris, sibi aut colonis, displiciturum. Eodem die rex archiepiscopum, die lunæ archiepiscopus regem ad cœnam invitavit, alterque alteri eximia munera dedit.

Consilium regis Hakonis.

224. Die Martis rex classem ad Holmum constituit, deinde facilibus ventis usus, die Martis proximo post dominicam palmarum ad Hegranesum delatus[, militibus ad concionem convocatis[4], sic locutus est: audivimus aliquantisper fremitum hominum, errores hac hieme a nobis susceptos pertæsorum, et timor aliquantus milites incessit, ex quo nuntius de rebus in Vika

---

[1]) quo antea convocati incolæ erant, *add. F, H.* [2]) Sigurdo, *add. F.* [3]) *sive* septem; octo, *B, F, G.* [4]) ante lucem, ubi donec illuxisset dormivit; mox cum cetera classis a borea advenisset, omnibus classiariis (ad egrediendum, *G*) tuba evocatis, concionem habuit. Animi militum, in primis classiariorum, irritati erant, ex quo ad Lakam pugnatum fuerat, ut multi, longius meridiem versus proficisci timentes, veniam domum redeundi peterent. Tum rex ad exercitum concionatus, *B, F.*

gestis allatus est. Verum enimvero multi majores labores et errores pro rege suo susceperunt, in primis cum ne unus quidem nostrorum militum vel leve vulnus acceperit, vosque nulla tela in vos conjecta adspexeritis. Hæc, quæ hucusque inter nos gesta sunt, parvi laboris antiquitus æstimata fuissent, neque Birkibeini veterani regem suum, non majori instante periculo, deseruissent. Quare oro, ut bono animo sitis, nev me rebus ita comparatis deseratis, quo parvum exseruisse specimen virtutis existimabimini; [nam non dimidium hinc mensem exiturum arbitror, cum aliquid levamenti nobis accedet[1]. Aliquis colonus[2] surgens regi respondit: tribus interfui præliis cum rege Sverrere, avo tuo paterno, qui si verba sic fecisset, parvi periculi res visa foret eum sequi; isque a quoque homine scelestus infamisque audiat, qui regem suum, quamvis majoribus quam nunc periculis constitutus, deseruerit. Dein rex suos iter quam celerrime parare jussit. Cum Bergas venissent, rex naves ad oppidum appulit, solennique pompa exceptus est, omnibus adventu ejus lætantibus.

Regium nomen Hakonis renovatum.

225. Tum rex literas a Bjorne abbate allatas examinari jussit; ex his quædam ad pontificem Romanum et imperatorem, multosque exterarum terrarum principes a duce scriptæ, quos suam causam maxime adjuturos sperarat; quæ res eo processit (audaciæ), ut vix crediturus quisquam fuisset, talem tantumque virum tam multa, veraque et falsa, dixisse; quædam tales erant, ut abbas capite plecti meruisset; verum

[1]) hoc vero vobis dicam (amici! *add. H*), quod eventu probatum iri arbitror, antequam mensis hinc exeat, tum quosdam (tam intra regnum, quam, *add. B*) intra aulam liberiori, quam nunc, spatio usuros, *B*, *F*, *G*. [2]) magno natu, *add. F*, *G*.

tamen rex, acceptis literis[1], ei veniam dedit, abbasque eum orientem versus proficiscentem comitatus est. Præfecti[2] regem hortati sunt, ut Bergis per festum paschatis[3] se contineret, militibus, qui ibi apud eum essent, veniam domum redeundi daret, copias vero et commeatus in usum belli toti Gulensi conventui imperaret, tantaque ibi subsidia compararet, ut ducem metuere opus non esset. Ad quæ rex: [milites, qui nunc apud me sunt, haud dimittendos censeo[4], nescimus enim, an postea a civibus conventus Gulensis majores, quam nunc habemus, copias adepturi simus[5]. Quod auxilium nobis tum magno constare videbitur, si Vikenses, qui nostro honori serviunt, et semetipsos periculis pro nobis objicere volunt, si celeriter ad eos veniemus, amiserimus. Quam ob rem, cum ibi eo minores opes nacturi simus, quo serius adveniamus, cum copiis quas nancisci poterimus quam celerrime eo proficiscemur; atque equidem orientem versus proficiscar, quamvis non amplius quam tres habeam naves, quinimo vel una nave vecti iter persequemur; his autem, qui comitari me nolunt, faxit Deus ut ita possimus rependere, ut persentiscant. Idem significavit, placere sibi, regium nomen regis juvenis renovari; quod omnium consensu comprobatum est. Itaque comitiis in cœmeterio ædis Christi die viridium classico convocatis, Hakoni juniori regium nomen denuo datum; is tum more solito jusjurandum dixit, et

---

[1]) omnibusque mandatis ejus cognitis, *add. F.* [2]) et consiliarii commorantem Bergis, *add. F.* [3]) et in primam usque partem veris, *add. B, F, G;* ne sibi suisve tantopere incommodaret, *add. G.* [4]) ea mihi ratio minime placet; nam, si hoc vere hic desidemus, complures eorum, qui hic nunc adsunt, brevi tempore dilabentur, *F.* [5]) nam, qui istic sunt, Vikenses, hoc magis gaudebunt, quo celerius ad eos veniemus, *add. H.*

post eum (eo præeunte) præfecti et coloni ex toto conventu Gulensi, ex Orcadibus, Hjaltlandia [et Islandia. Quibus actis, rex Hakon palam præcepit, ut, die mortis Christi naves solverent, proditorum numero habiturum denuntians, qui tum remansissent[1]. Die Veneris in Floruvogis naves constituit, [die Saturni meridiem versus[2] in fretum Græningense navigavit, non amplius decem naves habens[. Festo paschatis sacra decenter celebrari fecit[3]. Vento a plaga meridiana vehementer spirante, vulgo dictitabant, ventum secundum non adspiraturum, quod rex tam festa die in emporio se continere noluisset. [Rex suos bono esse animo jussit, fortunam enim cœptis adspiraturam[4].

Obitus Arnbjornis Jonis filii.

226. Hoc de Skulio duce narrandum, quod Osloæ se continebat[5], et copias contrahebat. Dein Osloa profectus, orientem versus ad Valdisholmum ante dominicam palmarum se contulit[6], his præfectis comitatus, Viljalmo Torgensi, Thorere Mjobeine. Quo cognito Arnbjorn[7], sinu Foldensi trajecto, Varbelgis, qui in navibus erant, occurrit, hos eo loco in terram fugere coegit, aliquot hostium interfecit, navibus potitus est.

[1]) *omitt. B, G.* [2]) ibique pernoctavit; postero mane in oppidum profectus, cum sacris interfuisset, naves repetiit, et extemplo, *B, F, G.* [3]) ibique prima paschatis feria mansit; hic duo tentoria erigenda curavit, sacraque quam decentissime celebrari fecit; ibi conciones sacræ habitæ, longæque orationes de peccatorum confessione et (bene vivendi) necessitate, *B, F, G, H.* [4]) Rex aliqua tristitia affectus, quod de consilio ejus tam sinistre judicaretur, sacris peractis, aliquot homines advocavit, comemque se præbuit, hortatus, animo bono essent, Deum enim aliqua ratione iter eorum secundaturum, *B, F, G, H.* [5]) ut ante scriptum est, *add. F.* [6]) aliquot navibus orientem versus Borgam missis, *add. F, B, G.* [7]) Jonis filius, deductis navibus, *add. F, B, G.*

Qui cum graviori labori se exposuisset, ætateque esset admodum provecta[1], morbum nactus, cum brevi æger jacuisset, mortem obiit. In quo viro maximum factum esse damnum, vulgo existimatum est; nemo enim eo tempore præfectorum Norvegorum omnium consensu ei par judicatus est. Dux Skulius ad Valdisholmum delatus, cum ibi brevi temporis spatio adsedisset, insulam in deditionem accepit, magnaque præda potitus est. Quibus confectis rebus ante festum paschatis Osloam rediit, jam invictarum virium esse creditus. Petrus, filius ducis, tempore festi paschatis Heidmarkam magno copiarum numero tenebat.

Regis Hakonis in Vikam navigatio.

227. Rex Hakon tempore festi paschatis, ut ante scriptum est, in freto Græningensi stetit. [Hic nuntium accepit de obitu[2] Arnbjornis Jonis filii, hocque insuper, Vikenses ancipitis animi esse[3], nisi rex celeriter ad eos venisset. Secunda feria paschatis rex primo mane uno puero comitatus in terram egressus, vento euronoto leniter spirante, [celeriter descendit, milites somno excitavit[4], sinumque Hardsjoum remis transmittere jussit; illi imperata fecerunt[5]. Paulo

[1]) aliis quoque causis accedentibus, *add. B, F.* [2]) prima paschatis feria ab oriente advenerunt celoce vecti, præfecto Gudleiko Eidungo (Edlungo, *G, H*), qui nuntiarunt obitum, *F, G.* [3]) fore, *F, G.* [4]) *a* [*:* etsi excitandis militibus, quorum multi in oppidum reverti cupiebant, ancipitem eventum, si forte increbuisset ventus, præmetueret, tamen nihilo minus suos induere vestes jussit, *B, F.* [5]) Tum rex conscensa celoce cum aliquot viris, meridiem versus ad Sandkodram (Sandrodram, *G*; Sandtodram, *F*; Sandkantram, *H*) trajecit, ibique missæ interfuit; quæ dum cantabatur, emisit foras, qui cursum navium observarent; ingressi renuntiant, vela in navibus vento dari cœpta; peractaque missa, omnes naves vela expanderant, vento secundo orto; itaque rex, summa celeritate cur-

post[1] secundo et facili vento exorto, vesperascente cœlo Hvitingseyas attigerunt. Sic Sturla:

Strenui satellites
regii manus suas
admovere funibus,
malis eminentibus;
et vero carchesiûm
picturata stragula,
vento inflata, principis
serviebant gloriæ[2].
   Compluresque perticæ
auro multo fulgidæ,
excellentes navium
devehentium viros,
ortum versus incitæ
prælegebant litora;
haud inanem regia
classis (tum) speciem dedit[3].

Postero mane[4] rex Jadarem prænavigavit; cumque syrtes præterveherentur, orta vehementi tempestate, [5]gubernacula sua amiserunt. Cum Hvinium[6] prænavigabant, gubernaculum regiæ navis dissiliit, abrupta tota pæne palmula; [quo facto

---

snm contendens, naves, etsi omnes substrictis velis cucurrissent, non prius assecutus est, quam in freto Saltbjarnensi (Salbjarnensi, *rect.*), *add. cet.*

[1]) Eo die, *F.*

[2]) Construetio: *rösk hilmis ferð a) lagði hendr at reipum, en laukar risu; en húnskriptr, blásnar hreggi, greiddu til frama fylkis.*

a) *hirð*, auliei, *B*, *F*, *G.*

[3]) Constructio: *Ok úfárr gulli glæstr a) suekkju brandr knátti svifa und göfugmenni austr með landi; [floti allvalds var-at b) auðligr c).*

a) *glæst* (apocop.), id., *F*, *G.* *b*) *ei*, eod. sensu, *B*. *c*) ab [omitt. *G.*

[4]) cum saeris interfuisset, eo die, *add. B, F.* [5]) quidam, *add. B, F.* [6]) Hvidnium, *H.*

navis pontibus ac remis gubernata fretum Skjarrandium pernavigavit. Inde rex in Vikam navigavit et in portum Slattonesum dictum appulit[1]; hic audit, universos Varbelgos Osloæ esse, Tunsbergum proficisci paratos, ut Birkibeinos invaderent. Knutus vero dynasta et præfecti regii ad Jarlseyam stabant cum multis Birkibeinis, septemtrionem versus ad regem proficisci parati, pars in arce remanebant. Itaque rex[2] Tunsbergum misit, qui Birkibeinis regis in Vikam adventum secreto nuntiarent. In nave regia cum præcedenti vespera vehementer potatum fuisset, sequenti mane diu[3] dormitum est. Rex prima luce surrexit, suosque induere vestes jussit. Qui cum cunctantius se moverent, rex: at vero arbitror, Varbelgos se celerius hodie vestibus induere, ut socios nostros Tunsbergi opprimant[4]: Birkibeini raptim exsiluerunt[5], e portu strenue remigarunt, [et in Malstrandas navigarunt[6]; hic

---

1) *ab* [: tum sumti pontes et remi, hisque gubernata navis meridiem versus prælata promontorium est: quod cum prætervecti essent, retractis pontibus, parte reliqua gubernaculi et remis navem gubernarunt per fretum Skerdandium (Skerandium); cumque in portum delati essent, reliqua gubernaculi para in navem retracta est, atque omnibus insigne miraculum visum, potuisse tantam navem tantulo gubernari. Die Mercurii ad insulas Esjunesenses navigarunt, eoque primo mane appulerunt; eodemque maxima classis pars convenit. Inde in Vikam navigarunt, cum vero Grenmarem ingressi essent a meridiana parte insulæ Oræ (Auræ), adversum eis coortus est euronotus cum magna venti violentia et marina caligine; hinc ceteræ omnes naves, quæ obliquum ventum tolerare potuerunt, in portum refugerunt, rex vero litoribus advectus portum tenuit Slattonesum dictum, a cursu publico longe remotum; hic pernoctavit, *F, G, H.* 2) Iodridium Bersii filium cum aliquot viris, *add. F, G, H.* 3) alto somno, *F.* 4) quam vos vestras induitis ad istos invadendos, *add. F, G.* 5) id nunquam fore confirmantes, *add. F, B.* 6) insulamque Oram (Auram) prætervecti, orto secundo vento vela dederunt. Rex Hakon, omnes na-

rex suo suorumque nomine votum vovit, omnes Birkibeinos priori vigilia festi Olavi nihil præter aquam gustaturos, posteriori aut jejunaturos aut remissionem jejunii quindecim denariis redemturos. Quæ vota anno proxime insequenti religiose, postea negligentius observata sunt.

Rex Hakon Osloam navigavit.

228. Inde rex in freta Grindholmensia navigavit; hic ei occurrens Munan episcopi filius[1] hortatus est, ut appulsa ad Jarlseyam classe Knutum dynastam et Birkibeinos conveniret. Rex respondit: quoniam Deus nobis nunc hunc secundum ventum concessit, speramus, eundem ventum victoriæ[2] adspiraturum; hoc itaque[3] utemur; qui voluerint, nos prænavigantes sequantur[4]. Sic Olavus Albus poeta:

Statim ut cognitus est prælii exitus, rex
fama celeber naves in cursum incitavit
ab septemtrione. Fluctus ante litora
Norvegica perticis altiores exsurgebant.
Venti tumentes incubuere aquis;
contrahi tamen rex vela vetuit. Fortis
princeps suos ventum dixit secundum
nactos in acri pugna victoriæ adspirantem[5].

---

ves prætervectas ratus, cœlo illucescente cum eas cursu exteriore ab occidente velis ferri conspexisset, ad Malundos (Mastrandas, *G*; Smalundos, *H*; Ivasunda, *B*) appulit, eoque loco reliquam classem subsequentem oppertus est, *F, B, G, H.*

1) Gunnbjorn colonus Jonis filius et Ivar Skedjohovensis, *add. B, F, G, cet.* 2) omniumque nostrum honori, *add. B, F, G.* 3) Dei benignitate freti, *add F, G.* 4) neque videre in promtu est, cui usui sit ventus his inopportunissimus, quibus talis ventus nulli usui sit, *add. F* (— cui usui sint, qui tali vento uti nolint, *B*)

5) Constructio: *næst þá er brodda a) hríð b) spurðist, rendi nafnkunnr jöfurr stafna skíðum c) norðan; bárur fyri Noregs síðu lèku bröndum hærri. þrútin veðr lágu á vatni, nè bað gramr svipta vinda ript d); snarr yngvi kvað sigrbyr fenginn e) sinni ferð at stinnum hjaldri.*

Dein introrsum per freta navigarunt, cumque secundum[1] Jarlseyam delati essent, rex signum tuba dari jussit. Quo audito Birkibeini, qui ad Jarlseyam stabant, raptim detentis tabernaculis, ad regem navigarunt[2], quo facto rex cum tota classe per sinum introrsum[3] navigavit. Sic Sturla:

Æquoris jumenta dein
principem vehentia
heroa, intrabant sinum
Osloensem in intimum;
bellicosas quo loco
copias prætenderant
Skuliani milites,
adpetentes gloriæ[4].

[Oborientibus tenebris, præter Nesoddum introrsum remigarunt[5]. Tum rex Hakon, habito cum suis[6] colloquio, rationem aggrediendi præscripsit, ut Gunnbjorn colonus, Petrus Pauli et[7] præfecti provinciarum a boreali parte Stadi sitarum, Ho-

---

a) *borða*, clypeorum, *H*, eod. sensu. b) *rýd*, *B*, prave. c) xylosoleæ proræ et puppis, i. e. naves. d) *drift*, album velamen, *F*; *skript*, picta stragula, *B*; *hript*, id. q. *ript*, *H*; omnia eod. sensu. e) *slunginn*, faventem, *B*.

1) e regione (Jarlseyæ), *B*. 2) quam celerrime; tum rex missa Tunsbergum celoce, qui arcem defenderent, quique se sequerentur, præcepit; in Bedjosunda (Vædosunda) delatus, eo applicata classe, dynastam suosque oppertus est, *add. B, F.* 3) recto cursu, *add. F.*

4) Constructio: *hafrökn skriðu und höfuðsmanni inn í botn a) Oslu fjarðar, þar er vegstór Skúla öld hafði [of skiput b) vigliði fyri.*

a) þotn, F; botni, B. b) um skipast, F, G; non abludente sensu.

5) procedente die ventus desæviit, cumque ad Sigvaldasteinos venerunt, aer tranquillus erat; tum oboriri tenebræ cœperunt; inde ad Nesoddum remigarunt (ibique noctem transegerunt, *add. H*); tum alii dicebant (ducem ex oppido avectum, alii, *omitt. F*) Varbelgos certe in oppido versari, *B, F, G.* 6) navium præfectis et centurionibus. *B, F, G.* 7) aliquot, *add. cet.*

fudeyæ latus occidentale prætervecti, appulsis ad Gyljandum navibus, ad pontem Frysianum versus procederent, Varbelgisque eo forte pervenientibus occurrerent; Knutus dynasta et Vikenses[1] ad pontes appellerent, et Varbelgos lacesserent; ipse rex cum maxima parte copiarum ad [silvam Eikabergensem[2] a meridiano latere Thrælabergi escenderet, et oppidum a meridie aggrederetur; [omnes die illucescente naves ad oppidum uno tempore appellerent[3]. Aderat ibi hoc tempore rex Hakon junior, filius Hakonis regis; quem rex celoci ad cursum celerrimæ, dictæ Kuvinhettæ[4], imposuit, multis eximiis viris[5] duabusque celocibus præsidio apud eum relictis, monuit, ut [ad insulam starent, resque[6], quæ gererentur in oppido, specularentur: at si Deo moderante evenerit, inquit rex, ut

[1]) Simon Kyra et Eirikus Stilkus, *add. B, F, G.* [2]) fauces Eikabergenses, *H*; Eikaskorsbergum, *G*; Eikabergstodam, *B, F, H.* [3]) nullæ naves, prius quam illuxisset, ab Hofudeya remigarent, omnesque uno tempore, ubi regem Hakonem monticulo descendentem et in oppidum tendentem conspexissent, tum pro se quisque ordine præcepto remigaret, et primo quidem ad pontes appelleret. Rex ante eodem die speculatores in Hofudeyam miserat, qui certum nuntium de rebus Varbelgorum referrent Qui cum opinione tardiores viderentur, ipse conscensa scapha trajicere in Hofudeyam cogitavit. Ut vero in medium sinum ventum erat, tanta caligo marina oborta est, ut prospectus proram inter et puppim adimeretur, quam ob rem rex ad classem rediit. Rege vero in sinum tendente speculatores eo non invento præterierant Hinc milites valde fremere, dubii, quo loco se rex contineret. Mox mutato consilio aggrediendi, antea præscripto, hi, quibus ad Gyljandum escendendum fuerat, boream versus non remigarunt. Tum rex Hakon ad classem suam revectus est, *cet.* [4]) Skuvinhettæ, *B.* [5]) Viljalmo capellano suo, Ingimundo Kolbeinis, Andrea Kepto, Petro Musio, *add. B, F, H.* [6]) occidentale latus Hofudeyæ advecti, eo loco delitescerent, dispositisque in promontorio insulæ speculatoribus, res, *F, B.*

inclinatis rebus inferiores discedamus, ne hoc loco tempus teratis, sed [confestim Bergas revertamini[1], quamcunque Deus tum daturus fuerit consilii opportunitatem. Digrediens regem juvenem multis verbis, affectu plenis, prosecutus est. Dein rex[2] ad silvam Eikabergensem appulit [cum copiis, eoque loco egressi sunt[3]. Et antequam in conspectum oppidi venissent, more regi Sverreri[4] usitato apud milites [concionatus est[5].

Oratio regis Hakonis.

229. Plerosque homines audivisse, inquit, multisque notum esse puto, quæ inter me Skuliumque ducem negotia intercesserint. Quæ cum multa variique generis[6] fuerint, tamen hoc loco evenire credo, quod vulgo dicitur, non unum in culpa esse, duobus litigantibus. Nam præter ea, quæ antea inter nos intercesserant, induciis non renuntiatis regium sibi nomen imponi jussit, nullo superiorum temporum exemplo. Quo facto, hominibus septemtrionem meridiemque versus et in mediterranea dimissis, eos, qui in utriusque nostrum verba jurarant[7], ubicunque deprehenderentur, interfici jussit, eoque pacto homines innocentes, qui non minus ei quam mihi præstare[8] obsequium cupiebant[9], nefarie violavit, quos asyla templorum non magis quam bubilia protexerunt.

---

[1]) sinu eremigetis, neque studiis Vikensium confidatis, nec cursum inhibeatis, priusquam Bergas veneritis, *cet.* [2]) conscensis levibus navigiis, (insulas) a meridie circumvectus, *add. cet.* [3]) ut antea constitutum erat, Knuto dyoasta eosequente; rex Hakon cum suis hoc loco egressus est, *F.* [4]) ituro in prælium, *add. F.* [5]) hoc modo orationem orsus est, *F.* [6]) quædam (multa) bona, multa media, *add. F, G.* [7]) fidemque suam utrique tacto gladio obstrinxerant, *add. B, F, G.* [8]) fidele, *add. F.* [9]) nihil mali metuentes, *add. F.*

Super hæc omnia, tredecim[1] celoces meridiem versus contra me misit, ut me filiosve meos aut interficeret, aut sub tectis concremaret, si hoc facere Deus ei permisisset. Qui cum tantos successus habuerit, ut vix exemplum reperiatur, ullum hominem pari injuria æque multum profecisse, in primis post prælium, quod milites ejus cum nostris Lakæ fecerunt, quo prælio magnum detrimentum accepimus, multis prostratis eo loco viris eximiis, quod damnum cognatis amicisque sero reparabitur: eam igitur ob causam vos omnes[2] oro, ut vestram in me fidem et studium conservetis[3], Dei enim benignitate freti confidimus, negotia nostra jam aliquo modo decretum iri. Vestra agendi[4] ratione declaretis, quid vobis ulciscendum sit, aut [quantis affecti injuriis simus[5]. Etsi Skulius dux lectissimas secum copias habeat, tamen nos nostrique propter generis rerumque gestarum claritatem omnibus locis eorum principes esse debemus; quo majori dedecori nobis erit, si quid detrimenti ab inimicis nostris accipiemus. Deinde suos cohortatus est exemplo coloni cujusdam filiorum[6], quod rex Sverrer narrare solitus erat; qui cum a patre ad exercitum mitterentur, senex uni filiorum (inquit rex) digredienti: quid facies, inquit, in acie versans, si certo noveris, tibi moriendum esse? Cui filius: quid aliud, inquit, nisi ut quam fortissime rem geram, honestaque morte occumbam. Quid vero, inquit senex, si futurum esset, ut [prælio evaderes[7]? Ille: nonne tum[8] neces-

[1]) quatuordecim, *F, G*, ut cap. 206 fin. [2]) præsentes, *add. F, G.* [3]) Memores sitis cognatorum bonorumque amissorum, quæque damna vobis a Varbelgis illata sint, *add. B, F.* [4]) loquendique, *add. F.* [5]) quanta fiducia libertatem fortunasque nostras defendere debeamus, *F.* [6]) filii, *G, H.* [7]) te certo scires pr. evasurum, *F.* [8]) summa, *add. F.*

sitas postularet, ut operam quam fortissime navarem? Hinc intelligere possumus, inquit rex, has duas proponi conditiones, tertiam non dari. Dein præcepit, quo modo arma tractarent, si in prælium irent, utque symbolo Birkibeinis usitato uterentur: ite Christi, crucis, sancti Olavi regis milites.

Dux Skulius Osloæ oppressus.

230. Cum rex Hakon eo venit, unde prospectus in oppidum erat, diesque illucescere cœperat, animadverterunt, omnia[1] quieta et silentia esse[2]. Hic rex: vereor, ne Varbelgi, de adventu nostro certiores per speculatores facti, ex oppido aufugerint. Secundum hæc naves, quæ ad pontes appellerent, ab Hofudeya advolare. Quibus visis, oppidani ad campanam bellicam accurrerunt; cujus sonitu intelligebat rex Varbelgos in oppido esse. Mox in oppido ingentes concursus et strepitus[3] animadvertunt. Varbelgi[4] ad ædes regias, ubi dux dormiebat, cucurrerunt; qui, cum nuntiatum esset, hostes haud dubie adesse, extemplo vestes armaque induit, sursum per plateas ad cœmeterium ædis Halvardi contendit. Quo cum magna multitudo ad eum confluxisset, in Mortostokkos adscenderunt. Huc cum omnes convenissent copiæ, et disputaretur, quæ ista multitudo esset, plerique Knutum dynastam præfectosque esse arbitrabantur. Inter se conferentibus, quid capiendum consilii esset, dux aciem eo loco instruendam hostemque excipiendum censuit. Arnius Ruga[5], qui vexillum ducis gestabat, flagitium committere

[1]) ad clivum usque, *add. cet.* [2]) ut quid in oppido rei esset intelligerent, *add F* [3]) e longinquo, *add. F.* [4]) qui separatis locis dormiebant, audito campanæ sonitu alii alio profugerunt, plerique vero, *add. B, F, G, H.* [5]) Rova, *F*; Ruva, *G, H.*

dixit, si, quæ in oppido essent, vestes[1] equosque rapi a Knuto dynasta paterentur. Tunc dux, divisis copiis, Olavum Vigdeildensem cum aliquot centurionibus in plateam occidentalem misit, ipse[2] et maxima multitudinis pars ad cœmeterium ædis Halvardi versus descendit, homines[3] ad pontem Geitensem detrahendum, ne qui regii ea transire possent, misit.

Rex Hakon Osloam intravit.

231. Ut vero[4] Birkibeini copias ad Mortostokkos versantes conspexerunt, gradum corripuerunt. Thorstein Heimnesius[5] vexillum Hakonis regis gestabat, quod bono semper successu facere consueverat; hunc rex monuit, ne gradum nimis[6] accelleraret, non enim expedire his[7], qui pedibus minus valerent. Tum vero annus sic processerat, ut vigilia[8] festi paschatis incideret in primum æstatis diem, hæc autem acciderent die Saturni hebdomadis paschalis. Sed hoc tempore omne resolutum erat glebæ gelu, solumque, qua ingrediebantur Birkibeini, adeo permadebat, ut lutum genuum tenus aut ultra pertineret[9]. Cum devenerunt in clivum, regi nuntiatum est, pontem detractum esse. Thorstein hortatus est, ut iter sursum[10] converterent ad pontem, juxta[11] Ryginabergum situm. Quæ ratio cum regi minus probaretur, ad pontem Geitensem se converterunt. Hic Varbelgi occupati

---

1) arma, *F, H.* 2) signumque ipsius, *add. F.* 3) Halvardum Stodam (Studulem), cognatum Ormi episcopi, multosque cum eo homines, *B, F, G.* 4) rege in clivo supra oppidum versante, *add. F.* 5) vir prudens ac bene moratus, qui regi Hakoni diu ministraverat, *add. B, F.* 6) tam vehementer, *B, F.* 7) militum, *add, F.* 8) prima feria, *G, H.* 9) quibus ingressus ideo difficilis reddebatur, quod alter pes solo hæreret, antequam alter extrahi posset, *add. B, F.* 10) per campestrem planitiem, *add. B, F.* 1) exadversum, *F.*

erant in demendis, qui restabant[1], pontis [tabularum ordinibus[2], et quamvis decem homines locum[3] facile tueri potuissent, tamen extemplo, advenientibus Birkibeinis, aufugerunt, remanentibus adhuc duabus trabibus, quæ[4] transcendendæ erant. Rex quinquaginta[5] homines constituit, qui vexillum præcederent; post hos Thorstein vexillum portans transiit, qui ingredi aliter non potuit, nisi gressum fulciendo infixa alteri trabi hastæ cuspide; sic unus post alterum transcendebat[6]. [Thorstein hortatus est, ut ipsi Varbelgis prius obviam irent, quam qui in navi (navibus) erant[7]. Cumque rex [suos pontem tantum non transiisse[8] animadverteret, instructa acie per plateam juxta ædem Nicolai successerunt. Progredienti regi secundum ædes Guttormi Erlendi filii, hic occurrit cum calceis talaribus et amiculum indutus, et loquitur: te Deus custodiat, domine, jam te magno objicis periculo, qui tam paucis comitatus iter facias, nam Varbelgi hic supra vos instructa acie constiterunt, [eoque loco[9] vos excipere cogitant; faxit Deus, ut ego nunc æque viribus valeam, atque cum te in Vermalandum proficiscentem comitatus sum[10].

[1]) oppido proximi erant, *B*, *G*. [2]) tignis lateralibus, *H* [3]) ne quis transire quiret, *add. F.* [4]) si quo modo fieri posset, *add. F.* [5]) quadraginta, *F*; undecim, *B*. [6]) rex, cum trabem transiret, non plus militum habuit, quam nonaginta, *add. H.* [7]) *ab* [: et cum transierant, inter plateam Eyrensem et ædem Nicolai constiterunt; cumque rex transcendisset, non plures transierant, quam ut spatium ad plateam versum compleretur. Tum Thorstein hortatus est, ut summa celeritate escenderent, ut etc. Rex, periculosum esse judicans, sub aciem hostium tanta paucitate succedere, exspectandum, donec copiæ pontem transcendissent, censuit; et parva interjecta mora milites advenerunt, *B*, *F*, *G*. [8]) numerum suorum augeri, *F*. [9]) et etiam nunc, *F*. [10]) Cui rex: Deus te pro tua benevolentia remuneret, tu vero in ædes redi, nam brevi ad nos copiæ undique confluent, *add. cet.*

[1]Tum Sigurdus, regis Hakonis filius, qui itinere noctu interdiuque non intermisso ab septemtrione contenderat, illis occurrit; cujus adventus gratissimus regi fuit[2]. Dein per plateam sursum[3] ire perrexerunt.

Initium pugnæ.

232. Supra ad ædes Asbjornis Kopi[4] Arnius Ruga[5], vexillum ducis portans, cum [magno militum numero[6] constiterat. Rex Hakon, antequam acies concurrerent, tubicinem inflare tubam jussit. Qui cum bis, et quidem remissius, inflavisset, rex: at tu, canis feminæ catule, [7]gnavius inflasti tubam in pontibus Bergensibus, quando argentum ab hominibus auferebas. Quibus dictis ille multo alacrius tubam inflavit[8]. Post hæc rex suos sub vexillo progredi jussit, ipseque [unus in primis[9] erat, teste Sturla:

Summæ munificentiæ
princeps, terrifica caput
tectus casside, se tulit
signis anteriorem;
deaurataque principis
in sublime micantia
vexilla eximiis super
viris eminuerunt[10].

---

[1]) cumque brevi spatio processissent, *add. cet.* [2]) isque regem cum cohorte sua comitatus est, *add. B, F.* [3]) prorsum, *F, G.* [4]) Koporis, *B*; Koparis, *G, H.* [5]) Rova, *F*; Ruva, *G.* [6]) maxima parte lectissimorum Varbelgorum, acie instructa, *F, G.* [7]) hac hieme, *add. G.* [8]) adeo ut unusquisque murus lapideus (rupes, *H*) resonaret, *add. G.* [9]) omnium primus, *B*; tantum non primus, *G.*

[10]) Constructio: *megin-mildr allvaldr gekk und a) ygis b) hjálmi fyrri c) merkjum; en gullsett ve vísa knáttu d) gnæfa of vala fólki.*

a) sic G; undir, id., *A, F. b) ægis,* id., *F. c) fyri,* ante, *F. d) sic G; knættu, A.*

Eodem vero loco
satellitium regium,
pugnandi avidum,
progrediebatur,
ab utroque latere
prælii moderatoris,
euntis in impetum
sævorum armorum[1].

Pars Varbelgorum in cœmeterio erant, a quibus ingens lapidum conjectorum nimbus ingruebat, utrisque tela mittentibus. Sic Olavus Albus poeta:

Strenui milites, ferreas gestantes galeas,
liberalem secuti regem, lunam bellonæ
colore radiantem Osloæ rubefecerunt. Fortes
principes vehementem pugnam commiserunt.
Cruenti clypei ensibus dissecti sunt;
pallidi homines in campo ceciderunt;
regem, nullis defensum armis, fortuna texit;
inauratæ capulorum lingvæ cecinerunt[2].

Prolato vexillo regio, manus Varbelgorum, quæ extra cœmeterium stabat, vertere terga cœpit, [Varbelgis, qui in cœmeterio erant, densissimum saxorum nimbum ingerentibus[3]. Arnius Ruva,

---

[1]) Constructio: *en hildarfús ræsis hirð knátti a) þar fylgja fram rómu stýri á báðar hliðar í gagnför greypra b) vápna.*

a) náðu, F. b) greyptra, B, vix recte.

[2]) Constructio: *hvatt járnfaldit lið rauð hallgislat a) hildartúngl b) með mildum skata í Oslu; raustir jöfrar þrungðu c) saman æstum hjaldri. Blóðgar randir skífðust bröndum; bleikir menn féllu á d) velli; hlífarlaus gramr var e) með gæfu; gylltar hjalta tungur sungu.*

a) hallgeislat, id., *B,* ab *hallr,* lapis, h. l., ut *steinn,* de colore. *b)* i. e. clypeum. *c) þrungu,* id., *B, F. d) at,* in (campum), *B, F. e) vo,* pugnabat, *B, F.*

[3]) ut vero Varbelgi, qui in cœmeterio stabant, quique in locis superioribus constiterant, suos terga vertere conspexerunt, vehementissimum lapidum nimbum effuderunt, ut saxa quam densissime

vexillum ducis gestans, intra cœmeterium se recepit, quod compluribus Birkibeinorum oppugnare aggredientibus, quidam[1] in cœmeterium irruperunt. Sed cum magna intus copia erutorum lapidum esset, Varbelgi tantam telorum saxorumque vim in Birkibeinos ingesserunt, ut repulsi refugerent. Tum acris pugna extitit, Birkibeinis acriter oppugnantibus, Varbelgis vero se strenue et fortiter defendentibus. Sic Sturla:

Aulici satellites
flammas bellici dei
accendebant adversus
annulorum missorem,
ut plantare per solum
congerronis gigantei
cuspidum periculi
stricturæ volarent[2].

Alvus Leivastadensis, cum se inclusum iri intelligeret, audacter[3] pugnans, per portam cœmeterii eruptione facta, ad amnem pervenit, multis eum cursu insequentibus, et in medio amni cecidit; et est plurimorum hominum sermo, eum, antequam occubuerit, fortissimæ defensionis specimen edidisse. Tum rex Hakon ad insequendos Varbelgos, qui ab orientali[4] cœmeterii latere in superiora profugerunt, conversus est; eo [loco

---

volarent. Arnios Rova (Ruva), Viljalmus Torgensis, vir præfecti dignitate, maximaque Varbelgorum pars, intro se receperunt, pars ab orientali cæmeterii latere in soperiora tetenderunt, *B*, *F*.

[1]) ot Ivar Holmus (*omitt. B*), Ivar Dyrius, Thorlogus Bosius, *add. B*, *F*.

[2]) Constructio: *ok inndrótt kyndi elda böðvar týs a) við bauga renni b), svá at eisur eggfars c) stukku of ilflet aurnis spjalla d).*

a) i. e. gladios conjecerunt. *b*) i. e. Skulium ducem. *c*) *eikfárs*, *H*; *eggfár*, prælium. *d*) i. e. per clypeos.

[3]) egregie, *B*. [4]) occidentali, *F*.

nonnulli Varbelgorum[1], unus Birkibeinorum cecidit; multi[2] vulnerati.

Varbelgi in templo.

233. Birkibeini, qui ex navibus egrediebantur, Olavo Vigdeildensi in platea, ejus custodiæ commissa, occurrerunt, acreque prælium commiserunt. Cum vero complures Varbelgorum, in arce episcopi se continentes, ingentes lapides in Birkibeinos dejicerent, plena periculi res erat, eos oppugnare, qui in platea erant, et ab iis sibi cavere, qui arcem tenebant[3]. Is tamen rei exitus fuit, ut Varbelgi terga verterent et in cœmeterium templi se conjicerent, Olavus Vigdeildensis cum sua manu a boreali templorum latere in superiora profugeret, Arnfinnus Thjovi filius[4] septemtrionem versus ad cœnobium monialium concederet, ibique in templum confugeret. Rex Hakon cum suo vexillo ab orientali parte templorum[5] ascendit; eo loco [multi erant Varbelgi[6], partim in cœmeterio[7], partim in fabrica quadam ferraria, [unde lapides[8] in Birkibeinos[9] ingerebant. Hoc loco cecidit Bjarnius Hestus ex[10] Birkibeinis[11]; multi vulnerati[12]. Sic Sturla:

Inter ludum gladii
Odinis in expansum
terribilia cadaverum
fulmina volarunt.
Numen vero clypei

---

[1]) momento ex Varbelgis cecidit Eistein Sundrammus, et plures, *B, F, G, H.* [2]) aliquot, *F.* [3]) ideoqne eo loco pugna commissa est, *add. F, H.* [4]) aulæ magister ducis, *add. cet.* [5]) cœmeterii, *F.* [6]) aderat vir quidam nomine Grimus Sandensis, eum magno homioom numero, *B, F.* [7]) ædibus, *G.* [8]) quo saxa et tela comportarant, et utrumque, *B, F.* [9]) quam vehementissime, *add. B, F.* [10]) veteranis, *add. H.* [11]) eminns gæso genn ictus; is filins erat fratris Karli Svangii et Sigordi Skjalgii, optimæque spei juvenis, *add. B, F, G.* [12]) plerique aliquo damno affecti, *add. F.*

prorumpens nubes prælii
fulminibus sangvinis
diverberavit[1].

Oppugnatio regis.

234. Rex Hakon in superiorem partem loci depressi, qui secundum ædes canonicorum est, delatus, in ducem incidit, equo insidentem, magnoque militum numero stipatum. Quos inter se occurrentes cunctatio aliqua incessit, ut neutri alteros adorirentur[2]. Porta cœmeterii, Varbelgis plena, a tergo Birkibeinorum erat, [neque amplius[3] viginti milites sub vexillo regis Hakonis fuerunt; adeo ancipiti periculo rex premebatur, duce cum multis hominibus supra imminente, porta cœmeterii a tergo Varbelgis plena. Hic favore divino accidit, ut neutri impetum in eum facerent, nam si alterutri fecissent, brevi [de eo actum fuisset[4]. Rex suos portæ cœmeterii opposuit, ipse cum vexillo adversus ducem se convertit. Tum ingens telorum vis ad portam cœmeterii effusa[5]. Sic Olavus Albus poeta:

Acuta tela secabant, ut si rapiditas fluminis
fragmina glacialia volveret. Imperator
militum, ante signa constitutus, indusia Hildæ,
malleo contexta, calido sangvine rubefecit.
Leucophæa iris Odiniana stetit

[1]) Constructio: *geigurlig hræleiptr a) flugu á Gauts himin b) at hjarar leiki; en randálfr fór rífandi c) böðvar ský d) blóðs eldingum e).*

a) enses. *b) hifin*, id., *G*; i. e. clypeos. *c)* sic *G, H, B*; *riðandi, A.* *d)* i. e. scuta, *e)* i. e. gladiis.

[2]) Birkibeini in loco quodam uliginoso, et aliquanto inferiori, stabant, Varbelgi in ponte et area, loco aliquanto sicciori, *add. cet.* [3]) circiter, *F*; paululum supra, *G*; neque supra, *H.* [4]) cum omnibus, qui circa eum erant, militibus superatus fuisset, *F, B.* [5]) tam saxorum, quam missilium, a Birkibeinis in cœmeterium templi conjectorum, a Varbelgis retorsorum, *add. B.*

in sævo Gondulæ cœlo virorum.
Dura gravium vulnerum periculosa
fulmina aciem præliantium perculere[1].

Varbelgi, cum vim ingestorum telorum ferre non possent, fores templi raptim occluserunt.

Victoria regis Hakonis, fuga ducis.

235. Dux Skulius, equo insidens, cum has res animadvertisset, suos procurrere jussit. Adstabat ei vir quidam, cui nomen Sonio[2] Siko; is duci: [3]adest vexillum regis Hakonis, cui ipse rex adhæret. Dux, nihilo secius procurrendum esse pronuntians, equum calcaribus concitavit; sed Sonius, prehensis habenis, equum retinuit. Tum Birkibeini in ducem aliquot hastas, prope eum advolantes[4], conjecerunt. Sic Sturla:

Rector virorum
incontinens erat
recti manubrii
sangvinis serpentis,
sed tenax
viridis amasiæ
hastati dei,
in gladii ludo[5].

---

[1]) Constructio: *snörp járn bitu, sem óða-straumr a) yrpi ís-möl. Herstefnir rauð hildar serki b), ofna hamri, með heitu blóði, framar merkjum. Grárr c) regnboði Hnikars d) stóð á grimmum Göndlar himni e) þegna. Harðar fár-eldingar megin-sára f) lustu fylking firða g).*

a) sic *B, F, G, H*; *straums, A.* *b*) i. e. loricas. *c*) sic cet.; *grátt, A.* *d*) i. e. gladius. *e*) i. e. clypeo. *f*) i. e. duri enses. *g*) add. *cet.*; omitt. *A.*

[2]) Joni, *H.* [3]) domine, *add. F.* [4]) quarum nulla eum tetigit, *add. G.*

[5]) Constructio: *lofða stýrir var laushendr á beinu a) skapti blóðorms b), en c) haldsamr á grænni d) geirtýs málu e) at hjarar leiki.*

a) sic *F*; *benju, A*; *benja, B,* mendose. *b*) i. e. hastæ. *c*) sic *F, H*; *er, A.* *d*) sic *H*; *grenni,* id., *cet.* *e*) i. e. terræ, imperii.

Paulo post dux, omnesque qui eum comitabantur, terga verterunt. Sic Olavus Albus poeta:

Majori nunquam fortitudine duo
principes, opibus valentes, pugnarunt.
Fortes aulici bellatorum juxta aggerem
cruentis manibus impetum fecerunt.
Virorum rex, qui inter nobilitate pares
excellentissimus est habitus, equo vectus
aufugit. Sverreris progenies victoriam justo
jure obtinuit. Sic Deus clementissimus voluit[1].

Hoc momento copiis ad regem Hakonem confluentibus, Thorsteinem cum vexillo plurimaque præsentium militum parte ad insequendum dynastam misit, ipse sibi a porta cœmeterii, priusquam expugnata esset, ne qua inde eruptio a tergo fieret, non discedendum existimavit. Duci in superiora versus per semitas equitanti occurrens magna suorum multitudo fugæ sociam se obtulit. [2]Rex, constitutis qui portam cœmeterii oppugnarent, homines in tecta ædium cum arcubus emisit, qui [ingerentes tela in Birkibeinos expellerent[3]. Tum Gautus Jonis filius cum sua manu ad regem venit. Paulo post Asolvus Strykus, a Thorsteine e superioribus missus, nuntiavit, ei videri vexillum a paucitate defensorum labo-

[1]) Constructio: *aldri börðust tveir afli stærðir a) herrar af meira drengskap; hraust b) hirð ógnsveipinna c) sótti þar blóðgum greipum, at garði. Fyrða gramr, sá er fundinn var fremstr at jöfnum burðum, reið undan; ætt Sverris fèkk sigr at rèttu: svá vildi guð, framiðr mildi d).*

a) sic *F, H, B, G*; *stærðar, A.* *b) hvöss*, acres, *F, H; hress*, vegeti, alacres, *B.* c) ad verbum: terrore circumdatorum, bellicosorum. *d)* verbo tenus: præstitor clementiæ, qui exhibet clementiam.

[2]) Brevi interjecta mora ad regem advenit Gunnar regis cognatus cum manu sua, hicque et, *add. B, F, G.* [3]) tela quam creberrima emiserunt, *G.*

rare, magnum vero militum numerum ad ducem[1] congregari. Itaque rex Gautum Jonis cum manu ejus[2] ad Thorsteinem vexilli tuendi causa misit[3]. Ducem ad Mortostokkos tendentem[4] Thorstein[5] cum signo[6] insecutus est. Hic Varbelgi frequentes[7] in semitis ceciderunt: cecidit Algautius, Vesetius frater ejus vulneratus est. Cum Gautus Jonis filius et Olavus Vigdeildensis, qui e platea occidentali depulsus fugerat, uno[8] tempore in semitas devenissent, nihil Olavo reliqui erat, nisi ut cum suis in ædem Laurentii se conjiceret, et tamen aliquot suorum extra cœmeterium ædis interfecti sunt. Gautus Olavum interrogavit, an vita donari vellet; ille se percupere affirmavit; itaque Gautus eum hortatus est, ut in templo se contineret, nev data vitæ conditione nimis fideret. [Ut vero animadvertit dux, magnam multitudinem insequi, in mediterranea equitavit, et[9] cursu non intermisso[10] Hovum ad prætorem Amundium Rembam pertendit, ibique cibum sumsit.

Rex Hakon hostes vita donavit.

236. [Rex Hakon ædes Prædicatorum ingressus est[11]. Ædem vero Olavi inter et ædes

---

[1]) ex inferiori oppido fugientem, *add. H.* [2]) multisque aliis, *add. F.* [3]) ipse vero homines ad oppugnandam portam cœmeterii disposuit, *add. F.* [4]) qui tetenderat, *F, G, H.* [5]) Heimnesus, *add. B, F.* [6]) vexillariis, *F.* [7]) separatis locis, *add. F, G.* [8]) pæne, *add. F.* [9]) Dux Skulius ad Mortostokkos erat, quo cum magnus hominum numerus ad eum venisset, eo loco hostem excipere constituit. Ut vero animadvertit, Gautum vexillo successisse copiasque ad Thorsteinem confluere, cum copiis qui tum apud eum erant in mediterranea contendit. Aderant ex præfectis ejus, Bardus Vargus, Erlingus Ljodhorn, Vesetius Parvus. Dux, equo vectus, *B, F, H, G.* [10]) *hirðinni*, quod in textu est, mendum esse puto; lego *hríðinni.* [11]) Duce et Birkibeinis (ad Mortostokkos) contendentibus, tantum interea copiarum ex navibus adfluebat,

Canonicorum[1] sepimentum ligneum erat; quod sepimentum [2]ingentibus tormentis applicatis rex dejici jussit; [ad quem strepitum cum Varbelgi[3] ab omnibus cæmeterii portis resiluissent, data Birkibeinis irrumpendi facultate, maxima eorum pars cecidit. Sic Sturla:

Ventus secundus ensium
circulorum carbasis
inspiravit, in illa
tempestate gladii,
verum formidabile
e tabulis gladii
æquor cadaverum
decidit cum murmure[4].
Sangvinis arbor, ferro
revincta, in portatilem
impacta navem est
sagittiferi numinis;
nubivagique lupi
viridium clypeorum
Odinis pluteum
in aere discerpserunt[5].

---

ut Birkibeini toto cœmeterio milite circumdato, Varbelgos exitu intercluderent; hi vero rem intus ita comparaverant, ut nusquam irrumpi potuerit. Cum autem rex Hakon suos, ut visum est, ad oppugnationem disposuisset, ædes canonicorum ingressus, inde se ad ædes Prædicatorum contulit, *B, F, G.*

1) nullus murus lapideus, sed firmum, *B, F, G.* 2) funibus e corio rosmari et, *add. B, F, G.* 3) quo corruente cum ingens fragor et strepitus extitisset, magnus clamor a Birkibeinis editus est, quo audito Varbelgi timore perculsi, cum, *B, F, G, H.*

4) Constructio: *þar knátti branda byrr a) blása baugsegl b) í brimis vindi c), en geigurligr hrælögr féll glymjandi af hjarar borðum d).*

a) alias pugna, h. l. enses volantes. *b)* i. e. clypeis. *c)* i. e. pugna. *d)* tunc ingens vis telorum ingesta, Varbelgique graviter vulnerati, armis concisis, multique ceciderunt. Sic Sturla, *add. B, F.*

5) Constructio: *blóðlaukr a), slunginn járni, reið á berum b)*

Fenrerisque soror
ibi, sæva manu
custodis infernalis,
capita adversariorum
regis, morti damnata,
sangvine hostili
obnupsit in
gladiorum strepitu[1].

Viljalmum Torgensem ad portam cœmeterii meridianam constitutum Ivar Dyrius[2] inclamans, quæsivit, an vita donari vellet. Cui ille: nondum scio, inquit, uter nostum prior habeat donandæ vitæ arbitrium; atque malæ Ivaris conjecto lapide gravem ictum inflixit. Hic Ivar: quandoquidem optas, deteriora habetis. Tum Viljalmus dejectus est. Ideo vero accipere vitam noluerat quod mortifero vulnere saucius erat[3]. Hic multi Birkibeinorum amicos et cognatos suos agnoverunt, quorum alii pacem petentes non impetrarunt, alii oblatam accipere noluerunt. Tum Varbelgi ad meridianas (templi) fores versi, tanto numero adfluxerunt, ut per portam penetrare nequirent, quare adeo densi ceciderunt, ut terni quaternive[4] accumularentur[5]. Sic Sturla:

knerri örva áss c), en gandreið grænna skjalda d) sleit Svölnis vegg e) á lopti.

a) i. e. ensis. b) vel: nudum. c) conjeci; *ás*, A, *örva áss*, Ullus, Deus Asicus, cujus *knörr*, clypeus. d) i e. gladii. e) sic *B*, *F*, *G*; *egg*, A.

1) Constructio: *ok Fenris nipt a) fell b) þar heiptar blóði feigum hausi fylkis dólga c) greypri hendi Gjallar mans d) í hjörgöll e).*

a) sic *B*, *F*; *nipr*, *A*; intelligitur Hela, mortis dea. b) ita scribendum (non *fèll*), a verbo *falda*, caput velare. c) sic *F*, *G*; *balga*, *A*. d) sic *F*; *manns*, *A*; intelligitur Modgnda, custos pontis Gjallarbruæ. e) sic *B*, *F*; *hjargaull*, *A*, *G*.

2) Dynns, *H*. 3) præcisa manu (calce, *B*) truncus erat, *F*. 4) quini senive, *G*. 5) jamque pugna decreta erat, *add.* *F*, *G*, *B*.

Ibi nymphæ
lacunarium
Hognii filiæ
ore canoro
laudes victoriæ
perquam sonoras
cecinerunt in principum
expeditione[1].

Hoc tempore Knutus dynasta et Birkibeini, qui ab occidentali latere templi[2] constituti erant, introitum sibi patefecerunt. Ex munimento episcopi[3] septa quædam spatia ad templum pertinebant, quæ Birkibeini applicatis funibus[4] dejecerunt; [in his aliquot Varbelgi versabantur[5]; ibidem, corruentibus spatiis, Hakon Laukus[6], aulicus ducis, aliique plures ceciderunt[7].

Insectatio equestris in Skulium ducem facta.

237. Rex Hakon, cum animadvertisset, omnes[8] Varbelgos, quibus facta vitæ gratia non erat[9], in templo inclusos esse, ex cœmeterio discessit, equumque nigrum conscendit; tum sui quoque equos sibi compararunt, alii pedibus cu-

[1]) Constructio: *þar knáttu dísir Högna mans hlýrna a) syngva hvössum munni harða kvell sigrhljóð i herför b) höfuðs c)-manna.*

a) *Högna man*, Hilda ejus *hlýrnir*, cœlum Hildæ, clypeus, ut supra, *Göndlar himin*, cap. 234; sed deæ clypeorum sunt bellonæ. b) *of*, inserit *A*. c) *höfuð*, *G*.

[2]) cœmeterii, *G*. [3]) in quo Varbelgi erant, *add. F*. [4]) ex corio rosmari, *add. F*; et tormentis, *add. G*. [5]) quorum ruina oppressi sunt aliqui ex Varbelgis, qui ex arce in templum confugere voluerant, *B*, *F*. [6]) Endus, *B*, *F*. [7]) omnesque interierunt, *add. B*, *F*; a [: tum quoque gradus inter castellum episcopi et templum dejecerunt; in his gradibus Hak. L. aul. d. forte constitutus erat, ibidemque corruentibus gradibus plures Varbelgorum interierunt. Cujus rei administratio Birkibeinos valde fatigavit, *H*. [8]) superstites, *add. B*, *F*. [9]) Arnius Ruva (Rova), etsi in templum non confugere posset, vita donatus est, *add. B*, *F*.

currerunt. Sic rex ex oppido in superiora equitavit, gladio cinctus, alterum[1] manu gestans cruore perlitum, [2]trecentis sexaginta viris stipatus. [3]Nullos equos, aliquot vero homines, quibus omnibus vita concessa, ceperunt. Tum rex[4]: si Skulius socer hac prævectus est, haud dubium est quin providerit, ne bona uteremur facultate equorum, [et credo quoque nullam nobis dari horum copiam. In oppido autem homines templis erant inclusi[5]; quorum asylorum beneficio, propter nostros, quibus infensissimi sunt, quomodo inclusi sint fruituri, timeo; nam nulla conditione induci possum, ut templorum religionem violari patiar. Itaque in oppidum revertamur, et operam demus, ne victoria nostra vitietur; nam mea cum socero negotia, quem Deus constituerit, exitum habebunt. His dictis rex reversus est. Ceterum Varbelgi, obstructis intrinsecus templi foribus, ne effringi possent, curarant; Birkibeini exitum lignis, extrinsecus adgestis, præcluserant. Rex episcopum[6] adiit, et ab eo sibi suisque absolutionem impetravit. Quo facto convivio ab episcopo exceptus, aliquamdiu cœnæ interfuit. Thorstein Heimnesius et Arnius Ruva ambo una accumbebant; rexque se Arnio tam benignum præbuit, ut si suarum semper partium fuisset. Atque ut rex Hakon eodem die atrox [adversus inimicos suos[7] fuerat, ita non

---

[1]) qui Varbelgorum fuerat, *add. B, F.* [2]) cum in semitas venisset, *add. B, F.* [3]) circiter dimidium milliare semita provecti, *add. F, G, B.* [4]) cursum stitit, suosque allocutus, infit, *add. F, G, B.* [5]) ab [: hi autem, quibus nunc vehimur, cursu exanimari incipiunt; isti vero tam longe præverterunt, ut eorum neque famam neque conspectum capere possimus. Ceterum in oppido res eo loci venerat, uti nostis, ut Varbelgi templa ingressi essent, *B, F, G.* [6] primo, *add. F, G, B.* [7]) in perdendis inimicis suis, *F, B.*

minus conspicuum fuit, quam se postea clementem præbuerit et facilem in ignoscendo his, qui in ejus potestatem se tradidissent. Cum cæsorum cumuli explorabantur, [1]septuaginta mortuorum corpora ante fores ædis Halvardi prostrata reperta sunt, cum ibi omnino[2] trecenti sexaginta homines occubuissent[3], in his multi eximii viri ex conventu Thrandheimensi: Bardus Gudrekstadensis, filius Thorsteinis Kugadi, Petrus filius sororis Ivaris, Viljalmus Torgensis, Grimus Sandensis. Die dominica rex Hakon, habitis in cœmeterio comitiis, pronuntiavit, omnes Varbelgos, qui in templis essent, vitam impetraturos[4]. Dein omnis præda more militibus recepto divisa. Aliquot[5] post prælium noctibus manum septemtrionem versus in Thrandheimum misit, præfectis, Asolvo Ostrattensi, Ivare Petri, Arnio Blakko, Klemito Holmensi, Olavo Kidlingsmunno[6], Bardo Groæ filio, qui quindecim celoces duxerunt. Ipse rex in Vika moratus negotia sua curabat. Provinciam Raumariki tradiderat Gregorio, domini Andreæ filio, qui duabus ante bellum hiemibus, abdicata provincia, cum stipatoribus suis in Daniam concesserat, ubi apud regem Valdemarem magno habitus honore versabatur. Rex, cui profectio ista mira videretur[7], eadem hieme, qua [bellum erupit[8], legatis missis[9] Gregorium[10] redire jussit, pro eo, quantam in eo fidelitatem expe-

[1]) circiter, *add. F.* [2]) amplius, *add. B, F, G.* [3]) occubuisse vulgo existimati sint, *B, F, G.* [4]) Tum Birkibeini templa adeuntes, pro se quisque, quem carissimum haberet quærebant; Varbelgi, qui vita erant donati, egressi, ex præscripto regis in globos (cohortes) divisi sunt, *add. B, F, G.* [5]) circiter septem, *add. H, G, F.* [6]) Kidlingsmulio, *B, F.* [7]) quod Gregorius veniam proficiscendi ab eo non petierat, *add. B, F, G.* [8]) Skulius regium nomen sumserat, *B, F, G.* [9]) misso in Daniam Bjarnio Moisæ filio, *B, F, G.* [10]) in Norvegiam, *add. F, G.*

riretur, honores pollicitus. Itaque reversus Gregorius, cum in Vikam venisset, manum comparavit, et ante prælium Lakense ad Birkibeinos venit; Osloæ quoque regem Hakonem comitatus est. Ex eo tempore rex eum magni[1] fecit, et provinciæ Borgensi præfecit. Erat enim vir prudens et eximiis animi corporisque dotibus instructus. [Post aliquanto rex Hakon Bergas profectus, ibique per æstatem commoratus est[2].

De Skulio.

238. Dux Skulius apud prætorem Amundium, ut supra memoratum, commoratus, ejusdem diei vespera[3] Moldium[4] usque equitavit. Die dominica in insulam Sanctam in Heidmarkia trajecit; hic Petrus, filius ejus, versabatur. Inde[5] Ullinsakrum adscendit, centum viginti hominibus stipatus. Hic cum suos consuleret, quid capiendum consilii esset, Vesetius Parvus et Thorgils Slydra hortati sunt, ut in Vermalandum, patriam eorum, se conferret, ibi[6] dimidio mensis consumto non minores habiturum[7] copias, quam ante prælium Osloense habuisset. Erlingus Ljodhorn [ceterique Thrandi[8] sibi minus commodum esse, per montana silvasque oberrare, ostendentes, hortabantur, ut septemtrionem versus in Thrandheimum proficisceretur, ibique milites navibus imponeret; hanc enim Norvegorum consvetudinem esse, si bellum gerere statuerint[9]. Valnit-

[1]) maximi, *F, H;* omnibus in rebus, *add. B, F.* [2]) Procedente vere rex Hakon ex Vika profectus, una hebdomade ante festum pentecostes (Bergas) venit. Festo ascensionis Christi (die Jovis sancto) in freto Salbjarnæo stetit; æstatem vero Bergis egit, *B, F.* [3]) Eidsvallum, indeque, *add B, F.* [4]) Molgium, *F;* Mjolgium, *B.* [5]) hic parumper moratus, in continentem trajecit et, *B.* [6]) non amplius, *add. B, F, G.* [7]) se adducturos ad eum, *F, B.* [8]) Bardus Brattius quique ex borealibus erant partibus, *B, F, G.* [9]) ut in navibus excubarent (proficiscerentur), *add. B, F, G.*

que ea ratio ut iter septemtrionem versus converteretur. Thorgils vero et Vesetius digressi, cum suis cohortibus orientem versus in patrias sedes suas deverterunt. Dux boream versus in Dalos, octoginta[1] homines ducens, inde in Ringabuum profectus est. Hic audiverunt, Birkibeinos, Ogmundum Krækedansum, Oddum Eiriki, Eirikum Toppum, præoccupato itinere, ad pontem sedere. Dux in exigua villa, haud procul a ponte, morabatur, sui vero ad pontem progressi, tubas suas inflarunt; quo signo dato, dux pontem advectus est. Cum vero Birkibeini, [copias majores quam revera erant rati, remotius a ponte constitissent[2], Varbelgi pontem transgressi sunt. Sonius Sikus vexillum portabat[3]; pontem transgressi, Birkibeinis occurrunt; cadunt duo aulici regis Hakonis, Ivar Hjalmhus[4] et Bjorn Hovensis. Dux extemplo post eos pontem transmisit, albo equo, cui Foto nomen, vectus, eximia lorica firmoque thorace indutus. Birkibeini in clivum montis recesserunt, et amplius viginti [numero tela simul in ducem miserunt[5], ut clypeus ejus sagittis[6] cirratus esset; [equus tribus[7] spiculis, quorum singula ad ligaturam usque penetrarant, confossus est[8]; ipse quoque dux crus juxta talum spiculo trajectus. Hoc exitu Varbelgi pontem transgressi sunt[9]. Asvardus[10] Harmus Ivarem Hjalmhus spoliavit[11]. Duci equus eximius, Gaut-

---

[1]) ferme nonaginta, *B, F, G.* [2]) copias eis accessuras rati, a ponte recesserunt, *H.* [3]) sequentibus Guttormo Jonadalo, Havardo Dyntile (Dyndile, *B*), Eysteine Orrio, Hakone Bardi, Halkele Ryginensi, Havardo Kollo, aliisque pluribus, *add. B, F.* [4]) Halmhaus, *G*; Hjalmhaus, *B.* [5]) homines constituerunt, qui tela — mitterent, *F.* [6]) quasi, *add. F, G.* [7]) quatuor, *B*; septem, *F.* [8]) hic equus, insidente duce, telis transfossus est, *H.* [9]) Birkibeini vero in clivum montis se abripuerunt, *add. B, F, G.* [10]) Asvaldus, *H.* [11]) spoliare parabat; sed interveniens Arnius Lagius,

stavus dictus, datus est; iterque donec in Thrandheimum venirent, continuarunt. E monte dux præmisit [Brusium Hitam[1] cum aliquot viris; hi aulicum regis Hakonis, nomine Haldorem in Updalo interfecerunt. Birkibeini eos ad montem usque persecuti sunt, ibique Asvardum, Steigæ a Varbelgis relictum, de medio sustulerunt. Dux[2] Nidarosum delatus, animos in se hominum perquam mutatos esse intelligebat; cujus rei ea præcipua causa fuit, quod Osloæ magnam cladem hominum accepisse sibi videbantur: altera, quod, cum rex Hakon in Thrandheimo versatus est, multas sibi visi sunt audisse orationes vero similiores, quam quas ducis asseclæ in comitiis Eyrensibus habuerunt: accedebat, quod se perspicere negabant, qua ratione dux res in prælio adversus regem Hakonem afflictas restituere posset[3]. Dux ver Nidarosi consumsit; cœnam quotidianam in Breidastova apparavit, sæpissime vero cubiculis suis se continebat, pauca cum aliis loquebatur; tres noctes in sodalitio Crucis versabatur, et parci admodum sermonis fuit[4]. Amicis admonentibus, eum incautius agere sibique negligentius providere, ille negabat Birkibeinos admodum brevi temporis spatio a Vika in Thrandheimum iter facturos. Illi regem Hakonem breviori, quam verisimile visum esset, temporis

---

famulus (signifer) Petri ducis filii, Ivarem non satis (minus quam revera erat) vulneratum ratus, cum gladio eum appeteret, manum Asvardi percussit, ut tantum non præcideretur. Hoc boream versus Steigam deportato, quo statuerant contenderunt, *add. B, F, G.*

[1]) Sigurdum Hitam, et Brusium, *F, B.* [2]) transacta Vogi (Vangi, *B*) in Updalo nocte, inde, *add. F.* [3]) quam ob rem cum eo adversus regem bellum facere noluerunt, *add. B, F.* [4]) et plurimorum animi ita erant comparati, ut pauca cum eo loquerentur, *add. B, F.*

spatio Osloam iter fecisse demonstrabant. Post hæc una celox speculatum in sinum missa est.

De Asolvo et Klemito, Birkibeinis.

239. Tempore ambarvalium, die lunæ mane, Asolvus[1] cum suis, quindecim ducens naves, improviso Nidarosum venit; Klæmitus Holmensis ultra ad Bakkium duas celoces appulit, Asolvus et ceteri totam classem oppido admoverunt. Dux Skulius, audito campanæ bellicæ sonitu excitatus, extemplo exsiliit, vestes induit, arma rapuit; itemque ceteri, qui in iis ædibus erant. Famulis in oppidum missis, Varbelgos ceteramque multitudinem in ædes regias ad se venire, ut ibi Birkibeinos exciperent, jussit. Famuli reversi sunt, nullis comparatis hominibus; bisque homines dux in oppidum misit, neque quicquam hominum nactus est[2]. Quæsivit igitur, quid capiendum consilii esset[3]. Sui [hortabantur, ut[4] amnem trajiceret, deinque in silvam exiret, si in ædem Christi confugere nollet[5]. Petrus ducis filius supra ædes regias versabatur; [hunc dux hortatus est, ut amnem secum trajiceret, sed quibusdam commilitonum ejus eo se conferentibus[6], ipse in ædem Christi confugit; eodem et confugit Bardus Brattius, qui se ad iter faciendum pedibus minus valere existimabat. Dux in terram prope Skellingelam egressus, suos ad Erlendshaugum adscendere, hisque, qui ad Bakkium escendissent, cladem aliquam inferre jussit. Quæ imperata cum nemo assensu suo comprobaret, clivis superatis, silvæ per-

---

[1]) sic cet.; Asvardus. *h. l. A.* [2]) dicentibus missis, omnes homines in templa confugere, *add. G.* [3]) In amne inferiori (Nida) nullus pons erat, *add. F, B.* [4]) restare dixerunt, ut deducta celoce, quæ ad ædes regias stabat, *F, B.* [5]) Tum celox aquis commissa est, *add. F, G, H, B.* [6]) quos cum dux ad celocem devocasset, quidam ex contubernalibus Petri descenderunt, amnemque cum duce trajecerunt, *F, G, B.*

fugio utebantur. Petrus ducis filius [in æde Christi erat[1], indeque se ad Prædicatores[2], qui ei suam tutelam obtulerunt, recepit. Sed cum eo loco manere non auderet, inde quatuor famulis comitatus in ædes regias[3] se contulit; hic scapha sumta amnem trajecerunt, et Elgisetrum superius se contulerunt. Huc Petrus in domum quandam, in qua mulieres panem coquebant, ingressus, sumta veste pannosa delituit. Cum Birkibeini oppidum ingressi domos scrutabantur, plerique Varbelgorum[4] in templa confugerant. Bardus Vargus [in æde Crucis erat[5]. Birkibeini de profectione Petri per speculatores certiores facti, trajecto amne, Elgisetrum superius se contulerunt, hominem, cui Joni Katto[6] nomen, in domum pistoriam miserunt; qui cum egressus Petrum intus esse significaret, eductum confestim occiderunt. Is corpore non parvo et crasso fuerat, vultu maternum genus magis referens, liberaliter educatus, bene doctus et religiosus; idem Varbelgis [ad rem militarem minus audax[7] visus. Funus Petri ad sepulturam deportatum est. His confectis Birkibeini in oppidum reversi, homines in omnes partes dimiserunt, qui ducis suorumque famam captarent.

De Skulio duce.

240. Dux Skulius, qui in silva se continebat, audivit, Birkibeinos custodibus silvam circumsepsisse[8]; tum illi, qui comitati eum fuerant, dilabi cœperunt, quosque dimiserat, horum vix ulli reverterunt. Erlingus Ljodhorn in Totram

---

[1]) qui celocem conscendere noluerat, in ædem Chr. confugit, *H*. [2]) templum Prædicatorum, *F, G, H*. [3]) episcopi, *F, G, H, B*. [4]) qui in oppido erant, *add. F, G, B*. [5]) in ædem Cr. confugerat, *F, B*. [6]) Knattus, *H*; Korus, *B*. [7]) ad arma minus strenuus, *H*; quam majores sui fuerant, *add. F, G*. [8]) ne inscientibus Birkibeinis elabi posset, *add. B, F*.

profectus est, ibique vestem monachi sumsit. Cum dux duas noctes in silva egerat, die Mercurii, pridie festi ascensionis Christi, quando canonici cum crucibus circumibant, amicula lithurgica ei e monasterio allata sunt, quibus indutus cum ceteris monachis monasterium ingressus est; ipse cum suis in turrim adscendit; mox potus cibusque appositus; dein duci, qui somno valde gravaretur, lectus apparatus.

Dux Skulius a Birkibeinis cæsus.

241. Birkibeini, cum per speculatores cognovissent, aliquos amiculis lithurgicis indutos e silva Elgisetrum intrasse, quos Skulium suosque fuisse vulgaris opinio esset, confestim ad arma concurrerunt, et[1] amnem trajecerunt. Quo animadverso, archiepiscopus Sigurdus cum magna clericorum et oppidanorum[2] multitudine Elgisetrum se contulit. Birkibeinos monasterio subeuntes asseclæ ducis crebris telorum ictibus eminus petierunt; cumque archiepiscopus advenisset, vetuit, ne Birkibeini monasterium aggrederentur, nev hostile quidquam facerent. Dicentibus, monasterium iis occupatum esse, adversus quos necessitas hostilia svaderet, sive eis gratum, sive ingratum esset, archiepiscopus pecunias pro duce obtulit, ut tuto ad regem pervenire posset. Illi hoc recusarunt, nisi sedem sancti Olavi regis pignori opposuisset, si ea, quæ dux polliceretur, non præstarentur. Quidam eo vehementiæ progressi sunt, ut, neglecto archiepiscopi interdicto, ignem monasterio subjicerent; alii quidem exstingvere flammam conabantur, sed factum est, ut vis incendii superaret. Quod cum animadverteret dux, eos velle monasterium[3] inflammare,

[1]) sumta navicula, *add. G, B.* [2]) et mercatorum, *add. B, F.*
[3]) ad eum opprimendum, *add. G.*

suos exire jussit[1]. Ipse dux, clypeo faciei prætento, egrediens: ne mihi faciem percutiatis, inquit, ita enim in principes viros fieri, non moris est. Quibus dictis, Birkibeini ducem telis invaserunt, omnesque cum eo egredientes: Sonium Sikum, Eysteinem Orrium, Aslakum Dyntilem, Halkelem Ryginensem, Halvardum Kollum, Brusium[2], Arnium Mariallum[3]. Magister Bergus graviter[4] quidem vulneratus erat, sed sanari tamen potuit. Sic Sturla:

Post aliquanto
dux opulentus
gloriosam vitam
rhedæ funereæ
in ripa Nidæ,
grassante flamma,
reddidit; quod vulgo
jam haud dubie innotuit[5].
Ibi regis socer,
vir ille præpotens
oppressus ab auri
exhibitoribus,
urgente tremulo
impetu gladii,
in pontem Gjallæ
progredi coactus est[6].

---

[1]) igitur illi ad fores accesserunt, *add. F, G, H, B.* [2]) Dyttum, *add. G.* [3]) Matjallum, *B.* [4]) pæne letali plaga, *F, H, G, B.*

[5]) Constructio: *nú man frægt: ríkr hertogi knátti nokkvi síðarr leggja rausnar líf a) í náreið b), við leygför c) á Niðarbakka.*

a) *lið, B.* *b*) sepulcro vel feretro. *c*) sic *F*; *laugför,* id., *B*; *leggfjör, A*; *lægfær, B.*

[6]) Constructio: *ok ræsis mágr gekk þar á Gjallarbrú fyri riðusóttum a) bauga bliks b), er boðar vers elda féllu of afarmenni.*

a) propric febris, h. l. de motu tremulo, vibratione. *b*) ad verbum: clypeorum fulgoris i. e. gladii.

Statim ut dux ceciderat, exstingvere flammam conati sunt, quod cum effici non posset, totum[1] monasterium igne absumtum est.

Funus ducis Skulii.

242. Funus Skulii ducis clypeo in oppidum deportatum, ibique habitu ferali ornatum, et in æde Nicolai repositum est. Postero mane Asolvus et sui ad archiepiscopum adierunt, absolutionem petentes; quæ res etsi haud celeriter concessa est, tandem tamen absoluti sunt, donec regem convenirent, ut scirent, quid de tanto facinore statuendum censeret. Dein mortuus amplissimo funere elatus, et sepultus in æde Christi ab australi parte chori in muro lapideo infra locum, ubi funus regis Ingii conditum est[2]; funeri operam dedit archiepiscopus omnesque oppidani[3]. Dies emortualis Skulii ducis est dies nonus Kal. Junias; habuit annos quinquaginta unum[4]. Hujus mors [suis omnibus[5] luctuosa fuit; erat enim perquam gratiosus, quod multis rebus consecutus est, [comitate et liberalitate[6], qua nulli[7] rei pepercit, quin suis largiretur; multis honoris titulos dedit aut uxorias conditiones conciliavit, qui in ejus amicitiam se insinuassent, aut ad alia commoda produxit; quibus rebus multorum gratiam sibi conciliavit. Prædium Reinense, sibi a patre hæreditate relictum, in monasterium dedit, ibi eximium templum lapideum exstruendum curavit, cœnobiumque moniale instituit, cui[8] pecunias attribuit. Multa alia eximia de ejus munificentia prædicari possunt. Fuit proceriori statura, tenero corpore, colore capillorum

---

1) ferme, *add. G.* 2) quem funeri regis I., fratris sui paraverat, *B, F, G.* 3) omnes canonici, multi clericorum et Birkibeinorum, *add. B, F, G.* 4) tres, *H.* 5) multis, *F.* 6) primo comitate et humanitate, dein liberalitate et munificentia (facilitate), *F, G, B.* 7) pæne, *add. F, G.* 8) ingentes, *add. B, F, H.*

ex badio albicante, coma pulcherrima, facie recta et lucida, oculis pulcherrimis; omnes homines urbanitate et morum elegantia superavit; vox liquida, oratio in comitiis diserta. In eo pleræque res erant, quæ eximium principem ornarent; et si ultimus ille annus infelix ei non accidisset, dictum fuisset, eorum, qui ex ipso regum stemmate originem non duxerunt, neminem in Norvegia natum esse artibus liberalibus eo instructiorem. Moriens nullum filium reliquit[1].

[1]) quatenus certo sciri potuit; sed sperandum est, Deo benignissime adjuvante futurum, ut ejus progenies Norvegiam diu ornet, *add. cet.*





